



HI
trat.
nal.


ZECCHI
Consultat.
Medicinal.











IOANNIS ZECCHII BONONIENSIS CIVIS ROMANI,

MEDICORVM IN VRBIS GYMNASIO Prioris, ac per vniuersam Ecclesiasticam ditionem Archiatri,


Consultationes Medicinales.

IN QVIBVS VNIVERSA PRAXIS Medica exactè pertractatur:

Andromachi Zecchij eius filij opera & studio in lucem editæ.

QVIBVS ADIECTI SVNT INDICES DVO COPIOSISSIMI, Alter Consultationum, & Responsorum Medicinalium. Alter vero rerum omnium notatu dignarum, quæ in opere continentur.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M DC XVII.

Apud Ioannem & Variscum Variscos, & Fratres.



PERILLVSTRI

& Excellentisſimo D.

D. HIERONYMO TONO,

Philoſophię & Medicinę Doctori, &c.



IOAN. ET VARISCVS VARISCI

Bibliopolę Veneti, S. P. D.



Apientiſſimum illud, omnium eruditorum teſtimonio, Senecæ dictum eſt, Excellentiſſ. & Eruditiſſ. Hieronyme, non eum eſſe ſapientem, & præclara rerum cognitione instructum, qui ſibi tantum vacet, & rerum contemplationi incumbens, ſolis muſis conſeneſcat, ſed eum qui in forum etiam proſiliat, & operam ſuam alijs commodet. Quid enim, ſi quod aſſidua contemplatione in rerum cauſis perſcrutandis defixi, viri ſagaciſſimi è latebris deprompſerunt, in ijſdem, poſteris non communicando præclaras elucubrationes, rurſus obruerent? & iacere in tenebris egregia Ingenij monumenta permitterent, certe ſterilem ex contemplatione fructum, infecundæ cuiuſdam cognitionis reportarent, qui nec alios ad eandem ſciendi cupiditatem incitarent, nec erudirent, nec alia vtilitate iuuarent. Illi igitur omnium commendatione digniſſimi, qui ita philoſophantur, vt non ſibi tantum, ſed alijs etiam meminerint ſe philoſophari. Horum numero, in præſtantiſſima medicinæ arte, vir cumprimis eruditus, Ioannes Zecchius non poſtremo loco collocandus, omnium præconio celebratur;

 cuius

cuius singularem eruditionem vt Bononiensis Academia demiratur, & fructus reconditæ doctrinæ degustat, ita longè latèque nominis celebritate peruagata, Vniuersæ Europæ Gymnasia suscipiunt, & colunt. Quam clara subtilitate, de rebus difficilimis suis scriptis disputat? quam solerti industria recondita, intimisque recessibus intrusa explorat? quam solida, & ea quidem dogmatica, non empirica, vt vocant, doctrina erudiendo, difficilima enodat? Itaque operæpretium nos facturos existimauimus, & Reipubl. litterariæ consulturos, si consilia illius Medicinalia, quæ æternitati commendauit, typis commendaremus, non tam lucri, quam de studiosis benemerendi studio. Atque cum tibi maximè placere hanc nostram in eruditos homines propensam voluntatem, præsertim vero in Ioannis Zecchij doctissimis elucubrationibus euulgandis, laborem ac industriam laudare, compertum haberemus, qui egregia tuæ commendationis approbatione, nos ad hoc negotium suscipiendum erexeris, & inuitaris, tibi etiam vt consecraremus excultum hoc Medicinæ opus, æquum fore duximus, tum vt laudatissimi viri nomen, nostra industria præferret, tum vt singularia in nos tua studia, & beneficia, quibus a te ornati sumus, aliquo pignore obseruantiæ nos colere, testatum apud omnes relinqueremus, si minus persoluere, & parem gratiam re ipsa rependere possumus. Tuorum igitur clientum, hoc etiam beneficio, Excellentiss. Hieronyme, onera seruitutem, vt nostros labores foueas, industriam tua auctoritate excites, voluntatem recrees, quod tamen demum voti compotes obtinebimus cum solita humanitate, ac hilari fronte, munusculum hoc nostræ obseruantiæ, & beneuolentiæ testimonium recepisse comprobabis. Vale.

IOSEPH GHISLERIVS

Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor.

AD LECTOREM.



Onsultationes illas vulgo collegia appellata ab excellentissimo viro Ioanne Zecchio, inter præstantissimos huius Vrbis medicæ facultatis professores, dum grauissimi, ac nobilissimi viri sæuissimis afflictarentur ægritudinibus, viua voce ex tempore iam antea æditas, ac deinde ab eod. illorum impulso precibus, quorum causa conflatæ fuerant litteris mandatas; ecce iam lector prælo committere idem plurimorum illustrium virorum cohortationibus, ac quotidianis penè conuicijs cogitur: & quamuis hæc eadem reconditæ, atque multiplicis doctrinæ monumenta, quæ mirifice singillatim in omnibus hisce consultationibus collucent, dum viua promerentur voce, licet absolutè, breuius tamen vsurparet, vel quoniam cum doctissimis viris colloqueretur, quibus rerum compendia insinuare sufficeret, vel quòd temporis premeretur angustijs longissima iugiter negotiorum serie circumiectus, aut ne alijs dicendi tempus eriperet; fusius nunc omnium consulens vtilitati publicis tradit imprimenda typis, omniaque in ijs, siue ad praxim, siue ad theoricam spectantia vicissim, & partite complectitur; licet huiusmodi sint eruditissimi viri adeo de medica facultate benemeriti, dicta omnia, scripta omnia, tam congrua distributa methodo, tam eleganti concinnata oratione, tam grauibus insignita sententijs, ita varijs doctrinæ ornamentis exculta, adeo selectis humanorum affectuum præsidijs redundantia, vt nihil omnino in ipsis præter laconicam accuses breuitatem, (nunquam nimirum tam longa sunt, quin longiora exoptes) quod profectò vitium, nullus erit, opinor, tam contumax Aristarchus, qui præsenti operi audeat inurere: neque dubitandum, fore, vt quemadmodum, dum isthæc eadem viua voce articulatim, & cursim perstringerentur plenissimo omnium audientium plausu excepta, non laudatione modo, sed admiratione dignissima censebantur; ita profecto admirabili omnino peritia, oblectatione, & fructu præsentia scripta illos omnes sint cumulatura, qui æquo, & sano iudicio eadem, vel perυolutarint; vel de eorum, siue doctrina, siue praxi periculum fecerint.



EIVSDEM AD LECTOREM

CARMEN.

COnsultus ægrotantibus, quæ Zecchius
Per litteras responsa quondam reddidit,
Relata nunc volumen in iustum tibi
Amice lector prodeunt. Si inspexeris:
Non illa dices discrepare Delphicis.
Hic & petita de Galeni fontibus
Haud obuijs cuicunque, multa noueris:
Non tanta natus traderet fœlicius
Coronide, aut Coronidis nepos Cous.

Opus istud cui titulus Consultationes Medicæ Ioannis Zecchij, primum Romæ impressus, nihil Sacrosanctæ fidei Catholicæ contrarium continet quare typis posse dari censeo.

Frat. Iacobus Regulus S. Theol. Lector Ord. Præd. & Commiss. Generalis S. Inquisitionis Venetiarum.

INDEX
CONSVLTATIONVM,
ET RESPONSORVM MEDICINALIVM
Quæ in hoc volumine continentur.



Eius-

De

FINIS.

INDEX
COPIOSISSIMVS
RERVM OMNIVM,
Quæ notatu digna in consultationibus continentur.

A



Au-

D

Duc-

Facici

F

Gale-

G

H

Li-

Nar-

N

O

Pul-

V

Ve-

Visce-

FINIS.



IOANNIS ZECCHII BONONIENSIS CIVIS ROMANI:

Conſultationum Medicinalium.



DE CAPITIS DESTILLATIONE, & Sputo Purulento:

Pro Reu. Præfecto Religionis Monachorum Sancti Ioannis Colauitæ,

CONSVLTATIO PRIMA.



VIR admodum Reuer. annum agens ſuæ ætatis circiter trigeſimum, hepatis, & cordis, ideoque totius etiam corporis habitus frigidi, ſiccique temperamenti: cerebri autem valde humidi: à primis annis in hanc vſque diem capitis deſtillationi perpetuo fuit obnoxius. Humor autem deſtillãs ſemper frigidus, ac pituitoſus fuit, partes verò recipientes, pulmones per aſperam arteriam citra vllam difficultatem ſtatuuntur: hinc tuſſis ferè perpetua. Paucis ab hinc diebus inter tuſſiendũ cruenta quædã ſputa reiecit: deinde nonnullis interpoſitis diebus cum fortè fortuna vehementius tuſſiret, ſanguinem vberiori admodum copia floridum, totumque ſpumantem bis, terque extuſſiendo excreuit. Mox ceſſante ſanguinis ex ore reiectatione, pituitoſam materiã pure iugiter refertam cũ tuſſi etiam moleſta frequenter diu, noctuq. expuere cępit. Febris nunc manifeſta nulla deprehenditur: neque carnium inſignis conſumptio. Circa propoſitum caſum, quatuor ſe ſe offerunt, in quibus Clariſſimi Medici fluctuare videntur: quibus in dubijs quid ego ſentiam, liberè, ingenueque aperiam. Primum quidem eſt, num Reuer. hiſce Monachus Phtyſi nũc laboret, nam cum-

Historia.

Quę ſint circa propoſitũ caſum expẽdenda.

1. dubit.

ex Hipp.decretis Aph.7.Aph.15.& 16. A sanguinis sputo puris sputũ, & a puris sputo tabes: colligebat Eruditissimus Medicus alter, Reuerendum Patrem iam Phtysicum statuendum. At quoniam nec febris nec corporis macies adhuc manifesta deprehenditur; concludebat alter senior clarissimusque Vir, Phtysim nullum nunc negotium nobis facessere. Nec obstat, inquit, sputum purulentum; nam ex Hip. & Gal. sententia pus in Thorace contractum quadraginta dierũ spatio ad ægrotantis sanitatem non raro repurgatur: quod quidem tem poris spatium hic nondum præterijt Verùm quoniã initiantes morbi, sua, vel etiam pathognomonica signa veluti, herbæ pullulare incipientes, non vsque adeo apertè exprimunt; & febris, quæ insanabilia pulmonum vlcera consequitur, hectica est; hæc autem cum in principio difficilis admodum sit cognitionis: licet nec febris, nec corporis extenuatio adhuc conspicua sit, ego tamen in ea sum sententia Vlcus iam pulmones exercere: cum & perpetua destillatio & sanguinis a pulmonibus excretio repetita, & sputa purulenta præcesserint: neque obstat, quod de pure in Thorace quadraginta diebus repurgando obijciebatur. Etenim eo loco (Apho. nempe 15. sec.5.) loquebatur Hipp. de Pleuritide suppurata: non autem de vase in pulmone lacerato, a quo vitæ periculum impendere, nisi breui persanetur literis mandauit Gal.5. Meth. Medendi c.8. Vtcumque tamẽ cum Phtysim iam Reuerẽdum Virum sollicitare alter affirmauerit; alter vero hoc ipsum imminere vitium non negauerit: eademque remedia præsentibus, & imminentibus malis apponantut: nulla altercatione medẽdi methodus eadem ab vtroque præscribitur. Alterum, in quo contrauersari videntur, est, An a vena in pulmonibus exesa, vel disrupta sanguis antea prodierit. Nam ex eo quod nec salsa destillatio, nec externarum rerum vlla importuna violentia antecesserint: vasis fracturam vnus prorsus excludit. Alter verò hanc ipsam potius includere videtur: quod, inquit, & tussis prægressę vehementia veluti causa mouens, & sanguinis reiecti copia veluti symptoma id cumulatissimè indicare possint. Sed quoniam ego & ratione, & experientia pro cõperto habeo humores a capite in pulmones assiduè destillantes, citra etiam omnem salsedinem eatenus subiectas partes tandem vlcerare posse, quatenus ex mora, quam trahunt in loco præsertim calidiore & humidiore simul, putredinem, & inde exedendi facultatem sortiuntur: negare non possum sanguinem primis diebus pauca admodum copia inter tussiendum expulsum venæ alicuius pulmonicę extenuationem potius, siue exesionem, quam disruptionem sequutũ fuisse. A qua erosa vena prius, mox tussis vehemẽtia discissa sanguis, & vberiore copia, & maiori impetu ac spumosius nuper effluxit. Tertium, quod in dubium verti intelligo, ad cerebri attinet temperamentum. Quod quidem humidum esse nullus est, qui neget. Assidua

Propria snia circa primã dubitationẽ.

Explic. Aphorismi Hippo. & solutio dubitationis.

2. dubit.

Propria circa dubitationem sententia.

3. dubit.

enim deſtillatio hoc patefacit. Sed vtrum humiditas hæc caliditati, vel frigiditati coniungatur, controuerſum eſt. Ab excretis enim perpetuo pituitoſis: ab actionibus animalis facultatis, tùm principis, tũ ſenſitricis hæbetioribus nonnihil: atque ex eo quod Reuerendi Patris caput frigidis admodum læditur; iuuatur autem calidiorum vſu, ita vt æſtate ſemper melius habeat, quam hyeme: deducebat eruditiſſimus Vir frigidum, humidumq. capitis huius temperamentum. Cui & ego quoque ſubſcribo, neque alterius Clariſſimi Viri oppo- *Propria* ſitum argumentum conuincit: nempe capitis plenitudinem calido et *ſententia.* humido cerebro familiarem, cauſam deſtillationis potiſſimũ eſſe. *Oppoſiti* Hoc inquam argumentum non cogit: quandoquidem præter hanc *arg. ſolut.* plenitudinis cauſam, alteram quoque non ignobiliorem cognoſcimus: coctionem videlicet infirmam, frigidum cerebri temperamentum conſequentem: vnde ſubcruda perpetuò in hoc viſcere ſuperuacanea excrementa congeruntur. Non ibo tamen inficias, calorem quendam aſcititium obſtructionis ſobolem in hoc excitari poſſe.

Quartum, poſtremumque dubium eſt. An materiæ in cerebro redũ- *4. dubit.* dantis deriuationis gratia Cauterium inurendum ſit, vel in ſincipite, vel in occipite, aut in altero brachio. In qua propoſita difficultate *Propria* quid ſentiam paucis aperiam. Cauterium in altero brachio inurendũ *ſnĩa circa* fluxuri humoris intercipiendi cauſa, quòminus in Thoracicas ſubie- *dubitatio-* ctas partes delabatur non improbo: ſed in occipite inuſtionem longe *nem.* ſalubriorem fore exiſtimo. Hac enim non ſolum interceptionem: ſed *Inuſtio in* a capite per partes propinquiores deriuationem moliremur. De ſin- *capite cur* cipite autem inurendo ſic ſentiendum puto. Triplex hoc in opere vi- *maxime* detur eſſe curaturi Medici conſilium. Vt videlicet, vel humorem ad *ſalutaris.* partes ſpirituales præcipitantem auertat, cohibeat, atque etiam per *Scopi cu-* halytum digerat: in quo ſcopo explendo non vna duntaxat, ſed plu- *ratius.* res Hippocratico more inuſtiones: vel etiam ſecundum Gal. placita rubificantia a noſtris dicta emplaſtra magis ex vſu eſſent. Quod quidem auxilium (hoc conſilio) non videtur eſſe præſtandum niſi in ea præcipiti deſtillatione, a qua vel præfocationis vel cæcitatis periculũ immineat. Vel eadem in parte inuritur caput, vt cerebrum iuſto humidius ſiccetur, ac roboretur. In qua quidem indicatione plures pariter in cute vſtiones eſſent adhibendæ. Licet hoc in caſu, & capitis lotiones, & fotus, & cerata, & ſtillicidia, atque alia eius generis ſiccantia roborantiaque medicamẽta magis probem. Vel iuxta ſinciput in coronali ſutura inuſtionem adhibent Medici huius noſtræ ætatis fe- *Inuſtio iu* rè omnes: vt per inuſtum ea in parte cauterium diu geſtandum velu- *xta ſinci-* ti emiſſarium quoddam, excrementa in cerebro concepta ſenſim *put in co-* euocentur, repurgenturque. Quod quidem opus ſemper mihi ſuſpe *ronali ſu-* ctum fuit. Siquidem, omittamus, quòd difficile ſit aſſequi humores *tura cur* in cerebro reconditos ſuapte natura deorſum inclinantes, ſurſum ci- *ſuſpecta.*

Cerebri durior mē brana nō nunquam ignito ferro inflammatur.

Nostræ ætatis Chirurgi cur iuxta sinciput inurentes ossis primā laminam comburere nituntur.

tra violentiam euocari,atq; per cranij suturas compactas satis, educi posse: cerebri durior membrana, ita pericranio iungitur, vt ignito ferramento inflammari possit,atq; etiam vitium hoc ipsi cerebro facilè communicari. Vnde obseruaui ego multis abhinc annis dum Bononiæ Medicinam facerem, Pistorem quendam ad viam Galeram dictam habitantem, ab inustione supra commissuram coronalem,in phrenitidem eadem die incidisse. Propterea huius nostræ ætatis Chirurgi in hoc opere ignito ferro non solum cutim vsque ad os, sed etiam ossis primam laminam eo consilio comburere nituntur, vt,si fortè fortuna duræ meningis summitates aliquæ contactæ inflammentur,protinus etiam scindantur,separenturq; ne per continuatas partes vitium à cerebro contrahatur. Hoc autem Chirurgicū opus quantùm doctrinæ Hippocraticæ reclamet, & aduersetur, vnicuique notum esse potest, qui eiusdem auctoris librum de Capitis vulneribus diligenter perlegerit, vbi apertè docet, quòd cum os iuxta sinciput omnium sit tenuissimum, & debilissimum: cerebrumq; secundum maximam sui partem sub hoc osse contineatur, malum omne siue in carne sit, siue in osse maxime,& citissime persentit. Vnde deducit Hipp. Vulnera hac in parte esse curatu difficillima, & maximè læthalia. Quapropter capitis vulnera curaturum cautum reddit, ne in perforatione & terebratione suturas vnquam contingat. Rursus in libro de Internis affectionibus non longe à fine: vbi in cura dolorum coxendicum post omnia alia præsidia sine fructu administrata ad inustiones tandem confugit, hæc habet verba. Vrito pluribus profundis inustionibus: in parte quidem ossea per fungos: in carnosa verò per ferramenta: quare, si vstionem ferro ignito in ossibus coxendicum timet Hippocrates? tanto magis in sincipitis osse:& præsertim in sutura. Hinc factum esse puto,quòd Mesues Cap.de Aegritudinibus neruorum os.Vbi de catarrho agit: quando omnibus alijs tentatis prius auxilijs ad sincipitis vstionem confugiens;vt suturas euitaret,eam vrendam partem iubet,quam medij,siue maioris digiti summitas immediatè contingit,manus radice summis naribus, non aūt ad superciliorū intermedium admota. Hæc autem miror, quòd Neoterici Medici dissimulauerint, aut neglexerint. Sed de his hactenus. Illud etiam non contemnendum videtur, qui fiat, vt patiens hic,si in latus sinistrum cubare tentet,insignem spirandi difficultatē experiatur,simulq; tussis adeò molesta irritetur vt quasi strangulari videatur,interimq; dolorem quendam Thoracis lateris oppositi persentiat? an, quia cum pulmones lateris sinistri, qui à dextris separantur, multis excrementis pituitosis repleti,ideoq; ægrè sequentes,cubante ægro in sinistrum latus,à dextris pulmonibus concidentibus presi,ægrius etiam,atq; difficilius ita sequantur,vt parùm alacriter spiritus edatur?

In sincipitis vstione quā partē vrendā iubet Mesues.

Dubitat.

Dubit. solutio.

Quòd

Quòd autem hoc tempore oppositum doleat latus: id in morbum quendam à Veteribus Medicis dissimulatum reijciendum puto: nimirum in quandam præter naturam pulmonum eiusdem lateris, cũ membrana costas internas vestiente pertinacem adhæsionem: vnde in decubitu ad sinistrum latus eò tendentes dextri lateris pulmones, & membranam, cui hærent quasi secum trahentes, & distendentes, doloris ea in parte sunt in causa. Scio equidem Hipp. in lib. De locis in homine semel tantùm, & obiter meminisse Thoracis affectus cuiusdam pleuritici, in quo pulmones pituitosi humoris interuentu costis agglutinantur. Sed morbus hic breui dierum spatio videlicet in septima die soluitur. At verò ille, de quo nunc agimus, si inter initia diligenter non curerur: mensibus & annis progreditur; nec non nisi cum ęgrotantis vita finitur. Talem non obseruarunt Veteres hominis calamitatem. *Morbus à veteribus medicis dissimulatus.*

Noui ego inter alios Nobilem quendam & Incoronatorum familia Romanum, qui à diuturna capitis destillatione in spirandi difficultatem sine stertore inciderat: atq; malo progrediente eò deuenerat, vt in alterutrum latus dextrum videlicet, & sinistrum non sine labore, & anxietate quadam cubare posset: in dorsum nequaquàm ob ingentissimos dolores & cruciatus, quos in spinam iacendo, iuxta anteriorem thoracis partem experiebatur. In ventrem autem commodior, minusque molestus huic decubitus erat. Quippe vitam miseram hisce tormentis, mensibus, & annis duxit. Ac tandem morbi huius sæuitia diem suum obijt. Et dissecto cadauere obseruatum fuit pulmones thoracis costis omnibus anterioribus ita pertinaciter hærere vt non nisi cultello seiungi possent. *Nobilis Romani historia.*

Quòd autem soli homini contingat pulmones supremi propria membrana mediante claiculæ ossibus & superioribus costis vndique firmiter hærere Fallopius præceteris Anatomicis diligenter obseruauit. Verum hoc est ex naturæ instituto: illud autem morbosum prorsus, & animali infestissimum. *Calamitatis genus soli homini contingẽs.*

Iàm verò post soluta ancipitis disputationis argumenta: reliquum est, vt medendi methodũ paucis absoluamus: vt præhabiti examinis prolixitatis dispendiũ; nunc dicendi breuitate compensemus. Cum igitur hoc pulmonum vlcus sit in principio; duo in primis sunt præstanda, inflammationis, quę timetur, impetus cohibendus: & Vlceri, nè serpat augeaturq; diligenter incumbendum. *Quę circa curationẽ sint faciẽda.*

Quare victus ratio tenuis, refrigerans non nihil, ac potius subadstringens præscribi debet: & ab ægrotante omni studio retineri. *Victus rõ.* Aer igitur in actiuis qualitatibus hoc tempore sit temperatus: in passiuis autem ad siccum parùm inclinans. *Aer, qui eligendus.* Cibi boni succi, facilis coctionis, omni acrimonia prorsus priuati eligantur: Vt ptissana hordeacea cum seminibus melonum, & amyli modico; cum qua carnes iuniorum pullorum gallinaceorum contusæ vtiliter commisceri poterunt. *Cibus, & potus.* Oua etiam sorbilia magnopere commenda-

mus. Reliqua ad victus rationem spectantia huic operi correspondeant oportet. Quibus tamen duo non parui momenti addam. Vt videlicet ædulia omnia ex aqua chalybeata parentur. Et quoniam febris nunc nullum nobis negotium facessit; vinum album pauciferum subadstringens aqua chalybeata attemperatum, non inuitus concederem.

Chyrurgica presidia.

Venæ sectio ex latere affecto cur laudetur.

De Chirurgicis auxilijs, venæ cubiti communis lateris magis affecti sectionem neutiquàm prorogarem. Idq; triplici consilio. Vt praui succi aliqua etiam ex parte biliosi & acres ob diuturnas vigilias vnà cum sanguine educantur. Inflammationis impetus cohibeatur. Et ad catharri auersionem moliendam. Præsertim cùm vires non reclament. Neque (vt antea monebamus) cauterium ea in parte, qua caput primæ vertebræ committitur differrem deriuationis à capite, & intercipiendæ materiæ, nè in pulmones labatur, causa.

Quæ circa pharmaciam sint agenda.

Præparatio humorũ; quibus syrupismo lienda.

Quib. medicamẽtis preparati humores sint deturbandi.

Quòd verò ad Pharmaciam attinet; succi in venis vitiosi pituitosi quidem, sed partim etiam biliosi, vt ex excretis patet; licet in pulmonibus contracti prorsus pituitosi sint, & crassi, apparandi erũt syrupis de Endiuia, violarum, & glycirizæ, simulq; cum aquis violarum, endiuiæ, & tussilaginis. Qui humores hunc in modum apparati, nè in pulmones præcipitati, & inflammationem excitent, & iugiter initiatum vlcus augeant; protinus deturbandi, & ad ventrem retrahendi, sed medicamentis clementer subducentibus, qualia sunt syrupus ex pluribus violarum, & rosarum infusionibus. Mel aereum. Cassia fistula. Tamarindi. Rhabarbari infusio. Diacatholicon. Electuarium de dactylis, De prunis, & consimilia. Clysteres etiam mitiores frequenter iniecti magnopere conducunt. Quippe quæ non solum intestina à fæcibus expurgent; sed etiam noxios humores in Thoracem fluxuros ad ventrem reuocent. Hæc autem omnia eatenus futuræ inflammationi, atq; vlceris auctioni obsistũt; quatenùs materiam vtriusq; causam detrahunt.

Peccante materia educta, quib. causæ ipsam efficientes sint corrigendæ.

Interim causæ materiam producenti siue efficienti cerebri nempè frigido, humidoq; temperamento corrigendo (quantum licebit) per temporis angustiã studendum Inunctionibus videlicet. Pulueribus cephalicis. Sacellis. Ceratis, vel etiam sinapismis. Aut inustionibus tribus supra coronalem commissuram vsque ad os exclusiuè. Atque suffumigijs huic operi destinatis. Necnon conseruis capitalibus. Theriaca, siue mithridatica confectione dormituro ægrotanti de more propinatis. His accedunt & medicamenta pulmones roborantia, tùm manifestis, tùm etiam occultis qualitatibus. Quibus sine mora imperatis, & ab ægrotãte tempestiuè, vt decet, receptis: de præseruatione, atq; de futura etiam salute non est diffidendum: modo tussis impetus, & vehementia infrænari possit. Certè pulmonum vlcuscula initio interdùm etiã curationem admittunt. Præseruationi nõ impetratæ; sordidi iam facti vlceris curatio succedit, in qua Thoracicas par-

tes lenire oportet ad sputamina promouenda. Crassam quin etiam pituitam in pulmonibus conceptam attenuandum & incidendum. Pus, & saniem detergendum. Vlcus siccandum, atque glutinandum, uiresq; refouendum, auertendum catharrum, & firmandum cerebrum: Opus sanè valde difficile, & quasi præpeditum. Etenim vlcus quietem, pus autem & sanies repurgationem per motum, & tussim requirit: spiritus, qui inspirando ducitur tabificam in pulmonibus vlceratis qualitatem acquirit, vndè corde compatiente vniuersum pariter corpus contabescit. Halytus etiam à sordido vlcere elatus febrilem in corde calorem continuò fouet, & accendit: idq; eò valentius præstat, quò spiritus minus alacriter æditur, pulmonibus præ imbecilitate non æque facile sequentibus. Adde quòd membra omnia, quæ progrediente morbo impensè extenuantur, siccanturq;, interna, & externa humectantia postulant: vlcus verò exiccantia: Vlceratæ enim partes perpetuò nimis madent: vt scriptum reliquit Hipp. in lib. de Vlceribus. Nec integris viribus medicamenta eò deduci possunt. Illud etiam curationi difficultatem addit, quòd medicamenta, quę deorsum expurgant, hic sunt suspecta: quoniam & corpus extenuant; & materiæ motu altè reuocato, sputa ne promoueantur, sunt impedimento. Licet fluente materia, quæ clementer subducunt vtiliter propinari possint. Quemadmodum & venæ sectio, viribus consentientibus imperari potest: quando noua venæ apertio metuatur: aliàs enim vlcere iam confirmato est suspécta valde. Aegro autem periclitaturo, tria præcedere solent mortis futuræ necessaria signa. Sputū grauiter olens. Alui profluuium. Et casus capillorū. Scribente Hipp. & Gal. Aph. 5. Aph. 11. 12. & 14. Nec non lib 7. Aph. 16. Tunc autem ex eo perit Aeger, quoniam & materiæ copia: & virium imbecilitate, & interdùm adstringentiū medicamentorum immoderato vsu cohibita per sputum excretione, tandem suffocatur. Nihilominus cum nec vlcus consumatum, nec tabes absoluta, nequè etiam febris hectica confirmata hic locum habeant; curationis præcautionisq; ratio iàm præscripta alacri animo obseruari debet. Quòd, si hęc vitia magis, magisq; indies augerentur; in præscripti tunc casu: lenitioni saltem, atq; vitæ producendæ, pro viribus insistendum esset: indicationibus, scopis, & operibus iam propositis. Quorum præcipua compendia tria cum sint (monente Gal. 1. Meth. Med. cap. 6.) Viuendi ratio. Lactis, & aquæ dulcis lauacrum; de his pauca quędam, eaq; maxime necessaria perstringam, ac finem dicendi faciā. Ergo victus ratio humectans, quadantenus refrigerans, multumq; reficiens perpetuo est retinenda. quamobrem in cibis & potibus quinque desiderantur. Videlicet vt coctu sint facilia alimenta; boni succi. Lentoris quidpiam habeant: vt partibus, per quas distribuuntur, hæreant, nec celeriter digerantur. Refrigerandi facultate aliqua polleant. Multum

Pulmonis vlcus sanare cur difficile sit opus.

In vlceribus pulmonis cur medicamēta quę deorsū expurgant sint suspecta.

Aegro ex pulmonis vlcere periclitaturo tria prę cedunt.

Indicationum curatiuū tria compēdia ex Gal.

In cibis, et potib. quę desiderentur.

Vinū cur non denegandum.

alere valeant; atq; tùm actu tùm potentia humida ſint. Ob id vinum pauciferum, ſubdulce optimèq; defæcatum, & aqua ordei attemperatum vbi febris non admodum vrgeat nunquam denegandũ: quòd in ſanguinem & ſpiritum celerrime tranſmutetur, ſitim extinguat vlcerisq; ichorem detergat: ita vt alimentum, potus & medicamentum iure cenſendum ſit. Porrò autem decem ferè obſeruo ego, quæ huic operi opportuniſſima ſunt, quippeq; & medicamenti & idonei alimenti facultatem retineant. Teſtudinis nemoralis carnes in aqua hordei elixæ. Gammarorum, & Cancrorum pluuuialium carnes in lacte vaccino excoctæ. Vitulorum teneriorum capitis, & pedum caro cum lactucis & endiuia excocta. Mel crudum, vbi magis detergendum: coctum autem quando agglutinandum. Vnde ex lib. 1. aquæ hordei & vncia cum dimidia mellis, idonea potio paratur. Saccharum roſaceum recens pariter, quoties maiori deterſione eſt opus; antiquum vero ſi glutinandi præualeat conſilium. Limaciarum quoq; carnes in iure pulli gallinacei cum lactuca, endiuia, & farfara probè excoctæ. Vinum ſubdulce propter aſſignatas iam cauſas. Ptiſana hordeacea cum emulſione ſeminum mellonum, amylo & diadragantho. Lac primum muliebre: dein aſininum, caprinum, bubulum, & ouile. Aſininum quidem lac, cum ſeroſum magis ſit, ad detergendum magis etiam conducit: Vaccinum vero ad glutinãdum: præſertim ſi vel vſtulatum, vel cum aqua pluuiali excoctum exhibeatur. Sed in huius tàm generoſi medicamenti vſu quatuor perpetuo ſunt obſeruanda. Videlicet quòd nulla putridæ febris intenſioris, hecticæ coniunctæ excuſatio impediat. Caput non doleat. Ventriculus nec impensè calidus, nec admodum frigidus ſit. Neq; venter flatuũ copia diſtendatur. Hac profectò cautione, lac præcipue muliebre è ſane fæminæ mamma vnà cum ſpiritu & vita ſuctum omnium præſtãtiſſimum pro tabidis auxilium ab omnibus ratione & experientia ductis iure cenſetur, Hipp. & Gal. teſtibus Aph. 5. Aph. 63. Et quoniã duo curandis Ptyſicis omnium opportuniſſima ſunt præſidia: lac iã dictum, & aquę dulcis balneum ex Gal. decretis 7. Meth. Med. cap. 6.; ignorandum non eſt aquæ dulcis lauacro triplicem ægrotanti vtilitatem comparari. Nam corpus vniuerſum aquę tepentis contactu immediatè, & per ſe humectatur. Sanguine etiam & ſpiritibus ad carnes reuocatis refouetur, & madeſcit. Siq; etiam fulginoſa excrementa intus fluctuent, huius lauacri vſu per halytum digerũtur. Modo nulla ſanguinis iterum fluxuri ſuſpicio remoretur. Ergo poſitus æger in linteo, quod à duobus firmiter teneatur. Viribus conſentientibus in aquæ dulcis tepentis balneo, quarta, vel tertia horę parte, manè, & veſperi duabus horis ante cibũ immergatur. Atq; ſtatim egreſſus totus illinatur, vel oleo amygdalino dulci, vel butyro recenti. Poſtremo ijs omnibus, quæ medicinã facientibus ſunt nota, tria mihi

Tabiclis alẽdis decem maxime opportuna obſeruantur.

Quę obſeruãda ſint in vſu lactis.

Lac muliebre tabidis optimum.

Curandis ptyſicis duo pręſtãtiſſima p̃ſidia.

Aquę dulcis lauacro quę vtilitates tabidis comparentur.

hi admodum familiaria medicamenta addam. Primum & parti affe-
ctę, & affectui quoque ipsi conuenientissimum est. Pręterquam
quod ad Marcorem, & refouenda membra consumpta maxime est
idoneum: est autem huiusmodi.

Maxime tabedis cō sentanea medica-mēta tria addūtur.

Recipe Amygdal. dul. mundatarum vnc. 2.
Strobilorum recentium
Pistaceorum præparatorum
Passularum mundatarum in aqua Rosarū contusarū
Seminum mellonum munda. } an. vn. 5.
Carnis Capi modici elixæ
Carnis Testudinis nemoralis integrè coctę } an. drac. 6.
Amyli
Diatragachanti } an. dra. 1.
Cinnamomi scrup. 1.
Sacchari albissimi dissoluti in aqua rosarum q. s. & fiat confectio
in morsellis in prima mensa de more deuorandis.

Alterum Recipe lactis vaccini a quo butyrum sit extractum, vnc 8.
Asseruetur horis sex noctu sub dio: Dein fortiter agitetur, ac despu-
metur: cui adde boli armenæ drac. 2.
Seminum vrticæ
Cinnamomi } an. scrup. 5.
Sacchari rosati vnc. 5. & singulis octo horis ęgrotanti propinetur.

Hoc quippe medicamentū deploratis, qui vel vruntur, vel relegātur
ad mare, magnopere contulisse non semel tantū sum expertus. Ter-
tium, postremumq. medicamentum ex inuētione nostra. Quod qui-
dem refouendi, detergendi, vlcus agglutinandi, atque ēt catarrhum
& tussim cohibēdi simul egregiè obtinet; somnūq. cōciliat. Tale est.

Recipe Sacchari rosati veteris
Conseruę violarum recentis } an. vnc. 4.
Trociscorum Carabæ
Ossis de corde cerui
Boli armenæ
Margaritarum non perforatarum
Pimpinellæ
Pulmonis vulpis præparati } an. drach. 2.
Cinnamomi
Opij
Hyoscyami albi } an. scrup. 1.

Cum syrupo violato. q. s. fiat Electuarium, cui adde foliorum au-
ri purissimi num. 5. cuius drachmæ tres vel quatuor dentur horis tri-
bus ante cœnam. Deinde superbibat aquę pimpinellæ stillaticiæ vn.
4. Proderunt interim suffitus ex sacchato & vngula caballina. In to-
picis exigua vis est, quoniam pulmones altius latitant. Si tamen spu-
tum

tum euocandum sit, quod exspirandi difficultate intelligetur; Thorax antrorsum, & retrorsum lenientibus huic operi destinatis illinatur. Opitulatur etiam terebinthinæ cum puluere ireos frequẽs vsus quæ exhibetur ex ouo sorbili. Ad quæ summa præsidia, si deueniendum sit, præ cæteris Cœlum mutandum erit. In diuturnis enim malis terram commutare vtile. Sexto de Morbis vulgaribus. Sed syluæ quæ picis, resinæque gratia raduntur salubriores sunt, quàm nauigationes à pluribus comprobatæ. Saluberrimus etiã est aer perspicuus ad siccum vergens qualis est in thabiensi Regione; ad quam veteres Romani Medici tabidos mittebant.

Cęlũ prę cęteris mutare ĩ diuturnis morbis maximè expedit.

De morbo Comitiali pro Perillustri Comite Georgio Cacciaguerra, Consultatio II.

Morbi essentia.

PErillustrem, & Nobilissimum Adolescentulum Morbo Comitiali sex abhinc Mensibus circiter laborare ex litteris ad Vrbem nobis demandatis citra vllam controuersiam colligere possumus. Quandoquidem cadere, contorqueri, fortiterque conuelli, & mente intercipi cum sensuum oblæsione, Aegrumque timere interdum, & quasi terrore percitum clamare (quæ symptomata Nobilissimum Adolescentem octauo se è quoque die occupant) Epilepsiæ certissima sunt signa. Nec obstat, quòd in accessione spuma ex ore non emittatur: nec alui, aut vrinæ excrementa sponte excernantur: hæc enim morbi Comitialis signa quidem sunt, sed assidentia, nõ autem morbum necessario comitantia: quippe quę affectum grauiorem esse significent. Quemadmodum Rasis ad Almansorem lib. 9. Cap. proprio plane ostendit. De cuius quidem causis generationis, modo, ac loco non eadem est Medicorum sententia: quam quidem litem dirimere præsentis instituti non est. Affectus ergo propositi causam interiorem in Perillustri Laborante reijciendam esse puto in frigidos, pituitososque humores in Cerebro ex immoderato illo sanguinis è naribus prægresso fluore cõgestos: nec non in succos etiam aliqua ex parte biliosos a calidiore iecinore capiti delegatos (calidi enim a natura temperamenti censetur Adolescens) qui quidem propter inimicam aliquam intemperiem ita permutantur, vt perniciosos, atque a toto substantia cerebro aduersos, venenatosque halytus emittant, qui cerebri substantiam ita feriant, vt eius facultas expultrix humoris, vel vaporis venenata qualitate excitata, id quod inimicum est, dum expellere nititur, cerebri corpore in se se coacto, indeque eius ventriculis collisis, & quasi conniuentibus, spiritui ad neruos non pateat aditus. Quare non est mirum, si, & sensitricis, & principis facultatis functiones intercipiantur, membraque neruis contractis conuellantur. Ad curationem nunc accedam, in qua duo tempora

Signa.

Affectus causa interna.

pora

Curationis initiũ & quæ in ea sint obseruanda.

pora maximè obseruanda. Insultus vnum. Intermissionis alterum. In priori danda est opera, vt quàm citissimè accessio soluatur, quod quidem obtinere non est difficile, si membra extendãtur, vincula do lorifica brachiorum, & crurum articulis administrentur: cucurbitulæ cruribus, coxis, & natibus affigantur. Theriaca, & Mythridatica confectio in os indantur: in aures, & nares oleum rorismarini, aut anisi, quæ coronali, etiam illiniri poterunt. Clysteres etiam acriores, cùm in ipsa accesisione, tùm etiam extra accesisionem vtiliter inijciũtur.

Accessionis remedia.

Intermissionis tempore quid agẽdum.

Intermissionis tempore totis viribus incumbendum, ne Paroxismus repetat, tùm congrua victus ratione diligenter obseruanda, tùm corpore iterum, atq; iterum purgato frigidam humidamq; intempe riem cerebri, & iecinoris calidam corrigendo, simulq; redundantes prauos in cerebro humores, partim euacuando, partim aliò deflectẽdo. Quos quidem scopos licet consequi difficilimum sit opus ob affectus per se contumaciam, & vetustatem; prorsus tamen diffidendum non est, quin & omni in obsequendo Perillustris Iuuenis perseuerantia, & præscribendorum auxiliorum continuato vsu, ab hac molestia liberari valeat: præsertim cum morbus hic solui consueuerit in masculis, cum semen emittere incipiunt: quod quidem tempus si excesserit desperata res est, quòd impressa maligna in cerebro qua litas adhuc manet, quę naturę beneficio emendari non poterit. Itaq; ad peritissimos Medicos spectabit curationem quãprimùm alacriter aggredi: quos quidem cum & hac in re, & in omnibus alijs peritissimos, diligentisimosq; futuros esse non ignoremus, omnia, quæ ad victus rationem instituendam pertinent consulto prætermitemus. Illud tamen vnum minime omittentes; nempè Cœli mutationem in morbis diuturnis, & contumacibus maximi esse vsus: quamuis salubri etiam Aere ægrotans fruatur.

Prognost.

Ad pharmaciam spectantia nonnulla medicamenta.

Nunc transeo ad aliorum medicamentorum vsum, in quo eorum formam, & mensuram non describam, sed summa duntaxat agendo rum capita attingam; quòd persuasum habeam Peritissimum, vigilantisimumq; Medicum, qui curæ præest cuncta prudenter admini straturum esse. Purgatione igitur hoc tempore peracta humorum peccantium opportuno præhabito apparatu ligni Guaiaci, & Visci quercini cum santalorum rubrorum portiuncula, & seminum, radi cumq; Peoniæ modico decoctum, quindecim, vel viginti dies cum victus ratione compari sumptum, multùm profuturum sperarem. Interim tertio, vel quarto quoque die vomitus a cęna prouocandus, in quo capitis repletionis incommodum minimè metuendum erit, si facilis ad vomendum sit Aegrotans. Repetita ex pilulis Cochijs addito Castoreo purgatio, caputpurgia, suffumigia, Theriacæ, & Mythridati portiuncula aliquot horis ante cibum data, & consimilia omittenda non sunt. Quæ etiam à tota proprietate valent huic affe-

ctui

ctui accomodata non sunt negligenda. Ex quibus omnibus Confectum quoddam medicamentum nostrum sæpius fæliciter à nobis vsurpatum hic describere non grauabor. huiusmodi autem est.

Recipe Seminis Peoniæ
Cranei humani combusti } an. drach. 2.
Anthos
Corticis Citri
Visci quercini
Tormentillæ } an. drach. 1.
Ramenti Eboris

Misce & in puluerem redigantur. Cuius drachma vna cum aquæ peoniæ vncijs quatuor ieiuno ventriculo sex vel septem diebus continuis ante diem futuræ accessionis consuetæ propinetur. Quòd verò ad opus Chirurgicũ spectat, priore præhabita purgatione, vena (hoc præsertim Veris tempore) è malleolo incidenda ad reuulsionem comparandam. In quem scopum exiccantia etiam medicamenta cruribus admouenda consulimus. Nec non Cauterium inter primam & secundam vertebram inurendum, vt à cerebro deriuatio habeatur. Quibus præsidijs malo non cedente rubificantia medicamenta collo prope scapulas detenta, donec vessicæ excitentur, primum in hoc opere obtinent locum: quoties cerebrum per se laboret. Hæc pro salute Nobilissimi Adolescentis ex tempore excogitauimus. Quæ salutaria Perillustri Iuueni contingant Deum precor.

Chirurgica præsidia.

De Capitis Dolore graui, & contumaci pro Perillustri Domino Thoma Cospio Senatore Præclarissimo, Consultatio III.

DOlor totius Capitis dimidiæ partis, sinistræ nempè, nec non Ceruicis partium eiusdem lateris subiectarum, qui Perillustrem Virum multis ab hinc diebus vehementer, ac perpetuò affligit, licet ex interuallis exacerbetur magis; symptoma, videlicet in genere actionis facultatis sensitricis deprauatæ, triplicem morbum, veluti proximam immediatamque causam consequitur: nimirum continui solutionem, quæ ex cute in tumorem eleuata visu, & tactu deprehenditur. Frigidam intemperiem cum materia, tùm melancholica, tùm pituitosa. Quam quidem complura simul commonstrant, videlicet causa prægressa externa, capitis scilicet concitato motu immodicè excalefacti, dein frigidioris aeris importunitate mutua quædam alteratio, anni tempus, hyems nempè, ætas inclinans, laborantis temperamentum ad frigidum, & humidum (quòd ad Caput præsertim attinet) cum humorum melancholicorum subdominio, affectus vetustas: dolores enim, dicebat Hipp. Sexto de Morbis Vul. Sec.

Affectus essentia.
Quos morbos sectatur.
Signa affectus.
Laborãtis tẽperamẽtum.

prima

prima Tex. septimo, in Cranone Veteres omnes frigidi erant, hoc est à frigida causa oriebantur: Nec non facies decolor. Scribit enim Hip. in Lib. de Humor. quòd quæ proxima, & vicina sunt, itemq; communia primùm, & maximè coafficiuntur. Nec obstat, quòd interdum affectæ partes, & rubeant, & caleant, ac tunc frigidis gaudeant: nam doloris vetusti occasione, tenuior sanguis ad partem dolentem prolicitur, cuius præsentia, & rubet, & calet locus affectus: sed isthæc duo symptomata breui admodum post tempore delitescunt: aliàs verò semper calidis iuuatur. Hinc deprehenditur, & tertius morbus doloris con causa, calida intemperies cum humore: propterea mirandum non est, si dolor excitetur interdum adeò sæuus, & acerbus, quippe qui præter partium affectarum distentionem, inæqualem etiam intemperiem frigidam nempè, & calidam sequatur: huiusmodi autem inæquales intemperantias dolore maximè partes cruciare facilè experiuntur ij, qui manus cõtractata niue refrigeratas igni exponunt. Preterea cum cutis laborantium partium interdum manifestè attollatur, dein temporis quasi momento deprimatur, crudioris cuiusdam flatus partes distendentis, certissimum inde argumentum intelligitur. Vtrum autem, & flatus hi, & humores morbifici in parte, ob eius imbecillitatem, gignantur, vel aliunde affluant, diligenter expendendum: quoniam hoc non pauci est momenti ad curationem instituendam. Quod quidem sic stabilire licet. Etiamsi Perillustris Viri Hepar, cerebrum, Cor, & Ventriculus, itemq; Hypocondria benè valeant; ab vniuerso tamen corpore Cacochimia quadam laborante ob dolores, & vigilias vniuersam coctionem vitiantes, superuacanea recrementa in laborantes capitis partes affluere possunt: palam enim est morbos ex interuallis quibusdam recurrentes fluxionis alicuius soboles esse. Sed ob id negandum non est, materiam morbum facientem vitio partis laborantis, ex longa patiendi consuetudine imbecillioris redditæ, magna etiam ex parte, ibidem accumulari. At verò non partes capitis internas, sed extra caluarium affici, ex eo deprehenditur, quòd dolor ad occulorum radices minimè extenditur, & cuti ea in parte digitis pressa acerbior suscitatur dolor, materia nimirum concepta, nõ solùm inter carnem, & cutim, sed etiam inter Cranium, & Pericraneum: ex cuius quidem distentione vehemens dolor concitari solet. Rursus, dubitare hic quis posset. Num caries ossis, vel praua quædam, & maligna qualitas cõmemorati doloris causa esse possit. Ossis catiem ibi non adesse, illud certissimũ est argumentum, quòd dolor hic non est paruo loco circumscriptus, se vniuersam capitis sinistram partem vnà cũ subiectis eiusdem lateris ceruicis particulis: caries autem in osse contracta dolorem duntaxat ea in parte promouet. At de praua morbificæ causæ conditione, quam (malignitatem appellant) mea quidem sententia non est dubitandũ: quan-

Cur partes frigida causa dolẽtes interdũ rubeãt et frigidis gaudeant.

Cur sæuus interdum dolor excitetur.

Dolorem partib. afferre inæquales intemperantias exactè demonstratur.

Pars affecta.

Dubit.

Solut. dubitationis.

quādoquidem affectus tot generosis præsidijs ex Arte adhibitis nusquàm cedentis contumacia, certissimum est malignitatis cuiusdam indicium. Et de affectu; de sedibus affectis: atque de causis, & internis, & externis hactenus. Quid autem de morbi euentu tempore, & modo præsagiendum sit, nunc subijciam.

Prognost. Si Perillustris Laborantis vires quæ satis validæ sunt, spectemus, itemque corporis habitum satis a natura firmum, atque etiam partes laborantes; quæ cum externæ sint, nullum tenent principatū: etiamsi ætas inclinet, non possumus nisi sperare forè, vt ab hac molestia tandem liberetur: sed tempore quidem longiore: morbifica enim causa, ætas inclinans, temperamentum a subdominio melancholicum, hęc omnia longum morbum cumulatissimè indicant. Quòd autem ad euentus modum attinet: cum scriptum reliquerit Hipp. Aph. Sexto Apho. 10. Dolente capite, & grauiter laborante, si sanguis, vel aqua, vel Pus, per nares, aures, aut os effluat, morbum soluit: quis fortasse conijcere possit affectum præter naturam in Perillustri viro, vna, vel pluribus hisce euacuationibus solutum iri. Quod quidem ego nusquàm prędicere auderem: propterea quòd noxij humores non internas, sed externas duntaxat capitis partes extra caluariam occupent: licet me non lateat venas etiam iugulares externas conscendentes intra caluariam in cerebri substantiam sese insinuare. Neque etiam futuram pertimesco morbi solutionem per abscessum, vt in alijs diuturnis morbis obseruari solet: quoniam materia morbi causa proxima frigida est, nèc paruo vno loco circumscripta, sed per plures partes dispersa, quæ accedit, & recedit, calidioribusq; fotibus, quinetiam celeriter, & promptè, ita interdum dissipatur: vt sperare possimus sanationem tandem futuram peccantis materiæ resolutione sensim facta, tùm à natura, tùm etiam medicamentorum opera. Id autem, vt ex voto, quàm celerius fieri possit, succedat.

Cur præsens affectus per abscessum nō sit soluendus.

Curationis initiū. Victus rō. Pharmacia. In primis studendum est, ne pituitosa, melancholicaq. excrementa in corpore vniuerso ingenerentur. Quòd quidem sola recta pertinaciq; vitæ ratione, tenui nempè, & attenuāte, ad calidum, & siccum declinante, commodè præstari poterit. Interim quæ adhuc recrementorum reliquiæ in toto subsistunt, excludendæ veniūt, tùm phlegmagogis, tùm melanogogis ex interuallis quibusdam imperatis: qualia sunt pilulæ de hiera cum Agarico, Mirabolanorum indarum, & chebularum decoctum, Senæ Orientalis foliorum infusio, & eius generis alia: præhabita eorundem humorum superuacaneorum præparatione ex melle rosato, Oxymelite syrup. de Bettonica, syrup. de fumoterra, & cum similibus.

Chirurg. Rursus, quę interim accumulabuntur (licet minori copia) excrementa auertenda erunt, quòminus in capitis sedes affectas decūbant: idq; partium infernarum frictionibus manè, & vesperi ante cibum

exer-

exercendis, sinistri cubiti venæ communis sectione, cucurbitulis pariter absque incisione admouendis; Clysteribus, vel etiam acrioribus: interdum purgatione iam dicta per vices repetita, atque malo non cedente venæ frontis sectione, quòd in capitis posteriorem partem magis declinet, & hoc tùm reuulsionis, tùm deriuationis gratia Vlcere in cruris etiam dextri parte interna paulò subtus genu excitato, diuq; aperto detinendo. Quòd si alterum in altero etiã brachio sinistro, videlicet infigeretur, multùm profuturum sperarem. Ad hęc vesficantia quoque scapulis, vel brachijs applicata ad eundem auersionis scopum obtinendum maximè conferre, nemo est qui ignoret. Hyrundines quoque venis, quæ in sede sunt admotæ in eundem scopum feruntur.

De Caputpurgijs, nihil habeo, quod proponam, cum compertum sit vitium nullum capitis interiora exercere; sed omne malum in partibus extra cranium subsistere. Verùmenimuerò si adhuc dolor magis magisq; indies sæuirer, setonem magis in occipitio, quam Cauterium profuturum sperarem, quòd hoc ab internis, ille verò ab externis partibus noxium humorem detrahat. Atq; dùm hæc peraguntur, Sarzæ pariliæ, cum modico ligni guaiaci, decoctũ de more dies aliquot sumendum, maximam opem allaturum non diffido, ad consumendas superuacaneorum humorum reliquias. Qualia autem oporteat esse topica remedia ex iam enarratis satis constat; Anodyna primùm, dein quæ calore moderato, partes laxare, & rarefacere, pariterq; frigidos humores impactos extenuare, simulq; per halytum digerere valeant. eaq; tum simplicia, tum composita; erunt autem huiusmodi Aqua vitæ, ol. ex terebinthina, Belzoinum, Oleum ex nuce Miristica, Oleum costinum, Oleum ex Euphorbio, styrax calamita, Oleum irinum, Oleum rutaceum, Oleum de spica, & Theriaca extrinsecus admota ad superandam affectus malignitatem, si quæ subsit malignitas. Ex quibus selectioribus ceratum hunc in modum parari poterit.

Caputpurgia cur nõ proponantur.

Topica medicamenta.

Recipe Styracis calamitæ vnc. 1.
Olei Irini vnc. 5.
Olei de Euphorbio drach. 2.
Theriacę veteris drach. 1.
Ceræ q. s. & fiat Ceratum, quo singulis sex horis locus illiniatur. Vel

Recipe Radicis cucumeris syluestris minutim incisæ, & crasso modo contusæ vnc. 1.
Bulliant in Olei Keirini vnc. 10. ad consumptionem quintæ partis; deinde colentur forti facta expressione, & percolato adde
Castorei
Absinthij pulueri zati } an. drach. 1. s.

Euphor-

Euphorbij drach. 1.
Spicæ nardi pulueriz. scrup. 2.
Croci scrup. 1.
Ceræ q. s. & fiat linimentum.

Hoc solo linimento capitis internos, & externos dolores diuturnos, vel etiam contumacissimos, repurgatis prius publicis vijs persæpe sanauimus. Demum dolore adhuc recurrente, cutis sedi affectæ præposita, tribus, vel etiam pluribus locis Hipp. more, inuratur.

Communes fotus ex simplicibus Anodynis, & resoluentibus ordine primo calidis, cuique, vel etiam mediocriter in Arte erudito notissimos lubēs prætermitto. Cæterum quoniam in morbis diuturnis viscera omnia, ac præsertim caput labefactantur, cōdita aliqua roborandis viscerib. accommodata præscribenda erunt hunc in modum.

Recipe Conseruarum Anthos
Rosarum
Florum Boraginis
Florum Cichorei } an. vnc. s.
Specierum Electuarij de gemmis drach. 2.
Syrup. de pomis vnc. 1. s. Misce, cuius vncia media mane, & Vesperi hora vna, vel altera ante cibum deuoranda offeratur. Iam verò illud monuisse volo, quòd quoties dolor vsque adeo sæuiret, vt vires prosterneret, tunc omnem prescriptam Methodum inuertere necessum esset. Symptomati enim eo in casu primum vacandum est, nō quà symptoma; sed quà aut offensarum virium, aut noui cuiusdam affectus causa esse posset. Verum quoniam ea curandi ratio maximè expetenda est, qua vna eademque opera pluribus medemur: maximè opportunum erit remedium, quod, & dolorē sedare, & causam expugnare simul eodemque tempore poterit. Quale est nostrum hoc Linimentum.

Dolore ad iuriū consternationem faciente, q̄d agendum.

Recipe Olei Camœmelini
Olei Irini } an. vnc. s.
Spicæ nardi scrup. 1.
Opij
Croci } an. gr. v.
Ceræ q. s. & fiat linimentum.

Narcot. Quin etiam, vrgente necessitate, ad Narcotica tandem confugiendum, vt

Recipe Philonij Romani scrup. 1.
Theriacæ nouæ scrup. 2. Misce fiat bolus, quem capiat hora somni: alias autem ad roboranda viscera, veteris potius Theriacæ vsum commendamus.

Tot proponenda videbantur pro salute Perillustris Viri, quam à Deo opt. Max. etiam atque etiam imploramus.

De sanguinis è Naribus quotannis eruptione pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Cardinali Iustiniano, Consultatio IIII.

QVam sit sagax, & industria natura, vel hinc facilè conijcimus, quòd sponte sua superabundantem humorem pellit, atq; expurgat. Idque varijs modis: Mulieribus enim singulis Mensibus sanguinem superuacaneum per venas, quæ vtero committuntur vtiliter profundit: alijs autem per venas hæmorrhoides dictas: quibus præsertim sanguis melancholicus, & fæculentior superabundat: nonnullis etiam, qui calidiore, & sanguineo temperamento sunt præditi, sanguis è naribus, vel etiam a primis annis ad consistentis ætatis finem vsque, ex naturæ præscripto statis quibusdam temporibus fæliciter erumpit, vt adnotauit Celsus Lib. 2. Capit. 7. Quod quidem Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. accidit; quippequi sanguineo admodum, & calido præditus temperamento, quod ad hæpar, Cor atque vniuersum corporis habitum spectat, ab ineunte ferè ætate sua vsque ad quadragesimum quartum, quem nunc agit annum; vere ineunte, & Autumno singulo quoque Anno sanguinis è Naribus fluorem dies aliquot, moderatè tamen experitur. Cæterùm quoniam non Autumno præterito (vt mos antea erat) sed Ianuarij Mense consueta hæmoragia cœpit, & iàm quinquagesima dies ferè agitur, ex quo sex, octo, interdum etiam decem plus minusue sanguinis vnciæ quotidie è Naribus prodeunt, copia nempè multo vberiore quàm antea; in dubium vertitur, num hic fluor sit cohibendus, vel opus hoc vniuersum naturæ rectè operanti dimittendum. Posteriorem quæsiti partem plura confirmare videntur argumenta. Quandoquidem licet sanguinis per nares excretio non sit secundum naturam, & symptoma in excretorum genere dicatur, in quo Nares malè affici à Gal. Lib. 3. de comp. Med. sec. locos. Cap. 4. statutum sit: quatenus tamen naturæ superabundantem sanguinem vtiliter euacuantis motum sequitur, tempestiuèq; fit cum tolerantia, & conferentia, neque ea copia sanguis hic egrediatur, quæ vires deijciat, excretio talis secundum naturam dici potest: ideoque impedienda minimè videtur. Quinimò eam potius salutarem esse ex Hipp. decretis Lib. 5. Aph. 33. clarè patet. Proinde Celsus Lib. 2. Cap. 7. doctè admodum monet huiusmodi hæmorrhagiam naturæ præscripto à primis annis sequentem ad quadragesimum vsque annum non esse supprimēdam: cęterum si ante hunc terminum cohibeatur, multa mala sunt in mœtu, & periculo, ac præsertim artuum dolores, humore superabundante ad infirmiores partes recurrente: Nec obstat, quòd Illustrissimus, & Reuerendissimus D. quadragesimumquartum agat annum, quoniam

Varijs modis superfluos humores excernit natura.

Historia morbi.

Aegrotātis temperamentū.

Dubitatio.

niam ætates vſque ad certum terminum, non annorum numero, ſed temperamentis diſtinguntur. Iam verò oppoſitæ aſſertionis argumenta expendenda. Quæ tria potiſſimùm ſunt. Primum à ſanguinis profluentis vberiore nunc copia, quàm annis prægeſſis deſumi poteſt. Sed hoc non cogit argumentum: quoniam huius largioris hoc anno fluoris cauſam in præſentis Hyemis inclementiam, inſignem nempe frigiditatem continuam, atque etiam nunc perdurantem: ad hunc enim effectum duplex compendium attinet: Antipariſtaſis; & humorum per halytum conſueta digeſtio impedita. Quo fit, vt ſanguine ſuperabundanti in carnem etiam commutato, corporis totius Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini moles cum firmitudine cõgrua, & laudabili, interim augeri videatur; euidens plenitudinis argumentum. Alterum obiectum à totius corporis cutis colore nonnihil ad ſubliuidum permutato ducitur: Tertium verò, ac poſtremum ab excreto ſanguine bilioſo quidem, ſed paucis ab hinc diebus ſeroſiore. Sed neutrum horum obiectorum vrgere videtur: etenim iſthæc duo veluti ſymptomata quædam, alterum nempè in qualitate mutata; alterum vero in excretis; Iecinoris refrigerationem, aut facultatis ſanguificatricis infirmitatem minimè ſequuntur: quòd vitium omnium robur egregiè perſiſtat: ſed à vitio potius in obiecto proficiſcuntur. Nam, & cibis quadrageſimalibus vtitur, & ieiunij cauſa, aqua libentius, quàm vino. Cùm itaque natura ita comparatum ſit, vt ſanguis copia, & etiam cacochimia ſimul peccans, per vias magis idoneas, quales ſunt narium venæ primum, dein hæmorrhoides appellatæ, ad hominis commodum excernatur; proinde hemorrhagiã amat Hipp. Aph. 5. 33. in Mulieribus, quibus menſes defecerint. nulla ratione ſanguinis, hic fluor cohiberi debet in Illuſtr. & Reuer. D. in quo ſanguis non ſolum ſupra modum abundat; verum etiam, & multa iugiter bile refertus eſt. Atque hæc ſunt, in quibus Medici, vel etiam periti ſſimi fluctuare poſſent. Verumenimuerò, quoniam obſeruaui ego non ſemel tantùm in huiuſmodi ſanguinis fluxionibus ex naturæ etiam præſcripto, diutius tamen progredientibus, & expultrice facultate immodicè irritata, & oris vaſorum nimium patentibus; naturam ita à mediocritate deflectere, vt sãguine ſupra modum profuſo, omnia ea mala ſuccedere, quorum meminit Galenus Aph. 2. Comm. 22. Hemorrhagiam hanc auxilio aliquo infrænandam cenſeo. Noui ego Nobiliſſimum quendam Polonum in Vrbe degentem, cui cum forte fortuna ſuperioris mandibulæ dens eliſus eſſet, illincque ſanguis veluti è gurgite quodam maxima copia fluxiſſet; deinceps annis ferè quinque per interualla quædam repeteret: vnde artuum dolores, quibus antea vexabatur, & ferinam quandam ſcabiẽ, ſatis illi antea familiarem interim non amplius experiretur; tandem ex longa in itinere inſolatione, conſueto correptus fluore, ſed vſque

Argumẽta nonnulla expẽdũtur, & ſoluuntur.

Poloni hiſtoria.

adeo

adeo copioſo, & contumaci, vt medicamentis, vel etiam generoſis vix ſupprimi potuerit, in Cachexiam primum, poſtea in hydropem Iecinore refrigerato incidit. Hæc Hiſtoria à me nunc recitata eò ſpectat, vt meum propoſito in caſu conſilium explicem, nimirum quòd cum nihil proſit (vt Poeta inquit) quòd nō lędere poſſit idem; ſanguinis fluxionem quācunque alias etiam ſalubrem, diutius tamen perdurantem, ſuſpectam, timoroſamque eſſe; ideoque minimè contemnendam. Ora enim vaſorum ex longa patiendi conſuetudine nimis reſerata, atque ex humiditate molliora infirmioraque reddita, omni rerum externarum, vel etiam internarum importunitate accedente, ſanguinem ſupra modum ad hominis perniciem effundunt. Ergo fluor hic prorſus reprimendus? nequaquam. Periculum.n.aut tabris, aut hydropis impenderet ex Hipp. decretis Aph.6. Aph.12. tabis quidem, vitioſorum humorum copia à Iecore ad partes ſpirituales detruſorum, hydropis autem innato calore humorum copia oppreſſo, & ſuffocato, iugiterque fruſtrata ſanguificatricis facultatis functione. Melius enim eſt ſuperabundantē ſanguinem, & vitioſum ſimul quacūque foras erumpere, quàm intus grauiſſimos morbos alere. Quid ergo hic faciendum? prophilactice, cuius officium eſt cauſas morbificas morbum facturas declinare, vtendum.

Propterea danda erit opera in primis, nè ſanguis ſupramodum augeatur. Auerſorijs vtendum erit auxilijs. Bilioſis humoribus blando medicamento purgandis incumbendum. Atque vaſa, venæ videlicet, & Arteriæ cerebri, eiuſdemque membranarum, nec non quæ à palato in nares perreptant, ex quibus ſanguis per nares exorbitat firmanda, roboranda, & mediocriter adſtringenda erunt. Quos quidem ſcopos aſſequi haud difficilè erit; cum res agatur cum Illuſtriſſimo Viro prudentiſſimo omnia illi præſcribenda ad vnguem ſeruaturo: cumque in ea ſit ætate conſtitutus, qua, & ſanguinis feruor remittitur, & bilis minori gignitur copia. His accedit, quòd nonnullis ab hinc diebus hæmorrhoides nonnihil ſanguinis effundere incipiunt. Vnde inſignis auerſio ſperanda. Et quoniam totius propoſiti operis compendium in congrua victus ratione eſt poſitum; de hac priùs agendum. Omnem ergo aeris inclementiam pro viribus deuitet. Frigidior enim Antipariſtaſi, calidior autem ferueſcentia ſanguinem mouet agitatque. Vigiliæ immodicæ deteſtandæ, quòd ſanguinem acriorem, bilioſioremque primùm reddant, deinceps crudiorem, & aquoſiorem. Exercitium moderatū ante cibum, præcautioni, quàm intendimus opportuniſſimum erit. Contra verò animi labores, ſollicitudines, & intenſa ſtudia, præſertim à cibo prorſus reprobantur. Vt aluus mollis, & lubrica ſeruetur magnopere ſtudendum. Cibi boni ſucci, facilis coctionis, refrigerantes potius eligantur. Atque detractioni potius, quàm adiectioni attendendum à Vino per aliquot

Scopi curatiui.

Victus ratio.

Menſes omnino abſtinendum ſuaderem, niſi ventriculi imbecillitas contraindicaret. Quò circa Vinum tenue ſubrubrum, ſubadſtringens, atque aqua chalybeata, ſiue potius aureata, in qua ſantalorum rubrorum portiuncula præbullierit, attemperatum, & modicè ſumptum mirum in modum probo. Aromata omnia, Acria, ſalſa, ac dulcia etiam deteſtamur. Hac ſanè victus ratione tenui, refrigerante, & adſtringendi facultate prædita pertinaciter obſeruanda, vtraque fluxuri ſanguinis cauſa declinabitur, ſanguinis nempè quantitatis, & qualitatis vitium: nec non vaſorum, vnde per Anaſtomaſim excluditur. Interim bilioſi humores in ſanguine redundantes ſyrupis de Roſis ſiccis, & de Cichorea ſimplici cum aquis cichoraceis, & plantaginis breuiter præparati, Rhabarbaro, vel Myrobalanis citrinis per interualla purgandi erunt. Euacuationis etiam ſimul, & reuulſionis gratia, vena ſub eo cubito incidenda erit, qui profuſioni è directo reſpondet. Vnde nec multum, nec affatim ſanguinem detrahere expedit, ſed paulatim, moderatè, & repetitis vicibus. Hoc enim in reuulſorio auxilio perpetuò eſt obſeruandum ex Gal. decretis Lib. de Curandi ratione per venæ ſectionem Cap. 11. Radicis etiam Chinæ decoctum cum ſantalorum rubrorum portiuncula dies aliquot de more ineunte vere proximo, vel ſaltem futuro Autumno datum, magnopere profuturum ſperarem; tùm ad exſiccandum, & firmandum vniuerſum corporis habitum; tùm etiam ad diſcutienda ſuperuacanea excrementa in toto redundantia: quorum duplex potiſſimum eſt cauſa; capitis interdum deſtillatio, & aſſiduus animi labor. Pro vaſorum autem adſtrictione comparanda opportuniſſimum eſt medicamentum, quòd ex conſeruis florum cichorei, roſarum, & ſummitatum rubi, ſingularum vncijs duabus cum ſantalorum rubrorum vncia media, & boli armenæ drachmis duabus, ac ſyrupi myrtini vncijs duabus, & foliorum auri puriſſimi num. 12 ſi huius media vncia duabus horis ante prandium frequenter exhibeatur. Iàm verò de aperiendis venis, quæ in ſede ſunt auerſionis gratia, quis cogitare poſſet; cum natura hanc viam tentare videatur. Ego autem, qui longa experientia didici, quòd hæmorrhoides ſemel apertas complura, eaque pernicioſa vitia, ſubinde conſequuntur, hoc auxilij genus ſuſpectum habeo; atque eius loco, fluore præſcriptis præſidijs non cedente, duo inuſta cauteria diu geſtanda, alterum in crure dextro ſubtus genu ad internam partem, tùm ad alia multa, tùm ad infra auertendum ſanguinem, vel ſaltem eius ichorem, qui raptum in caput habere ſolet; alterum in brachio ſiniſtro ad deflectendum à naribus eiuſdem generis ſuccos, & ichores, maximè commendarem. Quòd ſi forte fortuna occaſione aliqua ſanguis è naribus vberiori copia, atque concitatiore motu efflueret, præſcripta eadem victus ratione tenui,

Humorũ p̃paratio, quibus molienda.

Purgatio.

Vena ſectio.

Redundãtiũ excremẽtorum duplex cauſa.

Ad vaſorũ adſtrictionẽ medicamentum.

Chirurgica præſidia.

refrigerante,& adstringente, prehabitisque omnibus auersionibus, ex Hipp. placitis, Aph.5.Aph.23.Et septimo.37. refrigerantibus adstringentibusq; topicis medicamentis protinus vtendum esset circa partes, loco, vnde sanguis emanat,proximas,facta prius ad contraria loca auersione,vt monet Gal.5.Meth.Med.Cap.6.

De Artuum dolore, pro Nobilissimo Iuuene Mediolanensi, Consultatio V.

SI quæ præterierunt in Nobilissimo Iuuene in memoriam reuocemus; integram nempè, & omnibus numeris absolutam sanitatem, qua in hanc vsque diem semper fuit donatus: si pariter præsentem eiusdem habitum pulchrum,& elegantem, nec non ingenij, ac sensuum omnium perspicacitatem spectemus,citra vllam controuersiam asserimus, optimo saluberrimoque temperamento à primordijs naturæ fuisse præditum. At quoniam ob multa iam antea errata, quæ commisit in viuendi modo, & præsertim in cibo, potu,atque assiduo, immoderatoq; venatu:& Articuli pedum præsertim ex laxitate imbecillitatem, & ventriculus ex frigida comparata intemperie in coquendis ingestis cibis languorem contraxerunt; ita vt mirandum nō sit, si accumulata in ventriculo subfrigida excrementa ad artus præcipitata arthritidem excitauerint. Hinc certum esse colligimus optimam à natura contractam habitudinem, vitæ erroribus, ita interdum corrumpi, vt ascititia, vitiosaq; forma introducta, aliquo tempore fomitem morbosum alat. Quæ quidem errata, vt intempestiue exercitationes, vigiliæ, veneris vsus, cibi, & potus, sine vllo delectu ingesti: optimam aliàs cerebri naturam, nunc nonnihil labefactasse, ex eo facilè conijcere possumus, quòd capitis grauedo. Aqueus quidam humor ab oculis lachrymæ instar profluens, atque à capite in ipsas nanares destillatio (corizam dicunt) sæpe nobiliss. patientem sollicitare solent: cerebro nimirū plus, quàm par sit, refrigerato humectatoque; vnde congesta in eo excrementa per interiores meatus in artus prolabentia Arthritidis huius rudimenta efficiunt. Superuacanei enim humoris è capite in subiectas sedes prolapsio omnium ferè morborum fomes,& origo esse potest. Quibus omnibus hunc in modum sese habentibus, recta madendi, seu potius præcauendi ratio in eo sita (quantum ego puto) videtur esse, vt nisi vrgentius quidpiam interpellet, euidentes causæ prohibeantur, mox omnis impura colluuies blandè expurgetur, ac demū, & viscera impuros humores demandantia, & articulos recipientes affabrè roboremus. Quod quidem, vt obtineatur minimè arduum puto. Etenim saluberrimo instante vere, & victus ratione cōgrua, leuioribusque præscribendis medicamentis sperandā forè, vt Iuuenis

Historia morbi.

Morbi essentia.

Scopi curatiui.

Prognosticum.

saluberrimo corporis habitu a natura præditus, nunc parum lapsus, non solum a præsentibus non adhuc confirmatis affectibus, vindicetur, sed etiam ab imminentibus vitijs omnibus præseruetur. Nunc ad curationem priusquam deueniam, de victus ratione paucis agam. Aerem in primis crassum, humidum, ac nebulosum pro viribus euitet. In sicco, & calido moderatè versetur oportet. Vigilijs potius quàm longiori somno sese det: somnus enim sicut excrementorum humidorum colluuiem ingenerat, ita, & vigiliæ moderatæ, hæc per halytum excrementa dissipant. Exercitijs citra defatigationem, & sudore ante cibum vtatur, a venere abstineat, atq; aluum lubricam, vt habeat singulis diebus arte procuret, natura hanc ipsam non inuitante; Spe bona lætoq; animo vitam ducat. Potus sit vinum album tenue maturum, & aqua optimè commixtum; si vẽtriculus sine noxa admiserit. Cibi sint omnes nonnihil attenuantes; humidi crassi, frigidi, & coctu difficiles euitentur. Acria omnia, caputq; vaporoso halytu replentia prorsus fugiantur. Cœna prandio parcior multò sit, oportet: Plurimi enim ex ciborum ingestorum copia in nocte ad caput vapores sublati in dormiente homine, nec consequi, nec difflari possunt: Cerebro præsertim frigidiore, humidioreq;, vel natura, vel ex accidenti existente. compotationes, crapulas, & cruditates magnopere arcendas esse, pro comperto semper habeat: de Pharmacia autem, quid sentiam liberè dicam. Tam, & si solam victus rationem rectam euidentibus causis in salubribus declinatis Nobilissimo Iuueni ab omni vitio, & ærumna præseruando suffecturam putem: accuratioris tamen diligentiæ causa statuendum censeo. Quam primum nostræ hæ literæ ad Aegrum peruenerint, Medici tunc præsentis consilio aluus leniatur, pituitosa excrementa in capite, ventriculo, ac reliquo corpore redundantia, potionibus idoneis præparentur, apparataq; Pharmaco, quod infestum ventriculo non sit, expurgentur. Mox cœfalicis dictis conseruis, & ventriculum etiam roborantibus per aliquot dies de more vtendum. Interim ne extrinsecus, quæ admoueti solent præsidia negligantur, capitis lotiones ex dulci lixiuio, simplicibus caput modicè siccantibus medicato vsurpari debent. Quo tempore ventriculum, & artus, præsertimque pedum, qui immoderatis corporis exercitijs satis sunt defatigati, ideoq; imbecilliores redditi, illinire opus erit. Pro ventriculo illinendo oleum ex nuce myristica; pro articulis autem linimentum ex communi salè vsto in puluerem que deducto, cum oleo rosaceo completo in plumbeo mortareo, vsque adeo ducto, vt vnguenti consistentiam subeat, citra omnem controuersiam primas partes obtinent. Inter remedia ad Chirurgiã pertinentia in primis laudo, vt peritus eius Medicus curationem auspicetur a venæ cubiti dextri internæ sectione: curationem enim omnem alicuius momenti, à totius corporis euacuatione,

Victus ratio.

Pharmacia.

Cuius modi capitis lotiones administrãdæ.

Vẽtriculi præsidia.

Præsidia chirurgica.

tione, & purgatione semper auspicandam esse, Philosophi etiam, nedum Medici omnes consentiunt. Hæc omnia, si sine mora ad vsum egregiè deducantur, rem omnem ex voto successuram spero. Scio equidem complures, hac nostra ætate Medicos, in casibus, vel etiam leuibus vrentes, & secantes, qui de proposito, vel consimili casu fortè fortuna interrogati plura longeque validiora medicamenta proponerent. Vt ligni Guaiaci, salsæ pariliæ, vel ligni indici sassafras vocati decoctum, ad discutienda redundantia in toto, atq; in capite præsertim excrementa, simulq; ad cerebrum, & artus roborandum: stillicidium ex aquis Thermalibus pro siccando cerebro, Thermas, & luta patauina pro articulis roborandis. Cauteria, & in sincipite ad cohibendam à capite in oculos fluxionem: & in Nucca, siue in altero brachio deriuationis à capite, & auersionis a iuncturis gratia. Quæquidem medicatio tot tormentis plena vtique grauior esset affectu, de quo nunc agimus; obijcient fortasse aduersarij occasionem præcipitem. Sed obiectio hæc non cogit: nec suadet in quouis affectu curando, statim ad valentissima auxilia esse confugiendum. *Obiectio.* Omnis quidem procrastinatio ab omni profecto arte aliena est, potissimum verò à Medicina, in qua (vt prudentissimè in Epistola ad Crateuam dixit Hipp.) dilatio omnis est cum vitæ periculo. Sed remedia morbo esse æquanda, & Hipp. & Gal. etiam demostrarunt. *Responsio.* Hic non prorogantur præsidia, quæ, tùm curationi, tùm etiā præcautioni sunt opportuna: licet extrema illa, quæ non nisi extremis morbis conueniunt, auxilia consultius omittantur. Et si rursus instent, Galenumq; adducant dicentem in omni medicatione celeriter agendum: aduertant etiam eundem dixisse, Tuto, & iucundè operandum. Reuocetque (quæso) in memoriam auream illam Sapientissimi Hipp. sententiam sexto de Mor. vulg. Sec. 2. contextu 15. vbi habet, Nihil temerè, nihil negligere. Qua quidem sententia Medicos medicinam facientes hortatur, vt nihil omittere debeant, quorum est vsus salutaris: occasio enim præceps quidem est: sed neq; temerè, vt faciunt quidam audacissimi tentandū quiduis. Experimentum namq; periculosum. Huc etiam spectat Hipp. doctrina Aph. 2. Aph. 51. plurimum atq; repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel rifrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum: quoniam omne nimiū naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est: idq; potissimū, vbi nulla præcipitatione opus sit, vt proposito in casu. Quare proposita auxilia omnia, si rectè administrare fructuosa fuisse, animaduerterit, ad maiora non erit deueniendum: sin autem affectiones adhuc pertinaces non cederent, Autumno ineunte, corpus iterum expurgetur: sed primum sanguis aluo lenita detrahatur, cubiti vena interna secta: etenim tutius generosa auxilia administrantur, si priùs aliqua sanguinis detractio antecedat, præsertim vbi nihil re-

clamet. Mox guaiaci decoctum cum Iua, Bettonica, Mentha viridi, & modico sassafras per triginta, aut quadraginta dies propinandum, interimque idoneis instrumentis sudorem prouocādum. Et tandem stillicidijs aliquibus caput subijciendum. Post hæc malo non cedente Cauterium, vel in Nucca, vel in sinistro brachio inurendum etiam, atque etiam hortor. Nec tunc temporis omittenda essent topica remedia roborandis Articulis accommodata. Qualia sunt Linimenta ex sale, & oleo superius pręscripta. Thermę cuiuscumque generis exsiccantes, aquæ Marinæ, & eius generis alia. Hæc autem pro Nobilissimo Iuuene à præsentibus, & imminentibus malis vindicando proponēda visa sunt. His prætermissis, in postrema hac medicatione, quę ad victus rationem spectant, quòd hanc propositis remedijs comparem esse debere, satis perspicuum sit.

De Catarrho, & Tussi, pro Illustri D. Ioanne Setiro Equite Piloreio, Consultatio VI.

Causa. DEstillationis è capite in partes subiectas causam in Perillustri Equite, ego quoque, cum Clarissimo Viro in cerebri vitiatam coctionem, ob frigidum, & humidum illius temperamentum, *Signa.* referendam puto. Destillantis enim humoris qualitas, symptomata, & medicamentorum, iam antea adhibitorum experientia *Obiectio.* manifestè id declarant. Nec obstat, quòd destillatio ferè semper *Respōsio.* insipida, interdum salsa etiam nonnihil deprehensa fuerit; quandoquidem ob moram, quam materia in cerebro trahit; & ob aliquam humoris biliosi permixtionem, frigidus, pituitosusque humor salsedinis aliquid acquirere solet. Quod quidem vitium non solùm ab interna commemorata causa pendet; sed etiam ab erratis in viuendi ratione fouetur, augeturque. Et licet Perillustris Adolescentulus, nunc melius satis habeat; nunquam tamen immunis est ab hac molestia; cum humorem è capite in os perpetuò destillantem experiatur. Quamobrem omni studio adnitendum est, vt vitij huius causa, pro viribus extirpetur. Nam nullus ferè morbus in homine obseruatur, qui ab vna destillatione originem ducere non possit. Etenim à capite fluxio, & fauces, guttur, Arteriæ principium, pulmones, & ventriculum occupare potest. Vnde Anginæ, Dispneæ, Tussis, Cruditates, Alui profluuium, Et Dysenteriæ: quando salsum est, quod delabitur. Quinimò si per venas descenderit humor computrescens, & febres putridas, & alios ex putredine morbos concitare valet. Ergo curationis, & præcautionis summa triplex erit. Videlicet, vt congrua victus ratione, & cerebri attemperatione, superuacanei humoris, tùm in cerebro, tùm etiam in toto generatio præpediatur. Et si quæ excrementa

Oēs morbi ab una destillatione oriri possunt.

Curationis, & præseruationis sūma triplex.

accu-

accumulentur, aliò deducantur, atque, vt partes Thoracicæ antea suscipientes, ita roborentur, vt fluxioni imposterum obsistere possint. Quos quidem scopos assequi non admodũ facile erit. Quoniam naturæ, & seminis vitia vix vlla Ars emendare potest. Quantùm enim ex literis conijcere potui, malum hoc morbidum parẽtum vestigium consequitur. Nihilominus, quoniam Perillustris Aeques decimum tertium annum nondum attingit: & ex Hipp. placitis experientię consentientibus, ætatis, victus, & Cœli mutatione, morbi, vel etiam grauissimi superari solent: de futura Perillustris Adolescentis sanitate, & præseruatione non est diffidendum. Modò congruam viuendi rationem perpetuò obseruandam intrepidè sibi proponat. Videlicet, vt omnem aeris inclementiam effugiat. Austrum, Boream, Frigus, Insolationem; Atque longam moram sub dio pariter deuitet. De reliquis ad victus rationem attinentibus plura in medium non afferam, tùm quia perspectum est remedijs comparem esse debere, tùm quia vir excellens, qui præsenti curæ præest, hæc, & omnia alia sua solertia ex arte præscribere poterit. Duo tamen huic scopo accommodatissima à nobis maximi momenti putata minimè silenda duximus. Primum est victus rationem non vsque adeò siccantem, vt morbus postularet, præscribendam ob ætatem reclamantem. Ex Hipp. Decretis Aph. 1. Aph. 16. Alterum Vino tenui admodum probè maturo, & aqua cum visci quercini ligno excocta attemperato vtendum; parciusque cœnandum; nec statim à cœna dormiendum. De opere Chirurgo, nihil ferè habeo quod dicam: nisi quòd inustum, quod habet cauterium in altero brachio omni studio humidum, & apertum retineri debet. Et si tentatis omnibus alijs remedijs mala non cederent; alterum etiam in Nucca, secundum Hipp. præceptum excitatum magnoperè conducturum sperarem. Hinc enim, & excrementa à cerebro deriuari; & capitis destillationem à Thorace, & visceribus alijs auerti, & ratio, & quotidiana experientia monstrat. Nec ab re fortassis esset cogitare de cubiti vena communi secanda; quo tempore purgatio ineunda erit, vt corpus vniuersum generosis pręsidijs adhibendis accommodatum magis reddatur. Neque ab hoc consilio auocare me potest Gal. præceptum; quippequi pueris ante decimumquartum annum sanguinem non esse detrahendum imperauerit. Etenim de larga copiosaque sanguinis vacuatione loquebatur; quam etiam firmo puero, & robusto seni alibi concedere visus est. Porro de cæteris præsidiorum generibus, hunc in modum esse statuendum censeo, vt paucis abhinc diebus, vere nempe aduentante, aluo melle rosaceo solutiuo lenita. Mox humores pituitosi, per septem dies summo mane potatis syrupis præparationi accommodatis apparati; medicamento ex Agarico, & Rhabarbaro, vel pillulis de hiera cum Agarico purgentur. Deinde, quoniam contenta in cerebro excrementa per

Prognosticum.

Aer.

Monita curationi maximè opportuna

Chirurgia.

Pharmacia.

pala-

palatum,& nares commode expurgantur: errhinis medicamentis,& apophlegmatismis vtendū. Quo tempore pro capite exsiccādo, si per ętatem liceret: caput alicui stillicidio aquarum naturalium subijcien dum consulerem, ea propter stillicidij loco capitis lotiones bis saltem in hebdomada magnopere commendo. Pro quibus lixiuium parari poterit, in quo stœchas, Rosmarinum, Bettonica, Rosæ cum Agarici modico bullierint. Interim verò, si per viginti dies radicis chinę decoctum, cum modico, aut salsæ parilię, aut sassafras paratum de mococtum, cum modico, aut salsæ parilię, aut sassafras paratum de more potare non recusauerit, sperandum est non solum caput exsiccatum, verum etiam corpus vniuersum firmum roboratumq. iri. Quo tempore præscribendæ confectionis vncia media duabus horis ante prandium data, maxmi erit vsus, & ad roborandum caput ventriculumque, & ad firmandas partes Thoracicas omnes.

Recipe Conseruæ rosarum
Bettonicæ } an. vnc. 1.
Anthos
Boli armenæ drac. 2.
Pulueris coriandri drac. 1.
Cum syrup. de pomis fiat Electuarium.

Cæterum, quoniā Capiti veluti omniū malorum fonti persanādo oē studium adhiberi debet; Commemoratis omnib. præsidijs vnū, idq. efficacissimum addendum putaui. Illud autem est Cæratū ex inuentione nostra, ratione, & longo vsu comprobatū ad antiquas capitis fluxiones declinandas opportunissimum: est autem huiusmodi.

Recipe Caryophilorum
Thuris } an. scr. 2.
Macis
Corallorū amborum
Spodij } an. drac. 5.
Ambari
Conus cupressi drach. 1.
Styracis calamitę
Vernicis } an. drach. 1. s.
Ladani drach. 6.
Resinæ vnc. 1.

Soluatur ladanum cum Resina in vino veteri, & coquantur ad densitatem. Fiat Ceratum diu noctuq. supra coronalem gestandum. Nec eò tempore omittenda erunt suffumigia ex saccharo, vel ex olybano. Qua quidem medicatione sperandum est fore, vt Perillustris Aeques ab omni imminenti periculo præseruetur. Præsertim cum eius habitudo è genere eorum non sit, quæ hominem per destillationem ad Tabem disponunt: nempe quando angusto sunt admodum Thorace, quorum meminit Gal. Aph. 3. Aph. 13. Tot sunt quę

pro

pro salute Perillustris Equitis proponenda putatui: faxit Deus, vt salutaria illi contingant.

De Vesicæ lithyasi, & Vlcere pro Excellentissimo Iuris perito D. Ioanne Dominico Guelfio, Consultatio VII.

VRina cruda subalbida; Cui arenosum quippiam pingue, & crassum, matulæ fundo adhærescens subsidet, cum crebra pudendi prurigine, & tensione; simulq. cum meiendi difficultate insignis doloris causa, qui omni, vel etiam leuiori motu exacerbatur; vesicam Excellentissimi Viri lithyasi laborare, cumulatissimè indicant. Cæterum quoniam lapidem Vesicam exercere bifariam contingit, vel a calculo è renibus per Vreteras in vesicam prolapso, ibique temporis diuturnitate in lapidem concreto: vel ex vrina crassiore in vesica iusto calidiore, plus quàm par sit retenta. Quod quidem in ijs non rarò obseruatur, qui scribere sunt assueti, vel ludo, vel lectionibus: quippe qui ob crassioris vrinæ retentionem lapidem in vesica contrahunt; in Excellentissimo Viro proposito lapidem hunc non aliunde profectum putandum, quàm quòd a calculo è renibus in vesicam præcipitato: quandoquidem sæpius multò antea renum calculis laborauit; atque duobus abhinc annis inter equitandum nephriticos insignes dolores passus est; quo tempore cruentas vrinas non semel tantum minxit. Dolor in rene grauis (inquit Hippoc.) hoc est cum ponderis sensu: vbi calculus renum substantiam obscurè sentientem exercet: grauis etiam, hoc est acerbus, & acutus, quando renum subit cauitatem, & vreteras subingreditur: tuncque vrinæ cruentæ redduntur, quando calculus dum dimouetur, vias erodit, per quas transit. Ex quibus colligere licet, vesicæ lithyasis propositę originem ex renum calculis extitisse. Nec obstat, quod Excellentissimus hic patiens neque stranguria, neque dyschuria vnquam corripiatur; Hæc enim symptomata vesicę lithyasim non necessario consequuntur, sed interdum adsunt, nonnunquam vero absunt, pro lapidis magnitudinis, & situs varietate. Rursus, quod peritus Chirurgus intromisso cathetere omni diligentia explorando nullum lapidem persenserit, huius suspicionem minimè tollit: quoniam lapis in vesica concreatus crasso, & pingui interdum humore totus ita obducitur, vt pro mollicie hac externa deprehendi non possit: propterea digito in intestinum rectum intromisso, pubisque regione altera manu pressa, lapis in vesica certius exploratur cognosciturque. His accedit, quod ramenta quædam in vrinis, sanies, purulentia, pus, quod vbi cū vrina redditur, subsidet: pubis, pudendi, & circa perineon tormenta, & dyschuria: vesicam vlcere quoque laborare, apertè indicant: cuius vlceris causam nō solum in lapidem, partes quas exercet erodentem reijcien-

Historia. *Signa.* *Morbi essentia.* *Lapidē vesicā exerceri bifariam contingit.* *Vnde præsens vesicę calculus ortum duxerit.* *Dolorū distinctio in calculo laborantib.* *Vrinæ cruentę quando reddātur.* *Obiectio.* *Respon.* *Cur Chirurgico opere deprehendi non possit aliquādo calculus.* *Vesicę exulceratæ signa.* *Vlceris causa.*

reijciendam putamus, verùm etiam in vrinæ acrimoniam, calidam renum, & hepatis intemperiem consequentem; salsæ pituitæ originem. De vtriusque morbi, in via nempè, quod ad lapidem spectat, & in soluta partium continuitate, quod ad vlcus pertinet, futuro euentu sic sentiendum. Cum vesicæ lithyasis manuum duntaxat opera curetur futuræ salutis spem nullam nobis cōcipere licet; siquidem paracentesis hic duplici nomine valde periculosa censetur; tùm ætatis ratione (res enim cum sexagenario agitur) tùm ob lapidis magnitudinem; quæquidem ex eo deprehenditur, quòd referat patiens se se in reddenda vrina aliquando egerendi non solum cupiditate, verum etiam, & necessitate vehementer sollicitari. Quòd vero ad Vlcus attinet; vnicuique vel etiam mediocriter in Arte erudito compertum est, quod Renum, & vesicæ vlcera præ alijs partibus communiter in omnibus difficilius curantur: atque id duplici nomine contingit, tùm ob partium innati calidi inopiam, tùm ob locorum profunditatem: sed difficilius adhuc in senibus hæc persanantur, propter innati calidi defectum; scribēte Hipp. Aph. 6. Aph. 6. At vero quoniam prædictio hæc sine præcautione non optatur, neque scopo satisfacit; de præsidijs agendum, quæ affectus vtriusque incrementum saltem inhibere queant. Quòd quidem præstabitur si ea retineatur victus ratio, quæ causas morbificas, quales sunt humores crassi, & lenti, & etiā salsi ex cibis geniti declinare, simulque calidam hæpatis, & Renum intemperiem emendare valeat. Quare primus præcautionis scopus erit prohibere quominus excrementa in visceribus aggregētur; idque congruo viuendi modo. In quo esculenta, & poculenta omnia crassi succi, calidaque impensè, & salsuginosa pariter vitanda sunt. Vino siue albo, siue rubeo vtendum tenui imbecillo, & aqua abundè diluto. Parcè edendum, & bibendum quidem, sed in cœna parcius, quàm in prandio. Compotationes, & cruditates omnes caueantur, oportet: siquè aluus non respondeat, vel molli iniecto Clystere, vel coriandris saccharo conditis duobus oleo intinctis suppositis, vel passulis in senæ infuso maceratis in prima mensa deuoratis, tertia saltem quoque die citanda erit. Complura ad hanc victus rationem attinentia hic libēter proponerem; nisi persuasum mihi esset, clarissimum virum, cui præcipuè negotium hoc committitur, omnia huic operi necessaria accuratissimè præscripturum fore. Illud tamen minime faciendū duxi; nempè diuretica calida præsertim in cibis vsurpata, valde suspecta esse geminam ob causam: nam renum, & Iecinoris calidam intemperiem fouent: atque succos crudos in renes, & vesicam præcipitare faciunt. Alter, qui succedit scopus eò spectat, vt si, quæ in dies excrementa congerantur, à renibus, & vesica auertantur: tùm per cauterium in altero brachio, de more excitatum, tùm per pharmaca cacochymiæ accommodata quale erit, quòd

Prognosticum.

Diuretica præsertim calida cur suspecta.

Reci-

Recipe Diacatholici drach. 7:
Diaphœnici drach. 2.
Flectuarij Ros.Mesue drach. 1. s.

Misceantur,& paretur bolus quatuor saltem horis ante prādium exhibendus, prægressa tamen humorū,vt decet præparatione. Deinde ex interuallis,quibusdam purgatio leuis repetatur hunc in modum.

Recipe Cassiæ interioris nouiter tractæ drach. v.
Terebinthynæ claræ vnc. 5.
Specierum hieræ picræ S.Gal. drach. 1. s.
Radicis dulcis pulueratæ drach. 5.

Misce,& formetur bolus dandus,vt supra. Vbi ignorandum non est cassiam, & Terebinthynam veluti medicamenta vrinam cientia non debere præscribi, nisi corpore prępurgato. Porrò auersio quę fit per mouentia sudorem,vt decocto radicis chinę orientalis interdum etiam vtilissima est. Quemadmodum,& quæ per moles Clysteres fit, qualis esset.

Recipe Decoctionis ex iure Altheę, Violarię, Maluarum, Branchęursinę vnc. 8.
Olei violati vnc. 2.
Sacchari vnc. 1. s.
Diacassię vnc. 1.
Mucillaginis seminum psilij vnc. 5.

Fiat Enema. Hic notandum est,quòd Clysteres exiguę quantitatis esse debent,quoniam repletis,grauatisq.intestinis,vnà quoque vesica laborans non sine graui molestia premitur. Vtilissima quoque est hoc in casu auersio,quę fit per vomitum semel,vel bis in Mense a cęna,larga iuris pinguis tepidi cum oxymellitis portiuncula, potione; si facilis sit vomitus. Quòd autem quis difficilè vomat,ferè in causa est ventriculi firmitas,ob quam ęgrè humores recipit:& si semel receperit,alacriter iterum retrudit. Hanc autem firmitudinem siccitas illi parit. Propterea difficilè vomentis ventriculum antea,tùm quiete,tùm pleniore cibo,sed non acri,imò suapte natura humido oportet humectare,& quodammodo laxare. Proinde potius a cœna,quā ante omnem cibum vomitum mouere expedit, quam quidem inciendo vomitu cautionem innuere visus est Hipp. Aph.4. Aph. 13. *Cur Clysteres debeāt esse exiguæ quantitatis.* *Auersio p vomitum.* *Cur quis difficile vomat.*

Cæterùm quoniam propositi laborantis caput multis excrementis(vt ipse mihi retulit) frequenter repletur: quæ inde per venas in renes,& vesicam facilè delabuntur; auersio etiam quæ fit per herrhyna medicamenta, & per mesticatoria non est contemnenda. Et hæc de auersione, secundo in præcautione scopo dicta sufficiant. Tertium his succedit consilium; videlicet sedandi dolores vesicam, *Scopus sedādi doloris,quibus pficiatur.*

&pu-

& pudendum ſollicitantes: idq. duplici præſidiorum genere; quippè quæ, & ſymptomati quamprimum occurrant,& ſymptomatis cauſam morbificam declinent. Primi generis ſunt medicamenta Anodyna vocata,tùm inijcienda,tùm extrinſecus admouẽda:inijciuntur autem Clyſteres ex lacte vaccino cũ oleo violaceo, & ſaccharo. Injiciuntur etiam accõmodati liquores per ſiringã in veſicã huiuſmodi.

Recipe lactis ſeminum frigidiorum ex aqua ſolatri extracti lib. 5.
Muccaginis ſeminum pſyllij, maluarum, Altheæ, ſeminum lini,
Citoniorum vnc. 3. Olei Nenupharis vnc. 1.
In quibus diſſoluantur opij, Croci, ſeminũ Alterci, Canforæ an.gr.1. fiat collyrium. Vel

Recipe Albumina ouorum quatuor recentium aſſiduo concuſſu in aquam conuerſa,lactis humani vnc.3.butyri recentis vnc.s.fiat collyrium. Interim

Recipe Aquæ violarum } an. vnc. 3.
Aquæ ſemperuiui
Succi ſolatri vnc. 1.
Lactis Muliebris vnc. 2.
Olei violati } an. drach.6.
Butyri recentis
Fiat Epithema ad pubem,& perineon.

In hunc vſum ẽt maximè probantur inſeſſus ex hydræleo ex aqua parato,in qua præbullierint folia Maluarum,Altheæ,Violariæ, ſolatri, ſemper viui,& Brãchæ vrſinæ. Secũdi vero generis medicamẽta doloris causã euertẽtia,eius conditionis eſſe debẽt,vt hepatis,& renum calidã intemperiẽ attẽperando, vrinæ acrimoniã pariter refrangere, remittereq. poſſint. Quorũ alia aſſumũtur,alia vero admouentur,vt

Medicamenta doloris cauſam tollentia cuiuſmodi eſſe debeant.

Recipe Conſeruæ violarum } an. vnc. 2.
Diapapaueris recentis
Diatriaſantali

Cuius vnciam mediam ſumat mane,& veſperi ieiuno ventriculo. Cichorei etiam Conſeruam vocatam,ſi in frequenti vſu habuerit, magnopere conducturam ſpero. Interim

Recipe Infrigidantis Gale } an. vnc.1.
Vnguenti roſati
Cerati ſantalini
Succi Cichorei vnc. s.
Aceti parum, Miſce,& hepatis renumq. regionem manè,& veſp. illinet. In hunc etiam finem aquæ Thermales refrigerantes, quales ſunt lucenſes,porretanæ, & eius generis aliæ potandæ, & etiam pro lauacro vſurpandæ mirum in modum probantur; atque hæc in caſu tam difficili proponenda duxi. Faxit Deus,vt Excellent. Viro ſalutaria euadant.

De Renum lithyasi pro admodum Reuer. Patre Illuminato Ord. Minoris Cappuccinorum Concionatore celeberrimo, Consultatio VIII.

REuerendum Religiosissimumq. Virum, Calculo, eoque non minimo, in altero rene, multis abhinc annis laborare, cōplura sunt, quę indicant. Dolor grauis cum ponderis sensu in profundo lumborum alterius lateris infestans, paruo loco circumscriptus, fixus, & interdum pungens. Cruenta, & sabulosa, quę alias minxit. In vrinis arenosa quędam, eaque vt plurimum rubra. Atque obtusus quidam sensus eius fęmoris, quod è directo est. Qui quidem calculus cum potius rotundus, & leuis, quam aliter figuratus ex eo deprehendi possit, quòd in corporis motu acutos non parit dolores, sperandum fore, vt Dei Optimi Maximi auxilio, & opportunis pręsidijs tandem excerni possit. Quod quidem, vt facilè obtineatur, omni studio cauendum, ne calculi causæ augeantur, renū nempè, & hepatis calida intemperies, & cruditates ex cibis à ventriculo ægrè concoquente genitæ. Proinde maxima est habenda ratio victus. Vt videlicet Aere, pro viribus, non admodum calido neque impensè humido vtatur. Somnum deuitet meridianum. Neque super plumas, neque supra dorsum dormiat, neque lumbis alligatis, grauioribusque indumentis incedere debet. Exercitio, non tamen violento vtatur. Omni enim ætati hoc in casu; iubente Hipp. conuenit non quiescere, sed exercitari, cibo, potuque non impleri. Propterea omni studio cauendum, ne vel ciborum, & potuum copia, vel hora importuna vllæ cruditates soboriantur. Quare cibi eligantur boni succi, coctu faciles, atque paucorum excrementorum. Sitque cœna semper prandio parcior. Vinum tenuis sit substantiæ, clarum, vetus, pauciferum, & subrubrum aqua abunde dilutum. Illud vnum præceteris obseruandum est; nempè ne multum diureticis in mensa vtatur. Horum. n. vsu frequenti plus quam par sit crudæ materiæ in renes conuehitur. Aluus lubrica arte seruetur, natura non operante. Animi exercitijs, studijs, & sollicitudinibus, non adeo obruatur, vt corporis exercitationes dimittat. Hac sanè viuendi ratione calculi in rene, & ex calculis, lapidis in vesica, vtraque causa, materialis, s. & efficiens deturbabitur. Cęterum cum vna victus ratio, vel etiam rigorosè seruata vix satistuta esse possit ad calculi iamdiu in rene concreati prohibendum augumentum: medicamentis interdum agendum erit, quæ non vehementi calore, aut siccitate, sed moderatione quadam prædita, noxiam materiam à renibus per aluum detrahant, ac deflectant, & quæ tùm hepatis, tùm renum calidam intemperiem emendent, simulque arenulas facilè cum vrinis prouehere possint. Corpore igitur rectè expurgato, medicamentis cacochimiæ accommodatis, hoc præsertim tempore nempè ineūte Autumno: pera-

Affectus essentia.
Signa.
Calculus rotundus, & leuis, quomodo deprehendatur.
Causæ.
Victus ratio.
Diuretica cur vitanda.
Quæ circa pharmaciā & chirurgiam sint agenda.

no: peracta prius idonea humorum præparatione pro arbitrio Clariſſimi Medici ordinarij, & ſecta vena Iecoraria brachij dextri (quod res agatur cum Iuuene multo ſanguine prædito, ac ſucci pleno) ad renũ expurgationem.

Medicamenta renes expurgantia.

Recipe quatuor ſeminum frigidorum communium mundatorum
Glycyrrhizæ raſæ recentis } an. ſcrup. 1
Seminis Pimpinellæ
Ocymi
Petroſelini Macedonici } an. drach. s.
Nucis Moſchatæ
Pulueris Aromatici roſati } an. ſcrup. 1.

Sacchari albi diſſoluti in aqua Alkekengi. q. s. fiat confectio in tabellis ponderis drach. 2. quarum vnam mane tribus horis ante cibum capiat deinde ſtatim ſuperbibat aquæ Anonidis vnc. 4. cum duabus vncijs vini albi non admodum potentis, ſitque potio calida temperatè. Hoc enim efficaciſſimum tutiſſimumque eſt præſidium ad expurgandos renes ſi corpore, vt dictum eſt, antea præpurgato, tertio quoque die, decem dierum ſpatio, ſemel in Menſe, vel ſaltem tertio quoque Menſe ad vſum deducatur. Interim hepatis, & renum regio extrinſecus hoc fotu refrigerentur.

Recipe olei violati
Olei roſacei } an. vnc. 1.
Lotorum in aceto & aqua roſacea
Muccillaginis Altheæ extractę in aqua lactucę, & parietariæ drac 6.
Cerę albę q. s. f. linimẽtũ ꝑ renũ, & hepatis vnctione, mane, & veſp.

Sed ſi cerato ſantalino præſcripti linimenti par quantitas addatur, hepatis feruori attemperando accommodatiſſimum erit præſidium.

Terebinthinæ vſus, cur ſuſpectus, & quomodo vſurpandus.

Porrò autem licet terebinthinæ vſus in hac laborantis conſtitutione eatenus ſuſpectus ſit, quatenus Iecoris calore promptè inflammatur, ſi tamen diureticis minimè calfacientib. miſceatur, renes, vrinarioſq. meatus expurgat hunc in modum.

Recipe Medullæ caſſiæ cum aqua violacea nouiter traiectæ drach. 6.
Therebinthinæ claræ vnc. s.
Pulueris Glycyrhizæ ſcrup. 2.

Miſce, & fiat bolus, & ex interuallis quibuſdam quatuor horis ante prandium propinetur, lenita prius aluo, vel pharmaco clementer ſubducentem, vel molli Clyſtere. Certum. n. eſt Clyſteriorum vſus, tùm ad hoc, tùm ad ſuperuacanea excrementa à renibus ad aluum detrahenda, mirificè cõferre. Quemadmodum, & vomitus à cœna bis, vel ſaltem ſemel in Menſe, ſi facilis ſit auerſionis gratia, vtiliſſimus eſt: ſicuti, & Cauterium in altero brachio excitatum, præſertim cum pituitoſæ deſtillationis à capite in ventriculum non leuis ſit ſuſpicio.

Ad

Ad comminuendum, & deturbandum calculum complura ab omnibus de re Medica rectè sentientibus præscribuntur, in quorum vsu eam cautionem seruare nos oportet, vt Gal. lib. 5. simp. & 10. de compos. Pharmacorum sec. loc. animaduertit, videlicet, vt calida, & acria nimium medicamenta declinemus. Hæc enim calculum cogererent magis, & indurarent. Hic igitur nonnulla huic operi destinata, quæ primas obtinent partes, præscribam. Cuiusmodi sunt.

Quæ aduerti debeant, i exhibendis medicamẽtis lapidẽ comminuentibus.

Recipe Lapidis Iudaici, lyncis an. drac. 1. Nucleorum mespilorũ dr. s. Tragacanthæ, Gummi cerasorum, & persicorum an. scrup. 1. Terantur omnia, & cum terebinthinæ vnc. 1. incorporentur. Cuius tertiam partem capiat horis quinque ante cibum. Deinde statim superbibat vncias sex iusculi huiusmodi

Lapidem frãgentia nonnulla medicamenta.

Recipe Mali citri minutissimas in partes dissecti num. 1.

Seminum Bardanæ
Seminum Melonum } an. drach. s.
Seminum Altheæ
Cicerum rubeorum p. 3.
Radicis Glycyrhizæ vnc. 1.

Misce, & in gallinæ ventrem exenteratum ponantur. Dein in sufficienti quantitate aquæ cœlestis bulliant ad carnium integram coctu-ram, & iusculum percolatum sorbẽdum exhibeatur, vt iam diximus: omitto nunc Elect. lithontripum, id est lapidem frangens. Iustinum, & Elect. ducis Nicol. tanquam omnibus nota. Hæc autem à nobis prescripta aliquot diebus continuis sunt vsurpanda, purgato iam corpore, & post terebinthinæ vsum. Quòd si deciduus calculus in vieteribus resisteret, fotus, balnea, semicup. secta vena ad malleolos, sicyæ affixæ, à renibus incipiendo, & ad inguina per obliquam iliorum positionem procedendo, præsentaneo erunt remedio, educto calculo, præcautionis exactæ causa pro attemperandis, & firmandis renibus aquæ thermales lucenses, & pro potu, & pro lauacro tempore oportuno efficacissimæ tutissimæque erunt. Complura deinceps auxilia, & quæ sumuntur, & quæ extrinsecus admouentur pro firmando ventriculo, cuius maxima est habenda ratio, libenter proponerem, nisi notũ mihi esset hæc Clarissimo laborantis Medico tam nota esse, quam quæ notissima. Placeat verò Deo Optimo Maximo, Reu. & Religiosissimo Patri sanitatem, fœlicitatemque largiri.

De capitis destillatione, & ventriculi imbecillitate pro Nobiliss. quodam Iuuene Florentino, Consultatio IX.

Ex litteris, quibus Nobilissimi Iuuenis annum agentis ætatis suæ trigesimum, calidi Iecinoris, & Cordis, frigidi ventriculi, & humidi cerebri, aduersæ valetudinis status copiosè explicatur, facilè colligi

Historia.

Affectus præter naturam. legi quinque esse præter naturam affectus Nobilissimum Virum nunc sollicitantes. Capitis destillatio perennis, quasi à natura illi con-
Destillat. causa interna. genita. Cuius causam interiorem, humidæ cerebri intemperantiæ, excrementorum copiam sequenti, siccæ autem caloris innati, eiusq. pabuli inopia ex longa patiendi consuetudine, acceptam fero. Ventriculi tarda, necnon etiam vitiosa cibi ingesti coctio. Inapetentia. Dolor ex interuallis. Et vomitus, quorum quatuor symptomatum
Sympto. varia. Eorũ causa interna causam internam, proximamque frigidam visceris huius intemperiẽ cum innati calidi, & humidi simul paupertate, pro comperto habeo, quòd ex morbis diuturnis corpus satis emancipatum esse intelligã. Hinc tardam, & nondum conuenientem mutationem cibus in ventriculo suscipit. Ob id excrementa in hoc ventre cumulata, tum grauitate, tum morsu (vbi corrumpantur) vomitum excitant. Quæ quatenus, ventriculum inaniri non permittunt; omnem cibi appetẽtiam tollunt; è quibus etiam halytuosi spiritus sublati, partes distendunt, subindeque ex distentione dolor. Sed visceris huius vitia, ab humore, a capite in subiectas partes destillante magnopere foueri, citra vllã controuersiam asserendum. Huc etiam spectant errata quę in victus ratione perpetrantur, ac præsertim in cibi, & potus quantitate, qualitate, ordine, & temporis opportunitate. Existimarunt enim vnà cum Erasistrato antiquiores Medici, homines ferè semper ob alimẽtum ęgrotare: quod, vel sit immodicum, vel inconcoctum siue corruptũ. Propterea rectè admodum prodidit Hippocrates, & Serenus, Ventriculum errantem toti corpori incommodare. Itaque, si Nobilissimũ Iuuenem à præsentibus, & imminentibus malis vindicari cupimus, necessum est, vt in primis cerebri, & ventriculi natiuo calori violato reparando incumbamus: capitis destillationem inhibeamus, eiusque excrementorum reliquias a cerebro aliò auertamus: Iecoris intem-
Primus scopus curatiuus. periem calidam emendemus: atque capitis humidam intemperantiam excrementorum copia comparatam, & ventriculi frigidam ob calidi innati, & humidi eius pabuli inopiam, contrarijs ita corrigamus, vt humidum natiuum vtriusque visceris non modo retineatur, sed etiam pro viribus augeatur. Quos quidem scopos expleri possibi-
Scopos curaticos p̃dictos cur difficile explere. le erit, sed non admodum facile. Siquidem morborum copia, & vetustas; habitus quasi à natura vitiosus; Remediorum adhibendorum indicationes pugnantes, & contrariæ: natiuus calor non mediocriter violatus, & medicationes continuatę à Peritissimis Medicis peractæ, quæ Nobilissimum Patientem in integram, vel huic finitimam sanitatem restituere non valuerunt, prouinciam hanc nonnihil difficilem ostendunt: Nihilominus cum in firma adhuc ętate sit constitutus, & ętatis, Cęli, victusque mutatione, morbi, vel etiam grauissimi ex Hippoc. Decretis, & ex rerum euidentia sępius superentur: haud
Prognost. secus etiam sperandum fore, vt Nobilissimus Patiens, vel integrè

sanari,

ſanari, vel ſaltem ad meliorem habitum redigi poſſit. Præſertim cum ex literis conſtet, nunc ſatis ſalubriorem vitam, quam antea ducere. Quod quidem non leue eſt argumentum, naturam ita vigere, vt aduerſus grauiſſimos morbos victoriæ ſpe etiã pugnare poſſit. De agendis autem: nihil de viuendi ratione loquar, quoniam remedijs præſcribendis comparem eſſe debere, nemo eſt qui in Medicina faciẽda, vel etiam mediocriter eruditus ignoret. Quòd ad Pharmaciam ſpectat, inſtante vere, blandam inſtituẽdam eſſe purgationem, præhabita humorum præparatione pro peccantis materiæ ratione, omnino neceſſarium duco; Interim etiam ſectionem venæ hæpatis, caloris euentandi gratia, atq; vt corpus ad ſuſcipienda generoſa medicamenta magis idoneum reddatur, ſummopere probo. Mox ad diſcutienda ſuperuacanea excrementa in vniuerſo corpore ob vitiatam concoctionem redundantia, iugiterq; ad tollendas obſtructiones hæpatis, & hypochõdriorum, ius galli iunioris cum agrimonio, Bettonica, Boragine, Cichoreo, Mentha viridi, Coriandro, & portiuncula radicis ſaſſafras, per aliquot dies in aurora ad vncias ſex, vel ſeptem de more propinatum, magnopere conducturum non diffido. Interim ad firmandum cerebrum ex accidenti nimium humectatum; exſiccatum autem humidi natiui conſumptione opportuniſſimum remedium fore putarem, ſi bis, vel ter in hebdomada caput lauetur lixiuio dulci ex ſarmentorum vitum cinere parato cum duabus vini albi partibus, in quo Roſæ, Violæ, Maluæ, & Mirtillorum grana cum maſtiches portiuncula ebulliant. Quo tempore bolus etiam ex mithridatij drachma media, & conſeruæ violarum vncia media, tribus ſaltem horis ante prãdium tertio quoque die datus, maximi in hoc opere vſus erit. Quibus vſurpatis remedijs, ſi ſymptomata ad ventriculum attinentia non cedant, ſtyllicidio ex Oleo Amygdalino dulci, & Vino, ladano, nuce moſchata, ligno Aloes, cynnamomo, & Maſtiche medicato, mane, & veſperi, hora vna, vel altera ante cibum, vnius fere horæ ſpatio ſupra ventriculi regionem ad hypochondrium ſiniſtrum non nihil inclinantem, quindecim ſaltem diebus continuis vtendum. Simulque hæpatis regio vnguento ſantalino cum ſucco cichorei, & modico aceti illinatur. Cæterum quoniam à capitis deſtillatione omnia fere commemorata vitia fouentur, cuius quidem deſtillationis ſeminarium ſatis euidens eſt hępatis feruida intemperies; duo inuſta Cauteria, alterum in interiore parte cruris dextri paulò ſubtus genu ad vapores, ichoreſque calidos infra detrahendos, ne ſurſum in caput ferãtur: alterum in brachio ſiniſtro, vt excrementorum reliquiæ à cerebro alio deflectantur, maximam vtilitatem allatura pro comperto habeo. Deinceps aduentante ęſtate, Balnei aquę dulcis de more frequentati vſum etiam, atque etiam probo, ea quidem cautione, vt ſtatim à Balneo corpus vniuerſum oleo amygdalino dulci recenter expreſſo perungatur.

Curatio per pharmacia.

Venæ ſectio.

Artificioſum lixiuium.

Styllicidiũ ad ſtomachũ roborandũ.

Cauteria inurenda.

Balneum aquæ dulceas.

gatur. Quòd si Balnei vsu Iecinoris caliditas adhuc non attempe-retur, seri caprini exactè depurati, atque chalybeati modico admodum, vel cynnamomi, vel ligni sassafras in ventriculi gratiam medicati, libræ saltem duæ cum dimidia, horis quinque ante prandium decem, vel duodecim diebus continuis exhibeantur. Faxit Deus, vt hæc salutaria, & prospera Nobilissimo Viro, nobisque contingant.

APPENDIX.

Historia copiosissima.

POst tot tantaque auxilia capitis dolori curando administrata, tum suscepta, tum admota; malo non cedente, sed potius omni contumacia ingrauescente, Perillustris Vir tandem in quandam melancholiam cum taciturnitate incidit; ita vt interrogatus, vix verbum vnum affirmationis, aut negationis signum proferre posset, functionesque omnes, & sensificæ, & motrices, cum principibus omnibus impeditæ quam maxime deprehendebantur. Interim tamen valida facultas vitalis persistebat. Sed capitis dolor, quando tunc temporis mitigari videbatur ob affectæ partis innatum calorem quasi emortuum, vt ex mox dicendis patebit, Sole iam ad occasum declinante Epilepsia vehementissima corripitur, à qua frictionibus validissimis, ligaturis dolorificis, succo rutæ, & trifolij naribus, Theriaca in os indita, oleo anisi, & rosmarini in nares, & aures iniecto. Clystere etiam quamprimum ex oleo rutaceo, & chamœmelino cum vncia vna, & media therebinthinæ, iniecto, circiter octauæ horæ partem à paroxysmi initio releuatus fuit. Die subsequenti eadem ferè hora iterum eiusdem conditionis Epilepsia miserum Perillustrem Patientem acerbius etiam apprehendit, eisdem pariter remedijs superatur. Mox paulò ante solis ortum redijt paroxysmus, à quo soluto vires non reparantur, sed præceps labuntur, cibum non admittit, vox intercipitur, non multis post horis vitam cum morte commutauit. Dissecto dein cadauere, diligenterque caluariæ osse in posteriori parte externa, quæ perpetuò antea dolebat, perspecto, nullum ibi notabilis prægressi morbi signum obseruauimus. At capite adaperto ossis posterioris interiorem partem iuxta cerebellum, cariem satis notabilem contraxisse vidimus, tetigimus ea in parte foramen quoddam ad denarij magnitudinem, quod quidem vsque ad summam laminam externam (exclusiuè tamen) perueniebat. Vnde coniectandum est, Epilepsiæ, & mortis in Perillustri Viro causam fuisse malam quandam auram ab osse, & partibus affectis in cerebri substantiam subleuatam, cuius mali causa exterior ab ægrotāte, & ab assistentibns, vel non putata, vel dissimulata mihi postea de multis, consanguineos, & familiares interroganti innotuit: nimirum capitis

illi-

illinitionis cuiusdam ex hydrargirio,& alijs quibusdam confectę frequens vsus;non equidem sedandi doloris gratia,sed ob aliā causam, quam hic explicare non est opus. Ex qua quidē enarrata historia tria maximi momenti colligere possumus. Primum,ꝙ morbi,qui oculorum conspectum effugiunt, vere obscuri ab Hipp.lib.de Arte paulò post medium appellati sunt, vt qui non nisi mentis oculis obtineri possint. Et licet Gal.egregia illa commentaria de locis affectis,atq; de affectibus dignoscendis summo artificio construxerit,in quibus longe plura,quam ab Hipp.hac in re exarata fuerint,ab hoc diuino authore explicentur;certam tamen cognoscendarum partium, & affectionū internarum omnium rõnem docere non potuit(hoc enim impossibile est) ob varios innumerosq. particulares affectus,nunquā obseruatos in dies contingentes; Scientia.n.vniuersalium,non aūt particularium hr̄, ita vt,tum ob multa alia,tùm ob hanc potissimū incertitudinem, Ars medica coniecturalis iure optimo censeatur. Propterea haudquaquàm mirari oportet, si, & Gal.ipse ægrotans colicum dolorem à nephritico in seipso non distinguebat;& Hip.ipse Medicinę parēs seipsum à cranij sutura deceptum fuisse fateatur. Nullus.n.vnquàm tantus cõiectator,& artifex fuit,quem morbi,vel sedis affectæ fortuna fefellit: inter causas autem erroris,potissima à partium affectarū internatum,& affectionum ipsarum cõplexu dependet. Quandoquidem præualentis sedis affectæ, vel affectus signa primum concepta,spectantis medici animum in hanc partem ita trahunt,vt alterius sortis notæ,vel prorsus negligantur,vel ex malo priùs mente cõcepto oriri iudicentur. Ecce in Perillustri ægrotante proposita capitis doloris causa simul, & sedes affecta sensu deprehendebantur, videlicet calida intemperies cum humoris præsentia in occipitis cute; Etenim tumores, pustulæ subrubræ, & calor hanc partem exercebant,atque pars hic tota externa digitis, vel etiam leniter pressa, insigniter dolebat,ita vt nulla videretur suspicio de affectu interno, cum rarò admodum idem morbus exteriora,& interiora occupet. Cæterum symptomata alia longè grauiora, huic malo non correspondentia,scilicet, coma vigil, inquietudo, taciturnitas, febricula quædam continua, functionis animalis facultatis summa quædam imbecillitas, & mentis interdum alienatio suspicionem nobis incutiebant alicuius mali moris affectus intus latitantis: quale autem id esset,haud difficilè intelligere nobis concessum fuisset, si eius cognati, & familiares,nobis significassent,Hydrargirij vsū huic multis abhinc annis valde fuisse familiarem. Vnde luce clarius innotescit, viuendi modum præsentem,& prægressum,non exiguum compendium habere ad cognoscendos morbos,morbosasq.sedes. Hydrargyros enim vsq; adeo frigida est,vt vi narcotica dolores quoscunq; sopiat quidē leniatq. verùm sua insigni humiditate,ac partium tenuitate corpora

omnia, vel etiam durissima ossa subeat penetretque, emolliat, atque dissipet. Vnde sua frigiditate cerebrum valde offendit, neruos & artus infirmat, inde neruosarum partium, & tremor, & paralysis; necnon partium frigidarum corruptio, aut caries, vt dentium aliorumque ossium. Alterum quod ex enarrata historia obseruandum colligitur, est, Epilepsiæ in hoc patienti causam interiorem fuisse, vel malam quandam auram à carioso ossé in cerebrum subleuatam, non autem frigidam crassamque materiam cerebri ventres obstruentem. Quòd enim arbitretur Gal. Epilepsiæ causam ex humore frigido, crasso, & lento, cerebri ventriculos pertinaciter obstruente suscitari; præclusa quippè via spiritibus animalibus, ex eo semper mihi dubiũ visum est, quod rationi consentaneum minimè videtur, tantam obstructionem, tàm breui temporis spatio, quo durat accessio, superari soluique possit. Propterea sum ego in sententia, vitium hoc, symptoma nempè in læsa actione, morbum sequi in via, non obstructionem, vt alij, sed potius adstrictionem, siue angustiam meatuum ipsius cerebri se se contrahentis ad malæ cuiusdam auræ, siue perniciosi humoris grauiter molestantis expulsionem, quo deinceps excluso, statim in pristinum restituuntur statũ; qualem motum in singultu ædit ventriculus, vbi acri mordetur humore, aut corrupto cibo infestatur, vel etiam cibi copia grauatur. Tertium, licet interdũ morbus morbum soluat, vt patet apud Hipp. tùm pluribus in locis, tũ præsertim Aph. 7. Aph 55. morbus tamẽ, qui ex morbo nascitur, vbiq; solet esse mortalis, præcipuè si priore sit grauior, vt patet apud eundem Hipp. Aph. 7. Aph. 55. Sed illud non exigui momenti in posteritatis gratiam, & vtilitatem diligenter expendendum. Num videlicet vitium hoc tàm grande, perspecta à principio causa externa, superari, & quibus præsidijs potuisset. Certè fieri non potest, vt ægros omnes sanos Medicus Arte sua faciat, scribente etiam Hipp. Prognosticorum Lib. contex. 4. Moriuntur autem ægri omnes (vt longo vsu medicinam mihi facienti) experiri licuit tribus solum ex causis: prima cum morbus verè pestilens est. Quatuor enim modis aer pestilens continuo inspiratur, per asperam arteriam ad cor; per palati, & narium foramina ad cerebrũ, & per cutis spiracula in ambitu totius corporis ad arterias. Secundo cum sero vocatur Medicus. Tertia est, cum ægri vires secundum naturam infirmæ sunt, veluti ex ætate valde senes, & infantes, ex morbo diuturno, vt fistulis, carcinomate, cachexia, tabe, & consimilibus, quarum duæ posteriores hic locum habuere: igitur curari quidem, sed sanari non poterat; nihilominus initianti morbo, eiusque causa interna, & immediata, ex prægressis erratis magis cognita pleraque alia opportuna auxilia cum alicuius fortassis boni successus spe administrari potuissent. Veluti ad extrahendum perniciosum virus sudatoria: Pyriateria; hypocausta, & vesicantia occipiti, ceruici, & scapulis; cauterium

riũ namque iàm inter primam vertebram, & caput, excitatum fuit. De sãguinis missione è vena proxima parti, vnde mala aura epilepsię causa in cerebrum attollitur; de ligaturis pariter supra membrum, quod demandat, veluti generosis remedijs ad arcendam accessionẽ, in qua cerebrum per consensum afficitur, non erat cogitandum; etsi affecta sedes etiam exactè cognita fuisset: cerebro, & caluariæ interiori parti isthæc non poterant applicari: in quorum locum, sycię cui incisione, occipiti, ceruici, & scapulis affigi iure potuissent: Sed timidè quoque, nam os illud cariosum corruptumque, totum excidendum erat, alioquin omnia alia irrita, & manca erant, & medicatio hæc in seniori valde suspecta semper extimabatur. Huic accedit, ꝙ, & Hipp. ipse Aph. 5. Aph. 7. Epylepsiam lethalem autumat, quæ hominem apprehendit in fine adolescentię: Igitur tanto crudelior est, quę hominẽ senio confectum occupat, quanto senex adolescente est viribus omnibus imbecillior. Vnde rectè Poeta ille cecinit.

Non est in Medico semper releuetur, vt æger.
Interdum docta, plus valet Arte malum.

De Coexendicum vtriusque lateris luxatione, Pro Illustrissima Iuuenicula Domina Constantia de Ballionis,
Consultatio X.

VT rerum externarum compago, vel etiam summo artificio constructa, non solùm subita violentia, sed etiã paulatim laxatis vinculis dehiscit interdum, atque dissoluitur: Ità humani corporis ossa adeò affabre à natura constructa, non solum ictu, casu, saltuvè, siue quouis alio violento impetu externo, sed etiam humorum peregrinorum interno affluxu suis sedibus exeunt, atque diducũtur. In quod vitium, coxendicum nempè vtriusque lateris luxationem, Illustrissima Iuuenis Annum agens ætatis suæ 18. vel circiter, pluribus abhinc Mensibus incidit. Ità, vt nec stare, nec sine alterius adiumento incedere possit, atque in ipso incessu vehementer vtrinque claudicet. Affectum, Morbum esse in situ præter naturam statuit Gal. Lib. de Diff. Morb. Cap. 10. *Affectus.*

Sedem affectam esse coxendicum ossa, crura, & pedes satis cõstat; quod nec situm, nec figuram naturalem retineant. A suo autem sinu exeunt articuli, vel ex toto, vel aliqua tantum ex parte; vt notat Gal. Lib. Met. secũdo. Cap. 7. Ex toto fœmoris vtriusque capita in Illustrissima Patiente excidisse, satis constare potest, tùm quoniam motus illarum partium ex toto ferè perijt, tùm quoniam fæmoris caput rotũdum cum sit, & altiori cauo inseratur, à cuiusque oris in orbem cingatur, vel sua sede non excidit, vel ex toto prolabitur. Cæterum cum luxationi totidem species subijciã tur, quot sunt partes, in quas prolapsa *Affecta sedes.* *Signa.*

offa prorumpunt,funt autem quatuor,prior,posterior,exterior,& interior,licet Gal. Primo de fracturis Comm.fecundo. Sex enumerare videatur; In interiorem partem fœmoris vtriufque capita in propofita luxatione receffiffe multa funt argumenta, quæ me impellunt, vt credam. Primum,quoniam exteriorum mufculorum motus prorfus perierunt,interiorum vero aliqua ex parte,adhuc vigentibus:quo fit, vt coxas,& crura adducere quidem, fed nō abducere nifi externo auxilio poffit. Articulis enim erumpentibus, eius partis motus ceffat, à qua recedunt,& in ea non nihil feruatur,in quam prorumpunt, cum ibi aliqua ex parte à Mufculis moueri poffint,vt Hipp.fcripfit Lib.2. de articulis,fecundo. Alterum,pars à qua receffit articulus, exterior nempe gracilior non nihil obferuatur,altera verò fcilicet interior magis fecundum naturam feruatur,ità,vt craffior appareat, fignum luxationis in interiorem partem à Celfo etiam obferuatum lib.7. Cap. 11. Tertium partes interiores ad inguina tumorem quendam cū duricie exprimunt;exteriores autem finum quendam:femper enim tumor eft in ea parte,in quam os erumpit,& finus in ea,à qua receffit: proinde Hipp.in libello,cui titulus eft *Mochlicus*,hoc eft,de Impellendis ofsibus,vbi de coxendicum luxatione ad partem internam priuatim loquitur,fcriptum reliquit, quòd caput articuli iuxta perinæum tangitur. Quartum poftremumque articuli intro luxati argumētum ex eo deducitur,quòd vltimus pes,calcaneus fcilicet vterque exterius fpectat,quod huiufmodi luxationis certifsimum fignum à Celfo fcribitur lib.8. Cap.20. Quapropter haud mirari oportet, fi ofsis fæmoris caput vtrumque intro prolapfum in caufa fit, vt Illuftrifsima Iuuencula per cruris vtriufque circumuolutionem incedat, vt Boues: etenim vltimo pede exterius fpectante,exteriorumque mufculorum impedito motu,interiorum autem aliqua ex parte remanēte, neceffum eft per inceffum talem fieri circumuolutionem:quod perbelle adnotauit Hipp. Lib.de articulis.

Caufa. De caufis autem fic ftatuendum puto. Cum nulla commemorati mali violentia externa præcefferit,nam neque ictus aliquis,neque cafus,neque faltus,neque immoderata illarum partium diftentio præcefsit,omne vitium in caufas internas referendū eft; nimirum in humores pituitofos,qui à capite natura iufto humidiore,& à ventriculo frigidiore alimenta ægre concoquente,necnon à toto corporis habitu humidiore frigidioreque exiftente,in coxendicum artus pręcipitati;horum ligamenta molliora,laxioraque effecerūt,& ob id minus opportuna retinendis in fua fede articulis: quo factum eft, vt repletis etiam cauitatibus,fiue acceptabulis dictorum ofsium, eorum capita exciderint. Quorum quidem excrementorum colluuiem non folum in vifcera fuperius commemorata malè affecta referre licet, verumetiam in menfes diu fupreffos. Quibus iugiter, & concaufa vna, ea-

que

que manifesta accedit, videlicet iuncturarum quædam à Paterno semine contracta imbecillitas: quæ quidem, & vinculorum infirmitatem, & cauorum oras minus altas, quàm pro naturæ præscripto, consequitur, vt notat Gal. lib. primo de Art. Comm. 6. Vinculorum autẽ nomine, & musculos, & chordas, & ea, quæ propriè ligamenta dicuntur, omnes citra controuersiã intelligunt. Hæc quippe, vbi exilia sint, vel mollia, vel longiora, siue à natura, siue postea, minus firmiter articulum in sua sede continent, quod vitium eos facilè exercet, qui natura, vel victu prægresso humidiores existũt, vt adnotare videtur Gal. lib. de Artic. primo. Comm. 9. Ab humore enim ligamentorum substantiam solidam emolliente laxanteque, longiora, ideòque infirmiora hæc ipsa redduntur. Gal. & Hipp. scribẽtibus lib. primo de Art. tex. Comm. 15. licet ab eodem muccoso humore parua ligamẽtorum foramina opplente infarcienteque, crassiora, & idcirco breuiora, firmioraque efficiantur. His itaque constitutis, vnicuique compertum esse potest, in quos scopos curaturi Medici consilium dirigendum sit. Primus ergo præcipuusque sanationis scopus erit, fœmoris caput in pristinam sedem, vnde recessit reponere, repositumque fideliter continere, corpore prius iterum, atque iterum repurgato: necnon excrementis pituitosis in acceptabulis, atque iuncturarum vinculis contẽtis digestis dissipatisque: opus sane difficile quidem, sed non impossibile: nam licet nonnulli Hipp & Gal. etiam doctrinã sectantes, prorsus negauerint magnum illum articulum semel elapsum, vel restitui, vel restitutum contineri posse, Hipp. tamen, Diocles, & Heraclides Tarentinus, Clari admodum authores, ex toto se restituisse memoriæ prodiderunt: neque (vt scribit Celsus lib. 7. cap. 20.) tot machinamentorum genera ad extendendum, in hoc casu fœmur, Hipp. Andreas Milęus, Heraclides, ac pleriq; alij reperissent, si impossibilis esset hæc prouincia: mihi quoque, abhinc multis annis Medicinam facienti, nõ semel tantum obseruare licuit, luxatum hunc articulum, peritorũ Chirurgicorum opera integrè fuisse restitutũ, & egregiè firmatum. Verumenimuerò cum in Illustrissima Patiente articulus coxendicũ vtriusque lateris iamdiù elapsus sit, & ex toto recesserit, multumq; à suo cauo absit, ob affectus vetustatem, difficilior vtiq; erit repositio, non tamen (vt antea dictum est) impossibilis, præsertim cum res agatur cum fœmina iuuencula, ac humidiori habitu prædita: mollioribus enim corporibus, vt pueris, eunuchis, mulieribus, & his, qui natura sunt humidiores, opus hoc facilius succedit iuxta Hipp. sententiam 3. de Officina 23. Qui deinde articuli integre repositi, vix ante sexagesimum à restitutione diẽ confirmari poterunt. At quoniam ob longam patiẽtis consuetudinem, coniectura assequimur partiũ affectarum ligamẽta pituitoso excremẽto imbibita, haudquaquã distẽdi posse, nisi prius exactè euacuentur inaniantur que, & iugiter sinus, in quibus ossium

Scopi.

Prædictio

capi-

capita recipi debent, humore concreto, vel crassiore aliqua substantia, ita oppletos esse, vt promotum articulū recipere nequeant, quod diù extra ipsos manserit: ante omnia studēdum erit, vt & vniuersum corpus, & affectæ partes præsertim integrè expurgentur. Vt vero intentum assequi valeamus, primùm recta victus ratio omni studio, ac diligentia pręscribenda erit, pertinaciterq; obseruanda: nimirū talis, qua ne excrementa pręcipuè pituitosa accumulentur, sed potius quę collecta sunt: digerantur dissipēturq; , vt causæ internæ, quam materialem appellant, & coniunctæ, & antecedenti occurramus, neue ventriculi, & capitis frigida, ac humida intemperies augeatur. Ad quod ex vsu maximè erit Aer paulo calidior, ac siccior; dormire moderatè, partibus infernis nonnihil eleuatis: superiores partes exercere, ac modicè fricare: læto esse animo. Aluum mollem habere. Virum raro adire. Carnes potius assas, quàm elixas edere, easq; auicularum. Vino vti paucifero, & subastringente aqua ferrata castigato, si vinosum admodum sit; pane vti, vel ex tota farina, vel multò furfure confecto, recenti tamen. Abstinendumque erit ab omnibus cibis frigidioribus, ac humidioribus, & crassi succi multorumq; excrementorum: attenuantibus ergo vtendum erit, quo in casu cœnam prandio parciorem ex eo maximè probamus, quòd cerebro frigidiore, ac humidiore existente, vapores plurimi ex ciborum copia, noctu in caput elati somni beneficio, nec concoqui, nec difflari possunt, vnde excrementis gigendis materia suppeditatur, semperq; parcè edendum erit, atque omni studio cauendum, ne, vel copia, vel importuna hora cruditates vllæ suboriantur. Ab assumpto cibo aliquid semper deuorandum erit, quod ventriculum adstringat, eiusque partem superiorem præsertim adstringēdo, prohibeat, quominus vapores ex assumptis cibis, in caput efferantur: veluti coriandrum saccharo tectum, vel fœniculum, aut interdum diacydonium, vel saccharum rosatum: nec vnquam post cœnam, aut prandium potet confulo. In qua victus ratione præscripta, pertinacissimè pergat oportet.

Victus ratio.

Pharmacia.

Quòd autem spectat ad medicamentorum, tùm internorum, tùm externorum rationem; Hæc esse debent, lenientia in primis, mox pręparantia; Dein purgantia, postea alterantia, & tandem corroborantia. Ante omnia igitur ventrem lenire oportebit, vel melle rosato solutiuo, vel Diacatholico, vel manna cum melle rosaceo solutiuo. Aluo hunc in modum lenita, succi crassi, & viscidi præparabuntur syrup. de bettonica, oxymel. simp. melle rosato, & syrup. de cichorea, cum aquis bettonicæ, iuæ, fœniculorum, & endiuiæ, vel cum decoctione simplicium eiusdem facultatis, in iure, aut pulli gallinacei, aut colūbi parata. Præparati humores deturbandi erunt. Ad quod opus perficiendum, vtendum erit mellis rosati solutiui vncijs quattuor, Agarici trociscati drach. 1. cum Rhabarbari. s. A. infusi, ac forti-

ter

ter expreſſi ſcrupulis quattuor, omnibus aqua boragine, vel decoctione cordiali diſſolutis. Vel (ſi boli minus eſſent ingrati) pilularum de hiera cum agarico, & aggregatiuarum ſingularum ſcrupuli duo præſcribantur, hæ enim cum aqua bettonicæ, vel cum melle roſato ſolutiuo, aut cum quopiam alio cōſimili liquore in mollem bolum facilè reducuntur. Et quoniam hanc vnicam purgationem in tanta excrementorum colluuie ſuffecturam minimè arbitror, eandem repetere, aut aliam ſimilem adiungere licebit. Interim, vt caput etiam frequenter expurgetur, etiam, atq; etiam hortor: Errhinis præſertim ex ſucco radicis betæ, vel ex decoctione vtriuſque hellebori, ſiue ex manna cum aqua hordei liquata, paratis. Vel Recipe foliorum maio ranæ, bettonicæ, ſaluiæ, rutę: ſingulorum m.s. hellebori nigri drach. 2. piperis albi ſcrup. 2. aquæ hordei lib. 3. bull. ad conſump. tertiæ partis. Deinde percolato decocto adde ſucci radicis betæ vnc. 4. pro Errhino aliquot diebus hora vna, vel altera ante prandium tepido attrahendo per nares. Quibus ritè adminiſtratis, vt pituitoſa excrementa habitum vniuerſum, ac præcipuè caput, & articulos pertinaciter occupantia, prorſus euellantur, ſimulq;, & cerebrum, & ventriculus moderatè exiſiccentur, ligni ſancti decoctum quadraginta ſaltē dies, in loco calido, vbi ſemel tantum in die de more, & ſyrupum ſumat, & copioſè ſudet, citra tamen violentiam, omni diligentia poter, ſummoperè probo, & conſulo; ea tamen diæta, quam citra inſignem virium iacturam ſuſtinere poſſit. Decoctum autem hunc in modum parabitur. Recipe ligni ſancti vnc. 3. ligni viſci quercini, ſarſæ an. vnc. 1. aquæ communis lib. 6. infundantur horis 24. Deinde bull. ad conſump. medietatis, in fine ebull. adde bettonicæ, ſaluiæ, ſtechados, cichorij an. p. 1. cuius percolati vnc. 7. vel 8. horis quinque ante prandium propinentur. Item Recipe dictum lignum vtrunque, & ſarſam, aquæ communis lib. 12. & iterum bull. herbis abiectis ad cōſump. ſextæ duntaxat partis, & in fine ebull. adde coriandrorum, liquiritiæ an. drach. 3. radicis ſaſſafras drach. 1. mox coletur, & vſui ſeruetur pro potu quotidiano. Vt autem cerebrum, ac ventriculus corroborentur, ab aſſumpto ligni decocto, vel etiam eo tempore, quo aſſumitur, ſupra ventriculum geſtabit Illuſtriſſima Patiens ſacculum ex ſerico, qui excipiat cinnamomum, nucem moſchatam, lignum aloes, calamum aromaticum, origanum, coriandrum, roſas, ac mentham cum abſynthio, vel huius loco, Recipe Maſtiches, cinnamomi, carryophyllorum, nucis moſchatæ an. drach. 1. s. Mirrhę drach. 1. ol. maſticini drach. 3. cerę, picis, & terebinthinę q. s. fiat ceratum, quod extendatur ſupra corium in forma ſcuti ſupra ſtomachum cōtinuò aliquot dies geſtandum. Interim pro capite, ſemel ſaltem in hebdomada lauando, lixiuium paretur ex vitis ſarmentorum cineribus, in quo herbæ, ſimpliciaq; caput modicè ſiccando corroborantia,

tia, citra insignem calorem præbullierint: in vsu quoque habeatur confectum, aliqua, tùm caput, tùm ventriculum roborandi facultate præditum, vt Theriaca, Mythridatum, vel confectio anacardina, cum conserua rosarum. Quo tempore etiam supra coxæ articulum lateris vtriusque ceratum sacrum appellatum super corio extẽsum, die noctuque gestetur. De chirurgicis præsidijs ante articulorum repositionem administrandis: duo duntaxat proponenda occurrunt, nẽpè, & venæ sectio malleoli lateris vtriusque, cum menses non respondeant, nec adsit pletoria, & cauteria duo, alterum in brachio sinistro, & alterum in crure dextro paulo supra genu in parte interna; peracta prius purgatione vniuersali supra instituta: hoc quidem deriuationis; illud verò auersionis, seu humoris ad artus fluxuri interceptionis gratia. His, & tertium chirurgicum præsidium accedit: videlicet inustiones pluribus in locis ex partibus internis, & externis iuxta laxatos artus. Post hæc, articuli, qui suo excesserunt loco, restituantur oportet; Quod quidem opus ad chirurgiam spectat, neque enim hoc natura spontè moliri valet, vt pleraque alia opera. Ars enim duntaxat prolapsos restituit artus, fracta componit ossa, quæ præter naturam diducta sunt, coniungit; atque separat, quæ præter naturam coierunt. De operibus huic medicationi necessarijs, nihil mihi nunc dicendum esset, quòd ad peritum Chirurgum hæc omnia spectare videntur; verum, ne demandatam mihi nunc prouinciam recusare videar, nonnulla ad institutum maximè attinentia, hic paucis subnectam: Ante igitur fœmur vtrunque summa dexteritate extendere oportet: deinde articulum in suam sedem reponere, vbi iam restitutus fuerit, fideliter confirmare, ne rursus excidat: confirmabitur autem, si membrum, vt decet alligetur, fulciatur, atq; rectè collocatum figuratumq; quiescat. Articuli verò in pristinum locum, restitutionem, duo sunt, quæ patefaciunt, sonus quidàm in repositionis opere subauditus, & motus, qui antea perierat, nunc restitutus: sed de motu periculum facere tutum non est, cum membrum immobile multis diebus seruari oporteat, ne rursus articulus luxetur. Illud autem minimè silendum puto, nimirum, quòd, cum res agatur cum muliere iuuene, molliorique habitu prædita, solis manibus potius, quàm Chirurgicis machinamentis ad impellendum vti oportebit. Verumenimuerò, qua ratione restituti, atq; colligati articuli collocari debeant Hipp. primo de fracturis 51. & 52. Necnon secundo de fract. 63. & 64. ità clarè explicat, vt alia ad hoc opus egregiè præstandum, non sit opus inquisitione. Hæc omnia, de quibus accuratè cogitaui: faxit D. O. M. vt efficacia, & salutaria (quod maximè opto, & spero) eueniant.

Chirurgia.

De

De Hypochondrij dextri tumore renitente ad Ioannem Baruſſium Medicum Clariſſimum, Conſultatio XI.

LItteris, quas ad me vigeſimoquarto Aprilis dediſti, quibuſque Illuſtris viri Regienſis ęgritudinem, non minus doctè, quam eleganter deſcripſiſti, & cuius profligandę rationem aliquam, conſiliumque ea potius, qua prȩditus es humanitate, quam rei neceſſitate ductus petijſti, hoc primum reſponſum volo, haudquaquam mirandum eſſe, ſi Clariſſimi viri in propria commemorata tumoris ſede affecta exploranda, diſcordes ferè videãtur: ea enim ſemper fuit rerum obſcurarum conditio, vt quoſcumque vel etiam acerrimi ingenij, & rarę doctrinę viros in varias, planeque contrarias opiniones facile traxerint; quapropter, vt omni apud me excuſatione digni ſunt, ita, & ego ſatis confido, me a te minime improbari, ſi ab aliorũ placitis, rei obſcuritate coactus, deflectere hac in re videbor.

Tumoris hypochondrij dextri Illuſtrem hunc Virum duobus abhinc annis prementis, ſedem in iecore minime ſtatuendam eſſe, octo ferè argumentis magnopere vrgentibus ipſe ſtudiosè admodum colligis, quæ etiam idipſum mihi quoq; cumulatiſſime indicare videntur: cæterum quoniam nonnulla occurrunt, quę opinionem hanc remorari poſſent, indagandę veritatis gratia, ſine vllo fuco, & ingenuè, hæc commemoranda eſſe operæ pretium duxi.

Quod ſic tumor non ſolum tactui, ſed oculis etiam obuius pateat, hepatis affecti ſuſpicionem excludere non videtur, quoniam (ſcribẽte Gal. loco à te citato. 5. de loc. aff. cap. 6.) phlegmones, quæ in hepatis gibba parte conſiſtunt, maxime ſi magnæ fuerint, facilè a nobis, vel ſolo tactu dignoſci poſſunt; quæ vero in cauis partibus fiunt, per ea, quæ ſequuntur ſymptomata, magis quam per tactum cognoſcuntur: quare eò facilius hac in parte ſcyrrhoſi tumores, eò euidentius percipi ſolo tactu poterunt, quò ſua duritie magis renitantur, tantumque, quod dolore vacant, faciliùs ſubſtineant, atq; in corpore præſertim gracili.

Quod verò ſecundo loco argumentum adducebatur, nempè tumorem hunc in hepate non conſiſtere ex eo, quòd ventriculi regionem obſidere videatur, non admodum cõuincit, ſiquidem, & iecur ipſum ventriculum magna ex parte complectitur.

Ratio tertia a tumoris figura ferè quadrangulari petita, profectò ſatis vrget, verum non vacat ambiguitate; nam licet iecur lunæ figuram proxime æmuletur, ideoque ſecundum Arabum placita huius viſceris tumores eandem circunſcribunt ferè figuram, vbi cumulatim, æqualiterq; hæc pars in tumorem attollatur; cauſa tamen morbifica, quam materialem appellant, inæqualiter huic parti firmiter hę-

hærens, tumorem varie figuratum, pro partium, quas occupat, varietate, suscitare valet.

Quod animum meum non parum torquet: quartum est à te deductum argumentum, videlicet si hepar eius facultatis quæ sanguinem gignit, instrumentum est, consequens est, vt hoc viscere vitiato, actio quoq; eius vitietur, inde atrophia, cachexia, deprauatus color totius, & alia eius generis symptomata extarent, quæ in Illust. Viro nō obseruantur, atque præsertim vrina admodum vitiata deprahenderetur: quod efficax est opinionis tuæ argumentum quinto loco adductum: Quibus argumentis illud responsum volo, nempe quòd hepatis partem simam, vel etiam gibbam, sed penitiorem, scyrrhi confirmati occupantes, commemorata vtiq; mala tandem afferunt, vt & Gal. ipse loco iam citato scriptū reliquit: verumenimuero, si in summa tantum gibbæ partis superficie consistant tumores nondum consumati, neque in scyrrhum exquisitum commutati, tot malis nō sollicitatur laborans; propterea in Illust. hoc patiente horum etiam malorum rudimenta quædam, vt ex colore mutato, & ex quadam non illi naturali macie constat, satis deprehenduntur.

Spirādi autem difficultas, cuius prudenter sexto loco meministi, tumentis hepatis symptoma, non necessariò quoscunque hepatis tumores consequitur, quemadmodum nec tussis, sed insignes tantum, eosque etiam, qui causam, & superiorem huius visceris partem altius opprimunt: adde, quòd & Illustris patiens in motu vehementiori obeundo aliquam etiam spirandi difficultatem experitur.

Tumoris huius eleuatio interdum, & maior prominentia cū murmure quodam, septimo loco à te coniectura adducta hepatis illæsi, pendere potest ex flatuum copia, ex interuallis in eadem parte, in qua tumor consistit, suscitatorum.

Tandem, quod prudenter affirmas, scyrrhosos hepatis tumores aliquandiù latere, postea non nisi temporis interuallo manifestiores euadere, hic autem de quo agimus statim a principio tactui, leui etiam pressa, obuius erat in hunc modum explicari posse puto; verā duntaxat esse instantiam adductam scyrrhosis tumoribus in cauis iecinoris partibus constitutis, quemadmodum Gal. de totius morb. temp. lib. c. 4. apertè docet.

Amplius dubiū satis esse potest, num statim, atq; tumor hic, tum ægroti, tùm Medici sensui innotescere cœpit, eo tempore erumpere cœperit, cum inter initia tales tumores præ sui interdum exiguitate vix deprehendantur: ijs accedit, quòd duplex est modus quo gigni, tum in visceribus, tum in alijs partibus potest scyrrhus, videlicet, vel ex pituitosorum, aut melancholicorum humorum fluxione statim inter initia tumorem efficiente, qui postea perseuerante fluxione, ipse quoque augetur, vel ex tumoris alterius calidi, aut frigidi in scyr-

Scyrrhus, quot modis gigni possit.

rhum

rhum commutatione: Hęc a me nunc dicta sint non studio contradicendi tuis vrgentissimis argumentis, sed quoniã casus hic pulcherrimas speculationes habet: Porrò autem, vt meam de sede affecta af- *Pars affecta.* feram sententiam, tumorem hunc, vel in medio spatio eorum musculorum, qui per transuersum incedunt, atque illorum, qui obliquè ab infernis sursum tendunt consistere (vt tu quoque asseris) non denegarem, licet Gal. 5. de loc. aff. cap. 9. circa medium, in Stesiani historia de huiusmodi tumoribus loquens, abscessus potius pure iam contracto, quam duros, scyrrhososque tumores describat; vel (quod veritati magis consentaneum videtur) in iecoris summas, extimasque partes, atque etiam ambientes membranas; quos tumores nõ semel tantum mihi ipsi cadauera dissecanti videre contigit, qui nullam iecoris figuram æmulabantur, aut circunscriptionem: huius tumoris ad scyrrhi naturam vergentis causam proximam, humorem esse pi- *Causa proxima.* tuitosum, crassum, & lentum, flatum, tenuemq; cruditatem iugiter habentem, tam notum est, quam quòd notissimum: quem quidem humorem ex praua victus ratione prægressa accumulatum, validũ iecur a se in proprias membranas excutiens deponit.

Curandi eius communis indicatio est, vt quod præter naturam in *Scopi curationi.* particula est, totum vacuetur, modus tamẽ vacuationis proprius est: etenim hepar non sustinet, vt lien vehementiora medicamenta: Detergere ergo, quod contumaciter parti inhæret, oportebit non his, quæ vehementer calfaciunt, & siccant, sed tantùm (vt optime nosti) sunt admouenda, quæ molliendo digerere possunt, his etiam additis quæ visceri robur conseruare valent.

Quos scopos essequi (vt ipse quoque rectè iudicasti) non erit ad *Prognoss.* modum difficile, modò illustris patiens sese recipiat medica præce- *Scyrrhus ab initio oĩno superatur si ritè curetur.* pta obseruaturum; quandoquidem licet scyrrhus ad plures dies extensus, inueteratusque curationem minime admittat, ab initio tamen, si, vt decet tractetur, omnino superari potest; vnde, & Gal. ipse hepatis scyrrhũ ab initio sanauit: hic autem tumor quidem est eius conditionis, non tamen absolutus, & confirmatus.

Inter remedia huic affectui curando destinata chirurgica, nume- *Presidia chirurgica.* rãtur sanguinis missio ex interna cubiti dextri vena, & tribus ab hac diebus hæmorrhoidum apertio a leui præcedente purgatione necnon cauterium in dextro crure paulò subtus genu in parte interna, causæ (quam antecedentem vocant) auertendæ gratia.

Pro humorum præparatione, salubria erunt serapia de cichorea, *Præparatio humorum.* syrup. acetosus diarhodon, syrup. de eupatorio, oxymel, & simplex, etiam scyllinum, cum aquis cuscutæ, lupulorũ, cichorij, agrimonij, & cum similibus. Apparati humores, tum biliosi, tum pituitosi, *Purgatio.* tum etiam melancholici deturbandi erunt rhabarbaro, & agarico trocyschato cum Dyacatolicon, decocto epithimi, fumariæ, & senæ

disso-

dissolutis,vel quem maxime omnium probo,syrup.de polypodio.

Deobstruẽtia,& roborantia medica-menta. Quòd verò ad aperientia,& roborantia attinet,non me latet apud te clarissimè constare , syrupum de cichorea cum rhabarbaro , Diarhodon,Dialacca, Diacurcuma,electuarium de passulis non ignobilem obtinere locum in hepatis obstructionibus,consimilibusque tumoribus.

Topica. De topicis;ex vsu erunt emplastrum Diachylon, de meliloto, ceratum œsipi,& ceratum à me sæpè cum successu vsurpatum, quod habet.

Recipe emplastri de mucillaginibus	vnc. 3.
Bdellij	vnc. 1.
Ammoniaci	vnc. 5.

Gummi soluantur in aceto acerrimo, & bulliãt in olei de absynthio, vnc.2.cum vini albi.vnc.4.deinde adde spicæ nardi drach.2.& cum cera alba.q.s.fiat ceratũ emolliens,& digerens obstructiones, & tumores scyrrhosos, ac præsertim iecinoris; Vel cerato alio emolliente,cuiusmodi est Diachylon vocatum,medulla cruris vituli,oleo amygdalino dulci,& modico croci confecto.Quòd si ex toto affectus sic non deleatur,Autumno proximo ineunte, corpore,(vt decet) repurgato, ius Galli vnius,vel alterius anni cum modico chinæ,& sassafras vocati,betonica,menta viridi,eupatorio, absynthio,pentaphilo,coriandri seminibus,& cicoraceis in eodẽ iure excoctis diebus quindecim propinatum,magnopere profuturum cõfido, ac præsertim si vir Illustris antequam cõmemoratum ius assumat, bolum ex sacchari rosati vncia media,chalybis pręparati drachma media,& caryophyllorum gr. septem immediate deuorauerit:quanti enim momenti duo hæc pręsidia ad expurgandos quosuis internos humores habeant,te quoq; sępè expertum fuisse non dubito. Quo tempore stillicidium ex oleo amygdalino,& camęmellino,quod mastice,ladano,& cõsimilibus sit medicatum,si supra tumentem locum fiat,fore sperandum est,vt humor prorsus discutiatur.

Victus ratio. Et quoniam in omnibus diuturnis affectibus curandis magnam potestatem habet(vt optime scis)recta victus ratio,in hac si constantissimè persistere deliberauerit, omnia (vt spero)ex voto succedent: Qualis autem hæc præscribi debeat,superuacaneum nunc esset explicare; quippe quòd hæc,& omnia alia tibi tàm nota sunt, quamquod notissima ; tenuem enim atque attenuatoriam victus rationem hoc in casu ex vsu esse non ignoras.

Hæc sunt quæ dicenda habui,in Illustris viri casu non admodum facili,quæ,& ipsæ quoque(vt ex tuis doctissimis litteris percepi) præcognouisti;placeat Deo,vt salutaria,& prospera Illustri nostro ægroto contingant.

De

De Destillatione pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Sanctorum Quatuor, Consultatio XII.

ILlustrissimus, ac Reuerendissimus Cardinalis Sanctorum Quattuor; Suæ ætatis annum circiter vigesimum agens; siue (si totius corporis habitum consideremus) temperamento præditus: Cordis, Iecoris, ac reliquarum partium moderatè calido: Cerebri verò nonnihil humidiore: ab ineunte ferè ætate, Destillatione graui quidem, atque hæreditaria, à Capite in subiectas partes, per os, guttur, & œsophagum in vetriculum descendente, assiduè laborat. Cuius quidem causam primariam in Cerebri vitiatam concoctionem reijciendam esse existimamus. Vitiatur autem huiusmodi actio in Illustrissimo Domino: non propriæ facultatis culpa, neque primariò; quod cerebrum natura in qualitatibus actiuis temperatum sortitus sit, vt ex ingenij, atque prudentiæ præstantia facilè conijcitur: Sed secundario potius, Retentricis nempe eiusdem Cerebri, ob humidam, atque laxam substantiam, imbecillioris vitio; necnon expultricis interdum impeditæ, meatuum, per quos Cerebri recrementa assidue expurgantur, obstructione. Cum præsertim Meatus narium in Illustrissimo, vt plurimum plus iusto strictiores, ac magna ex parte impediti, deprehendantur. Quo fit: vt accumulata magis quam deceat in Cerebro excrementa: nulla vitiosa prædita qualitate, quæ ex odore, aut sapore, aut colore, aut partium subiectarum symptomatis, cognosci solet: copia potius, quam acrimonia expultricem irritantia; ad subiectas partes, infra Caluariam consistentes, præcipitata; assiduam illam sputionem, quatenus in os feruntur, efficiant; & in ventriculum delapsa, eius interdum coctionem vitient, indeque, & tristis ille sensus ea in parte nonnunquam percipiatur, & perturbatio quædam ventris, propter multos, qui inde emergunt, flatus. Quæ quidem excrementa a Capite in ventrem demissa, Pituitosa cum sint, eatenus aluum pigram reddunt, quatenus Bilis, intestinorum expultricem vim irritantis, acrimoniam retundunt. At quando plus æquo in capite retinentur, grauitatis quendam sensum molestum excitant in anteriore parte; potius internum, quam externum: propterea quod intra caluariam colliguntur, plus, minusve, pro inclementia ambientis aeris; qui tum frigidior, tum calidior iusto, æquè Illustrissimo est infensus, ob Capitis texturæ raritatem. His accedit, quod commemoratorum excrementorum in Cerebro collectio, atque prouentus ventriculi vitio duplici de causa augetur; cum ex vaporibus sursum latis, tum potissimum ex crudiore sanguine, & alimento, cerebro ipsi suggesto: errata enim primæ concoctionis in ventriculo celebratæ, ab Hepate secundam coctionem moliente, vix corrigi possunt.

Aetas. Temperamentum. Affectus. Causa primaria. Pars affecta nō primario, sed secundo licet per se. Symptomatum rō de quibus conqueritur. Assidua sputio. Dolor ventriculi. Ventris perturbatio. Aluus pigra. Grauitas capitis. Pars affecta per cōsensum.

Ventriculum autem capiti, & caput ventriculo suas vltrò, citroque mutuo quodam consensu communicare affectiones, nemo ignorat.

Causæ externæ. Quòd autem ad Causas externas huius Destillationis attinet; illud satis quidem constat; quod, vt cerebrum calidum a calido, ita immoderatè frigidum a frigido, atque humidum ab vtroque æquè læditur. Quarum quidem causarum externarum importuno vsu, tùm in Illustrissimo, tum in alijs omnibus duplici nomine catharrus promouetur; vel calido contenta in cerebro excrementa liquante, vel frigido exprimente.

Quapropter, vt Illustrissimum, ac Reuerendissimum Adolescentem præsenti molestia, multisque alijs longe grauioribus imminentibus malis liberemus; vt optamus, & pro nostra summa in eum obseruantia debemus; *Primus scopus curatiuus.* Ante omnia victus ratio; quæ maximi in huiusmodi destillationibus momenti est, accurate præscribenda erit, ab eodem pro virili summopere seruanda: quanquam non admodum ijs facile est, qui vitam potius negotiosam, quam sedentariam agunt. *Secundus.* Præterea omni studio incumbendum; vt excrementa, & in cerebro, & in ventriculo quotidie congesta vacuentur, dissipentur, indeque ad partes alias auertantur: quod quidem auxilijs paulò infra præscribendis facile erit, vt obtineatur. *Tertius.* Tertiò, ne hæc ipsa, in paulo ante commemoratis visceribus abundantius iusto cumulentur, præter victus rationem instituendam, maxime studendum erit, vt cerebrum, humidius quam conueniat, moderate exsiccetur, ventriculoque robur addatur: quæ quidem prouincia non admodum facilis futura est, cum vetusti, penè connaturales, atque hæreditarij affectus vix vlla arte euinci possint: *Vetustus, & hæreditarius affectus.* nihilominus, quia humida intemperies omnium corrigitur facillime; ætatis præsertim in dies magis, magisque proficientis mutatione, sperandum fore, vt si non omnino, at magna saltem ex parte superetur; *Humida intēperies.* cum præsertim humor destillationis præcipua causa, nulla mala qualitate præditus, nec cerebri temperamento aduersetur, nec in pulmones, aut thoracem; sed in os tantum, atque ventriculum labatur; ob id tamen præseruandi ratio, nec leuis, nec contemnenda est; scribente Galeno; *Humidiores cerebro, uel corpore.* Humidiores siue cerebro, siue corpore vniuerso leui occasione assidue destillationibus vexari: à quibus mox, & cerebri, & neruorum, & partium spiritualium, & viscerum nutritioni inseruientium mala ferme omnia, si negligantur, pendere possunt.

Materia remediorum. Cæterum, quoniam totius præcautionis summa, quam desideramus, in causarum ablatione sita est. In primis victus rationis recta obseruatio ineūda erit, quippe quæ, vel vnā destillationis causam, quam materialem appellant, maxime discutere valeat.

Victus ratio. Caueat igitur Illustrissimus pro viribus omnem Aeris inclementiam: Australes præcipue, & Aquilonios flatus, Ante solis exortum,

tum,& inclinante iam die,domi se contineat; nam matutinis, & vespertinis crepusculis aer,potissimũ Romæ,infensissimus ijs est, quorum caput destillationibus obnoxium:omnem quinetiam Insolationem,& capitis calidiore lixiuio lotionem euitet:cõstat enim frequentem capitis ablutionem ipsas nõ raro destillationes promouere; dum cutim rarefaciendo aereis iniurijs caput opportunum reddit. Verum consuetudinis hac in re quoque habenda ratio est,& huic incommodo potius occurrendum lixiuio ex Betonica, stœcade,rosis, senæ folijs,& Agarico in eodem incoctis parato.

Aer. Insolatio. Capitis lotio.

Somnus intra spatium sex,aut septem ad summum horarum esse debet:condonandum tamen aliquid cõsuetudini.Diurnus,ac statim à cibo nocentissimus est; à cœna nisi duabus saltẽ horis,pluribus antea leuibus deambulationibus peractis, se dedat: Dormiatque capite elato,satis tecto,semperque in latus inclinante.

Somnus.

Non multum,neque parum se exerceat:sed tempestiue, ac moderate:nempe ante cibum,nec vnquam ad sudorem inclusiue. Frictiones quoque,partium præsertim infernarum, ieiuno tamen ventriculo,atque hora matutina sæpe,ac sæpius manibus de more administratæ maximi erunt vsus,multumque afferent valetudini vtilitatis.

Exercitatio. Frictiones

Quemadmodum,& Balneum ex aqua dulci,tepenti,debitis seruatis conditionibus, æstiuo potissimum tempore plurimum prodesse arbitramur.

Balneum.

Animi curis, sollicitudinibus, immodicisque studiis (quantum licet) minime obruatur.

Animi motus.

Quòd si aluus adstricta sit interdum; vel Prunis damascænis cõsuetis: vel mica Panis, Butyro atq; melle delibuta: vel passulis corynthiacis in passo excoctis, primaque in mensa deuoratis: vel Pane ex tota farina confecto, huic muneri accommodato, vel pinguis capi, aut Veruecis iusculo, immediate ante cibum epoto; vel glande interdum, aut molli Clystere sollicitanda erit.

Alui excrementa quotidie ducenda.

Quòd ad cibum, & potum attinet; cum mihi Illustrissimi iandiu perspecta atque explorata sit, cum in cæteris omnibus, tum prẹsertim in victu temperantia; nihil profectò dicendum esset; veruntamen, vt huic etiam parti satisfaciam; nonnulla generatim attingam.

Cibus.

Cibi itaque eligantur boni succi, qui facile coquantur, non flatus ædant, nec vapores in caput ferant: Propterea omnia suspecta sunt aromata, vno duntaxat excepto pipere; cuius etiam vsus moderatus sit. Ciborum, atque potuum diuersitatem mirum in modum improbamus; ac præsertim Pisces, oua, & lacticinia vna, & eadem mensa; exceptis tamen pisciculis saxatilibus; quorum vsus nullatenus suspectus est. Caseo non vescatur veteri, nisi raro, & exigua illius portione. Fructus (exceptis vuis, ficubus, ac prunis probe maturis) raro crudi conceduntur: Pyra autem, poma, atque mala cydo-

Aromata. Piper. Ciborũ, atque Potuũ diuersitas. Pisces. Caseus. Fructus.

nia cocta probantur: Anisorum seminibus saccharo conditis præsertim additis. Pro acetario cicorij radicibus, aut folijs excoctis, interdū capparibus conditis, interdum etiam tenellis lactucis crudis, molliq; endiuia, nequaquam autem grandiore lactuca cruda vescatur: Sitque acetum, quo vtitur, passulis incoctis medicatū vel modico saccharo. A cibo semper aliquid deuorandum erit, quòd ventriculi os firmādo prohibere possit, quò minus vapores in caput conscendant, vt conserua corticis citri, vt coriandum saccharo opertum, Diacytonium, vt etiam sunt mali punici grana non multum tamen accida, modicoque saccharo inspersa.

Olera. Lactuca.

Conserue. Mala punica.

Potus vini.

Vino perpetuo vtendum erit, tenui quidem illo, minime vinoso, maturo, subadstringenti, vel albo, vel rubro, modo crassæ substantiæ non sit: at si generosum, ac potens sit, aqua cum cinnamomo, vel coriandris, vel saccharo cocta, satis castigandum erit. Vniuersus autem potus in quaque mensa decem, & sex vnciarum mensuram ne excedat; sitque cœna semper prandio parcior; habita tamen, vti iam in cęteris diximus, consuetudinis ratione, atque à cibo semper animo, & corpore quiescat.

Vinum generosum quo pacto corrigendum.

Cœna parcior prandio.

Prçter victus rationem, vt chirurgicum opus absoluamus: vnū saltem cauteriū in altero, nempe sinistro, brachio diu gestandū, auersionis gratia, non modo vtile, verum etiam necessarium quam maxime futurum censemus Venę autem sectione in hac præcautione nihil opus esse videtur: quòd nec calida destillatio sit, nec iunctā sibi sociam habeat febrim, nec partes spiritales, aut nobilem aliquā impetu petat, nec vlla appareat plenitudinis nota: Quibus tantū casibus sanguinē in catharri, tum curatione, tum præcautione mittimus: licet ineūte vere aut Autumno, sanguinis vncię quattuor, plus, minusue, cubiti vena media secta, non sine fructu aliquo detrahi possent; si non euacuationis gratia, at saltem, vt purgationi hisce temporibus ineundæ corpus magis accommodatū, idoneumq; reddatur. Sed vt iam diximus huius præsidij administrandi nulla vrget necessitas.

Chirurgia. Cauteriū. Venæ sectio.

Vere, & autumno.

Pharmacia.

Medicamenta autem præparantia, vacuantia, dissoluentia per halytum, & auocantia excrementa à capite, à ventriculo, & à reliquo corpore, vna cum roborantibus præsidijs, hunc in modum distribui debent.

Hyeme, et Autūno, quid agendum.

Per totam Hyemem, & Autumnum, singulo quoque Mense, duabus, tribusue horis ante prandium; oxymellitis ex inuentione nostra modò præscribendi, tantum assumet, quantum coclearia argentea duo excipere possunt.

Oxymel ex Arte authoris.

Recipe Betonicæ,
Menthæ viridis,
Saluiæ,
Florum Roris marini. } an. pug. 1.

Caryo-

Caryophyllorum, }
Cynnamomi } an. scrup. 1.
Corticum Citri recentis vnc. 2.

Misceantur, & ferueant in suff. quant. aquæ Betonicę ad consumptionem quartę partis aquæ: Deinde colentur; & cum aceto, melle, atque saccharo fiat oxymel secundum artem: quo vtatur tribus diebus continuis, hora, & pondere paulo ante commemoratis.

Die quarta subsequenti: tribus horis à cęna (quæ sit solito parcior) tres infrascriptas Pilulas deuorabit,

Recipe Pilul. de Tribus cum Rhabarbaro drach. s.
Diagridij aqua rosacea soluti gra. 3.

Misceantur, & cum syrupo de corticibus citri, quantum satis sit, formentur pilulæ numero tres; atque auro cooperiantur. Hæc enim, & similia medicamenta maiori certè cum successu dormituris exhibentur, vt & Arabes, & ex Arabibus, tum Princeps Auicenna, tum Rasis affirmare videntur. *Medicamētū clemens post assumptū oxymel.*

Tertia die ab assumptis Pilulis; duabus horis ante prandium, Conseruæ Rosarum, vel Betonicæ, vel florum Roris marini semunciā capiet; non semel tantum, sed bis, terue: Quorum præsidiorū vsu, si forte fortuna Destillatio, vel imminuatur, vel saltem, cum molestia minime augeatur, ad alia auxilia generosa non esset accedendum. *Conseruis vtendum post oxymel et medicamentum.*

At si præsumptis medicamentis non cederet; vere ineunte, valentiori medicatione agendum esset: Nempe, vt præparati humores oxymellite iam instituto, iterum pararētur syrupis de Betonica, & de Endiuia, cum aquis stillaticijs Betonicæ, Boraginis, Endiuiæ, & consimilibus, atque demum hunc in modum deturbarentur; *Vere quid agendum. Præparatio humorum. Purgatio.*

Recipe Mannæ electæ }
Mellis Ros. sol. rec. } an. vnc. 2.

Dissoluantur in Decoctione communi florum, & fructuum cordialium in qua ferbuerint Agarici ligati in linteo
Foliorum senæ orient. an. drach. 1.

Quantum satis est: Pro potu in Aurora propinando.

Quatuor deinde, vel quinque continuis diebus, capitis, & ventriculi firmandi gratia, semuncia huiusce confectionis; duabus ante prandium horis, vtatur: *Confectio a purgatione.*

Recipe Conseruæ Betonicæ, Rosarum an. vnc. 1.
Specierum Aromatici Rosati scrup. 1.

Syrupi de corticibus Citri quantum suff. misceantur, & fiat cōfectiō.

Quo tempore alternis diebus vnam ex huiusmodi Pilulis dormiturus deglutiet; *Pillulæ à purgatione.*

Recipe Theriacæ ætatis mediæ scrup. 2.
Spicæ Nardi in tenuissimum puluerem redactæ q. s.

Fiant Pilulæ numero tres.

Interim de Medicamentis expurgantibus caput, erit cogitandum. Cęterum quia, materia ad fauces destillante, per os vacuare minimè licet, sed per alias vias; ne materia ad ventriculum, vel pectus trahatur; & quia vacuatio gemina potest esse: vel sensibilis, quæ per nares: vel insensibilis, quæ per suturam coronalem administratur (crassa enim per nares, & palatum; tenuia verò per Cranij suturas expelluntur, scribente Galeno, & 8. & 9. de Vsu Partium) propterea in hunc modum errhinis erit sæpius vtendum, clementioribus tamen, ne oculi offendantur: qualia sunt ex succo radicis Betæ cum aqua Maioranæ; & ex manna aqua saluiæ dissoluta. Quod quidem errhinum mirificè Destillationem cohibet, atque exsiccat.

Euacuatio particularis: seu deriuatio.

Errhina.

Ceratum pro sutura coronali.

Atque si interdum Destillatio nimium vrgeret; Corpore, vti iam dictum est, probè purgato, cerato nobis sæpe, ac sæpius ratione, & experimento comprobato, coronali suturæ applicando vtendum erit: quod quidem recipit

Ladani		vnc. 5.
Styracis Calamitæ		drach. 2.
Sandaracæ		drach. 1.
Ambari		scrup. 1.
Conus Cupressi,	}	an. scrup. 2.
Masticis,	}	
Corallorum amborum	}	
Spodij	}	
Resinæ		drach. 6.

Misceantur, & soluatur Ladanum cum resina in vino veteri, & excoquantur ad consistentiam. Fiat mox ceratum pro coronali sutura.

Emplastrum.

Ad idem confert etiam Emplastrum siccans cerebrum libro de Paratu facilibus remedijs descriptum.

Embrocha.

Embrochæ ex Topicis Præsidijs, Morbum, siue intemperiem capitis, velut causam superuacaneum humorē generantem, soluentibus, præstantissima remedia sunt. Verum, quoniam non omni vacant crimine, missas illas nunc faciam: quòd affectus in Illustrissimo non sit adeò vrgens, vt hæc, & similia maxima auxilia postulare videatur.

Decoctum chynæ.

Quemadmodum, & Chynæ radicis Decoctum: quod sequenti Autumno, cogente necessitate, vtiliter de more exhiberi posset.

Epilogus.

Tot hoc tempore adnotanda nobis videbantur pro Illustrissimi, & Reuerendissimi Adolescentis retinenda valetudine. Quæ faxit Deus Optimus Maximus, verus languorum omnium Medicus, vt & prospera, & ex voto succedant: quò omnem operam, vt cœpit, & omne studium in Reipub. Christianæ vtilitatem impendere possit.

De Nephriticis doloribus ex interuallis, ac acerbe cruciantibus pro admodum Perillustri, & Reuerendiss. D. Bernardino Morra, Consultatio XIII.

PRæsentis consultationis capita duo diligenter expendenda occurrunt. Primum præcautionis modum paucis; distincte tamen continebit, nẽpe ne dolores renum, qui iam antea, & paucis abhinc diebus à calculis excitati, atrociter Perillustrem, ac Reuerendissimum D. sollicitarunt, amplius reuertantur. Alterum si forte fortuna redirent (quod Deus auertat) expeditam, ac omnibus numeris absolutam curationem complectetur. *Quæ sint expẽdeda.*

Prophylactice causas semper morbificas declinat, quales sunt in Perillustri, ac Reuer. Viro, humor nonnihil biliosus, temperamenti ad calidum, & siccum inclinantis, ratione, & magna ex parte pituitosus, crassus, & lentus, tum ventriculi ægre coquentis causa, si non vitio facultatis, errorum tamen in victus ratione perpetratorũ culpa: quod Reipublicę Christianę causa sibi ipsi, sanitatiq; suę vix consulere possit, tum ob ętatem iam potius deficientem, quam proficientem. Qui quidem humores sanguini permixti, à renum calore, licet non admodum immoderato; accedentibus tamen, & eorundẽ expultrice facultate languidiore, & meatuum angustia à primo semine contracta, in calculos, siue tophos cogũtur, insignes postea dolores excitantes. Propterea quatuor à commemoratis causis indicantur. Primum, vt peregrini humores calculi proxima causa (quam materialem appellant) arceantur, horũ nempe generationem prohibendo, cõgrua victus ratione pertinaciter obseruanda. Huic proximũ, vt si qui tales accumulentur in ventriculo prę sertim humores à renibus aliò; ad intestina videlicet deflectãtur. Tertiũ, vt ad renes aliqua ex parte præcipitata excrementa medicamentis vrinarios meatus expurgantibus euocetur. Quartũ postremumq; ab efficienti causa indicatum eò spectat, vt hepatis, renumq; calor attemperetur. Quos quidẽ scopos, licet prorsus explere difficile sit, tum ob affectuum vetustatem, & vitium à primo semine contractũ, tum etiã propter vitam, quã nimis laboriosam ducit, animi importunis sollicitudinibus plenã; sperandum tamen fore, vt seruata pro viribus victus ratione præscribenda, & vsurpatis frequẽter presidijs imperãdis: Dei Optimi Maximi, Deiparęq; Virginis auxilio, vel ab hac insigni calamitate prorsus vindicetur, vel saltẽ, tẽpore, morbificę causę ita superẽtur, vt, & rarius, & clemẽtius malũ repetat. *Causæ morbificæ* *Indicationes à causis morbificis desũptæ.* *Prognosticum.*

Pro primo igitur scopo explendo, necessarium est, vt in omni vitæ, & victus ratione prudentissime se gerat. Et quantũ ad aerem spectat, cuius maxima habẽda est ratio, intelligat, oportet, aerem in Vrbe meliorem esse, qui in mõtibus, aut in altiore domorum parte inspiratur, *Aer, qui eligendus.*

nisi situs aliquis obsistat, qui pariter ad septentrionem vergat, atq; sæpius à sole illustretur. Ab alto enim recedens, quantò inferior, tantò crassitie, & densitate sua deterior est. In diluculo etiam, & in crepusculo, necnon Aquilone, & Austro flante, aereq; caliginoso, nebulosoq; existente, ac pluuioso, aut vehementer æstuãte, vel immodice gelido sese in ædibus contineat: Alias Romanus hic aer infensus semper illi erit. De motu siue exercitio sic determinandum.

Immodicus motus curru reprobetur. *Nimia quies cur incomoda.*

Vt immodicus, concitatusque corporis motus, vel etiam equo, aut curru, ex eo reprobatur, quòd lumbos, renesque immodice excalfaciat, ideoque calculi efficientem causam promoueat, ita, & vita sedentaria longaque corporis quies eatenus aduersissima censetur, quatenus multa ex ingestis cibis recrementa digeri non permittit, quæ postea gigendis calculis proximam materiam suppeditare solent: Propterea quiescere non conducit, nec violenter exerceri, sed assiduo, longioreque motu, ac deambulatione per Palatium, schalas ascendendo, & descendendo, vel extra etiam longiusculum iter habẽdo, aut curru, vel equo, moderato tamen, ac præsertim ieiuno ventriculo corpus exercendum, neque vestibus dorsum multum calfacientibus incedat, veluti sunt pelles lumbis arctius alligatę, præsertim qua parte dorso occurrunt; somnus parcus commendatur; somno autem parciori vtendum non vltra sex, vel septem horarum spatium. Nec vnquam dormiat supra plumas, neque in dorsum, somnum fugiat meridianum, licet leuis quædam interdum à cibo, vel post longam animi defatigationem, subdormitio vtiliter concedi possit. Aluum prę-

Alui excrementa quotidie si nõ natura quomodo arte subducenda.

terea mollẽ seruare maxime conducit, quæ si natura talis non sit, clementer irritanda erit, vel prunis damascęnis dulcibus octo, vel decem in senæ infuso excoctis, & in prima mensa saccharo superaspersis, deuoratis, vel panis ex tota farina medulla, buthyro recenti tecta, ac melle hyspanico illita, vel saccharo aspersa ante pastum immediate com manducata, vino ad vncias binas, vel ternas superpotato, vel tartari ex vino albo in tenuissimum puluerem redacti, atque per setacium traiecti; vncia media ex iure, vel vituli, vel capi, vel veruecis ante omnia edulia exhausti.

Quomodo se ad animi accidẽtia habere debeat. *Victus ratio quæ sit instituẽda*

Hæc enim sorbitio, præterquam quòd palato non est ingrata, ventriculum detergit, atque aluum sine molestia subducit, renibus etiam expurgandis, roborandisque maxime est opportuna: vel emollientium clysteriorum vsu. Quantum autem animi passiones in corpus, & corporis in animum possint, declarabat Aristoteles exemplo ab amantibus, & ebrijs accepto: quare læto viuere animo, nec tot curis, animique sollicitudinibus obrui maxime iuuabit. Quòd autem ad cibi, & potus, tum qualitatem, tum quantitatem attinet, nemo est, qui ignoret, operæ pretium esse talem instituere victus rationem, ne renes, & iecur excalfiant, neue excrementa gignantur;

tur; sed potius, vt producta consumantur: talis ergo obseruari debet, quæ moderate refrigeret, & humectet, simulque detergat, & modice sine manifesto calore extenuet. Corpora etenim graciliora valde extenuata victum valde extenuantem ægre admodum tolerare non semel tantum scripsit Galenus. Panis ergo, qui quotidiano vsurpatur victu, quanto ex furfuracea farina magis constabit, tanto salubrior erit, quippequi detergat magis per aluumque facilius secedat, ac viscidum alimentum minime præbeat; oppositæ autem sortis panis ex purissima farina censetur. Cæterum quoniam religio videtur panem in Vrbe, visu, verbo, & iucunditate omnium elegantissimum recusare; in prima saltem mensa pane ex tota farina confecto, probe fermentato, exacte cocto, & recenti vtiliter vesci poterit. Vino autem perpetuò vtendum erit albo, tenui, probe maturo, subadstrictione quadam prædito, minimeque vinoso; vel (si potens sit) aqua cisternæ, in qua cinnamomi, vel coriandri modicum præbulierit, castigato. Aquas tyberinas minime probamus, quòd tiburtinas medicatas aquas multas admittant, tum sulphureas, tum etiam aluminosas, ideoque calculis gignendis opportunæ existimantur, licet nō me lateat Doctissimum Petronium oppositum sensisse: Compertum enim est apud Hippocratem lib. de Aere, aquis, & locis, aquas medicatas, vel maiorum fluminum, in vsu quotidiano insalubres fore: aqua autem, nunc in Vrbe saluberrima est fonticuli in tyberina ripa erumpentis, lapidis iactu longe à sancto spiritu. Inter carnes boni succi facilis coctionis, & paucorum recrementorum maxime probantur caponum, gallinarum, phasianorum, perdicum, coturnicum rostro, & pedibus rubentium; auicularum montanarum omnium, columborum, in turribus præsertim degentium, carnes hædinæ etiam, vitulinæ, agninæ, veruecinæ, & capreolinæ omnes siue elixæ, siue assatæ, modò iuniorum sint animalium; quarum nonnullis salitis interdum vti non insalubre erit. Reprobantur autem bubulæ, porcinæ, & ceruinæ, licet, & hæ interdum parca manu concedi possint; quoties iuuenum sint animalium, molliores, & probe excoctæ. Anseris, anatum, & omnium aquatiquarum auium carnes prorsus excludantur. Leporinæ carnis vsus sit rarus admodum, & exigua copia, quòd innata facultate quadam caro hæc vrinæ irritamenta promoueat. Animalium quoque partes nonnullas maxime detestamur, vt cerebrum, cor, pulmones, intestina, ventriculum, mesenterium, partes omnes cartilagineas; animalium extremitates, & hepar, excepto pulli gallinacei, gallinæ, & capi hepate. Gallinæ indiæ caro licet ex eo reprobetur, quòd coctu difficilis sit, ac crassi admodum succi, si tamen iunior sit probe nutrita: & tempore flaccescat, sine noxa aliquando concedi potest: oua nuper nata, vt lubet excocta, modò non obduruerint, nullo non tempore tuto conceduntur. In vniuersum autem à veterum animalium carnibus

Panis ex furfuracea farina.

Leporinæ carnis facultas.

nibus

nibus abſtinēdum: piſcium vero omnium, ac præſertim maiorū vſus minimè ſalubris eſt, niſi modicus, ac parcus: qui facilius concedūtur ij ferè ſunt Aurata iunior, cuculus vulgo capone: quippequi carne alba, firma, & friabili conſtet, ſucciq. bonitate à paucis piſcibus vincatur. Lupo ſeu hyſpigula, pariter anbellio fragolinus vocatus. Mullus à græcis trylia, ſed iunior tructa fluuialis, quæ aduerſo torrentium impetu fatigatur, occurrentibuſq. petris illiſa, cum ſaxatilibus marinis de ſucci bonitate ita certat, vt ægrotis etiam ſalubriter concedi poſſit. Solea ſiue lingulaca, & lucius, ſed iunior mediocriter, & in aquis limpidis currentibus captus. Sarda etiam, vulgo Alice, tum recens, tū ſalita. Omnes in vuiuerſum piſces, qui in alto capiuntur mari, cæteris ſunt prǫferendi. Nocent autē quàm maximè anguilla, tinca, cefalus, ſturio ſenior. Cætacei piſces omnes mali, & cartilaginæi, vt cepiæ, & loligines. Teſtacei etiam maximè damnantur, vt oſtreæ, & conchiliū genus vniuerſum: quemadmodum, & cruſtatorum omnium, vt cancri, gamari, & huius generis alij. Cæterū caſeus, ac præſertim durior, & vetuſtior, lac, capilacteum, recocta, & lacticinia omnia, necnon edulia ex ijs confecta, ſiue cum herbis, ſiue cum ouis, aut cum carnibus, vel leguminibus, veluti maximè inſalubria omnino declinanda erūt. Butyro autem, & recenti caſeo rarò, & parce vtendum, quemadmodum, & omnia fermentacea, ſiue ex paſta confecta, noxia cenſentur: fercula verò ex leguminibus incommoda ſunt, excepto aliquando iure cicerum rubeorum, vel farre, dummodo ſit exquiſite coctum, & modicum aceti admittat. Sed hordeum etiam excorticatum exquiſitiſſime coctum modico pipere, aut cinnamomo inſperſo, ferculum non inutile erit. Elegantiſſimum autem omnium ferculum erit panis, aut maceratus, aut coctus ex iure carnium, vel etiam iuſculū confectum ex ouorum luteis conquaſſatis, addito pauciſſimò aceto, vel limonis, aut aurancij immaturi, vel vuæ acerbæ ſucco. Non denegatur etiam ferculum ex cucurbita in iure excocta, modico pipere, vel cinnamomo inſperſa, quod quidem iucundius, ac ſalubrius erit ſi ex ouorum luteo vno, vel altero conficiatur, addito etiam, ſi placet, limonis, ſiue aurancij ſucco: Ex herbis etiam nempe boragine, oxalide, fœniculi coma, menta, & ſpinachijs in iure excoctis, vel interdum in aqua cum oleo dulci, aut cum Butyro recenti, commodum ferculum parabitur. Inter herbas autem non inuiti concedimus acetoſam ſiue oxalidem, boraginem, cichoreum, mentam, ſaluiam, lactucam, & ſpinachia, quæ quidem excoctæ magis ex vſu ſunt, quam crudæ, fœniculi etiam, aſparaci, & cappares non damnantur modo parce, raro, & ſine diuerſorum ciborum miſcelis edātur, quòd diuretica ſint. Reliqua omnia herbacea, vt caulis, beta, rapi, ruphi, & napi radix reprobantur. Petroſelinum interdum admitti poteſt, ſed inter fructus, pyra, poma, cytonia, appijs interdum exceptis, non niſi cocta offerantur,

tur,

tur, ac præsertim in vltima mensa: sorba autem mespila, & cornea dimittantur. Quòd autem etiam ab aliquibus doctissimis viris à cibis sumpta aluum comprimendo subducere putentur, nec rationi, nec quotidianæ experientiæ, vt alias fuse ostendimus consentit. Pruna, cerasa, tum dulcia, tum acida, armeniaca, ficus, vuæ, & pepones, sed horarij præsertim fructus, quoniam facile in ventriculo corrumpuntur, & æstuant, parce admodum ijs vtendum, & semper in prima mensa, & cum pane confusis: hac enim permistione minus prompte in ventriculo corrumpuntur. Fraga, & iucunde, & innoxie deuorantur. Pistachia non negantur. Passulæ semper conceduntur, ac præsertim, vel in iure excoctæ, vel in vino horis aliquot maceratæ. Saccharo superinsperso. Nuces raró, & parce edantur. Amygdalæ recentes aqua non nihil maceratæ admittantur. Nuclei pinei, licet ventriculo noxij videantur; aqua tamen communi prius, tum rosacea macerati, sacchero insperso, multum nutriunt boni sunt succi, & senescentibus satis opportuni. Auellanæ minime laudantur. Castaneæ, vt capiti aduersæ, flatuosæ, succi crassi, ac difficilis coctionis declinentur, vna tamen, vel altera integre cocta vix obesse potest. Oliuarum vna tantum, vel altera, aut tertia etiam, sed raró vtendum: Caricæ damnantur: quoniam sanguinem acrem efficiunt. Qua ratione, & acria omnia, vt allia, & Cæpæ improbantur. Aromata quoque omnia, quòd non coquantur, & suo calore hepati, & renibus calidioribus officiant, sunt abdicanda, exceptis interdum pipere, cinnamomo, & croco, exigua tamen portione. Acetaria ex radicibus cichorei excoctis, vel ex lactucis, aut capparibus, vel interdum etiam ex cępis exacte elixatis cum passulis, vel cum aceto, in quo passulæ præbullierint non denegantur. Diuretica cibis commixta detestamur, quòd crudos succos in renes secum trahant. Et hæc de ciborum ac potuũ qualitate dicta sufficiãt. Quãtitatem autem, nemo rectius diffinire poterit, quam Perillustris, & Reuerendissimus Patiens; quippequi cum prudens sit, & ratione potius quam sensuum oblectamẽtis ducatur, optime nouerit quid, & quantum possit eius ventriculus commode ferre, vt probe cõfici possit, & quæ in cibo, & potu atque in hora sumendi propria fuerit consuetudo, cuius maximam habendam esse rationem. Hipp. & Gal. ratione, & experientia ducti sæpius confirmarunt; sed vt quandam in præsentia mensuram, tum cibi, & potus præscribamus, illud primum tractãdum erit nempe, quòd, qui otiosiorem, occupatioremque corpore vitam, & animo laboriosam ducunt, parcius omnino sunt cibandi: quocirca si panis vnciæ sex, vel septem plus minusue, & carnis quatuor, vel quinque, modò elixæ, modò assatæ, & septem, vel octo ferculi, potionis autem vnciæ quindecim, vel sexdecim in vna mensa præscribantur, res bene illi succedet. Illud autem præceteris admonemus ne potus cibum copia ita excedat, vt ingesta cibaria

Ciborum quantitas quæ congrua censeatur.

in ven-

in ventriculo fluctuent; tunc enim ventriculus alimenta ægre amplexatur, vnde tarda, & deprauata coctio succedit, indeque plura sensim excrementa coaceruantur, coaceruataq; gignẽdis in renibus calculis materiã facile subministrant. De portione autem ciborum in prãdio, & cęna obseruanda; plura dici possent; sed illud tantum admonendũ censemus; seruandam hac in re consuetudinem esse, ac sumendorum ciborũ temporis opportunitatem; negotiosis enim, & Reip inseruientibus hominibus, regula hæc ad vnguẽ obseruanda imperari nequit: sciãt tamen oportet, longe salubrius esse cibationes æqualiter, paulò plus, minusue partiri; quàm semel multum expleri. Inter prãdium, & cœnam tantum temporis interuallũ intercedat, vt prior cibus è vẽtriculo in intestina descenderit, quod quidem ex nouiter suscitata appetentia deprehenditur: appetitus ergo cibum, & sitis potum præcedat. De sumendorum ordine nihil aliud monebimus, nisi quòd liquidiora, coctu facillima, & quæ promptè corrumpuntur edulia omnia cętetis sunt præponẽda. A pastu vtatur semper, vel saccharo rosaceo in tabellis, vel coriãdri seminibus aliquot saccharo intectis, vel totius citri saccharo cõditi, vel diacytonij portiuncula. Nec amplius superbibat, nisi ventriculo valde æstuante, & sitiente, aquæ cum modico cinnamomi excoctæ, vel etiã modice gelidæ binas tantũ, vel ternas ad summum vncias. Illud nunquã è memoria excidat, nihil pręstãtius pro arcendis renum calculis esse, quàm aqua tepida, vel ius pulli gallinacei, aut vituli, vel veruecinæ carnis quinque, vel sex vnciarũ mensura, immediate ante cibum mane, & vesperi modice calidũ potatum: Nihil autem noxius esse mensa opima, vel cœna dubia, omnibus est in confesso; A cibis pro viribus aliquãdiu animo, & corpore quiescat; leues tamen deambulationes ex vsu sunt à cœna, à qua non nisi duabus saltem decursis horis, somno se det. Quaquidem victus ratione obseruata, excrementorum fere omniũ prouentus impedietur, quod quidem ad primum scopum propositum pertinere dicebamus. At quoniã vix inter initia obtineri poterit, quin aliqua excrementa in vẽtriculo colligantur, hæc à renibus ad intestina duplici præsidio erunt inuitanda, quod spectat ad secundum propositum. Quare alternis diebus, vel saltem bis in Hebdomada lenienda erit aluus Clystere hoc.

Quod tempus sit ad sumẽda cibaria opportunũ.

Quis ordo adsumenda cibaria, congruus habeatur.

Præstantissimum ad arcẽdos renũ calculos.

Ad reuocanda excrementa à renibus ad intestina duplex præsidium

Recipe Maluarum
Mercurialis
Parietariæ
Betulæ
Violariæ } an. manip. 1.
Radicis Altheæ vnc. 2.
Florum camæmeli
Meliloti
Summitatum anethi } an. p. 1.

Semi-

Seminum Anisi
Sem. Fœniculi
Sem. Carui
Sem. Cumini } an. drach. 5.
Misce, & bulliant S. A. Colaturæ
Recipe lib. 1. cui adde
Olei Violacei
Olei Camæmelini
Olei Anethini } an. vnc. 1. s.
Mellis violati vnc. 3.
Hieræ simp. drach. 2. & fiat Clyster duabus horis ante cibum inijciendus. Hoc enim Clystere cuiusque generis excrementa ad intestina deflectere natura assuescet. Interim, si propensus ad vomitũ sit, faciliq; negotio euomat, efficacissimum auxilium est vomitus à prandio, vel ab assumpta largiori cœna cum iure tepido vnius li. mensura, & duabus vncijs oxymellitis simp. prouocatus. Porrò autem si Clysteris vsus nõ semper arrideret, huius loco bis saltem in hebdomada bolum conscribendum deuorabit.

Vomitus à prandio optimum præsidiũ.

Recipe pilularum ælephanginarum
Pilularum de tribus cum Rhabarbaro } an. scrup. 2.
Misce, & cum syrup. Ros. soluēte Q. S. fiat bolus mollissimus, quem capiat duabus horis ante prandium. Verumenimuerò, quoniam ex Galeni, & principis sententia, in longis medicationibus, eadem stante indicatione, pharmacorum formulæ sunt immutandæ, pro secundo, cui nunc incumbimus, scopo obtinendo propositi Clysteris, vel boli loco, bis pariter in hebdomada, cassiæ medullæ nouiter tractæ cum olei amygdalini dulcis recentis vncia vna, & pulueris liquiritię drachma vna simul confusis fœliciter admodum vti poterit. Hic vnum apprime necessarium ab alijs non animaduersum minime prætereundum duco; videlicet cassinæ medullam passim vbique locorum in proposito affectu ab omnibus indifferenter vsurpatam, non vsque adeò tutam esse, nisi ventriculo primaque regione prius, vel inedia, vel vomitu, vel ventris deiectione, expurgatis; quandoquidem inter diuretica medicamenta hæc non ignobilem obtinet locum: cuius farinæ, & terebinthinam esse citra vllam controuersiam omnes existimarunt. Tertium verò, quod excludendum indicatur materia est renibus adhærescens, calculis gignendis idonea, quam quidem operæ pretium est detergentibus, incidentibus, emollientibus, atque tãdem diureticis vocatis medicamentis deturbare; quapropter in fine cuiusque trimestris, vltimis sex finientis lunę diebus, hunc in modum se gerere debet, nempe, vt octaua, vel nona die à plenilunio pręscripto vtatur Clystere, sequenti die tale purgans medicamentum non recusabit, quod

In renum passionib. cassia quo modo adhibenda.

Materia calculis gignẽdis idonea renibus adhærescẽs, quibus extrudenda.

Reci-

Recipe Floris Cassiæ recentis vnc. 1.
Rhabarbari mundi,& elec. drach. 1.
Cinnamomi gr. 7.

Misceantur,& fiat bol. tribus horis ante cibum offerendus, dein quatuor sequentibus diebus continuis pro attingendo tertio scopo, sorbitionem omnium elegantissimam nunc præscribendam quatuor saltem horis ante prandium, absorbeat.

Recipe Radicis Altheæ vnc. 1.
Summitatum Brassicæ p. 1.
Liquiritiæ vnc. .s.
Cicerum Rubeorum vnc. 3.
Misce,& bulliant S.A. in S.Q. aquæ Anonidis, deinde colaturæ.

Recipe vncias septem, cui adde
Syrup. de Capillo veneris vnc. 1. .s.
Mellis cocti,& despumati vnc. 2.

Quarta indicatio, vt renum,& hepatis caliditas atteperetur simulque renes firmetur, quibus perficiatur.

Terebinthinæ claræ eodem decocto cãdente dissolutæ drach. 2.& detur, vt diximus modice calida. Innumera fere præsidia in hunc vsum ab omnibus vsque ad stomachum vbiq; decantantur, quæ in præsentia recensere superuacaneum puto: expedita namq; præcautio,& curatio in paucis, ijsq; selectoribus minus ingratis atq; tutioribus est posita. Quartum postremumq; cõsilium eò dirigitur, vt hepatis, renũq; incendium remittatur, simulq; renes firmentur ne æque facile excrementa recipiant,& si receperint promptius hęc ipsa ad vasa vrinaria detrudant, quod quidem assequi facile erit medicamentis, partim sumendis, partim extrinsecus admouendis, vt

Recipe Sacchari Ros. Rec. vnc. 5.
Conseruæ Violarum drach. 2.
Santalorum Rubrorum
Corallorum Rubrorum } an. scrup. 1.
Misce,& detur duabus horis ante prandium septem diebus continuis: interim renum regio illinatur præscribendo linimento.

Recipe Olei Violacei
Olei Nenupharini
Olei Cucurbitini
Vnguenti Santalini } an. vnc. 5.

Misce, quo tepido mane, & vesperi ante cibum illiniantur partes, vt diximus, septem pariter diebus continuis. Quo quidem linimẽto hepatis etiam regio (si multum æstuaret) inungi poterit. Hic animaduertendum, quòd vnguenta siue cerata à nonnullis hoc in casu vsurpata, vt santalinum solum, vel vnguentum de comitissa, vel etiam vnguentum Galeni, omnia eatenus suspecta mihi semper visa sunt, quatenus nimium adstringunt. Quibus omnibus illud etiam addendum erit, nimirum, quòd ad detergendum,& ad firmandum ventriculum pitui-

tæ me-

tę metropolim, valde conducturum iudico, si ex interuallis quibusdã vtatur vncia vna Mellis, Rosacum media vncia syrup. de Betonica, vel sacchari rosacei recentis vncia media cum drachmis duabus cõseruæ betonicæ, modò vno, modò altero horis duabus ante prandium; quę quidem medicamenta renibus etiam detergendis, & firmandis sunt accommodata. Quæ quidem præsidia cum victus ratione præcepta, si pertinaciter retineantur nouem saltem mensium spatio; speramus, Dei auxilio, fore, vt Perillustris, & Reuerendissimus D. ab hac calamitate prorsus liberetur. *Prognosticum.*

De frigido dexteræ mammæ tumore pro Nobilissima quadam Muliere Narniensi, Consultatio XIV.

MVlier Nobilissima sex abhinc Mensibus plus, minusúe, in dexteræ mammę tumorem iam antea exiguum; nunc verò satis insignem incidit. Qui quidem, cuius sit naturæ; & vnde originem duxerit, haud difficile est assequi. Scyrrhus enim, siue scyrrhosus tumor cẽseri debet; non equidem eius generis, cuius meminit Galenus li. 2. de Arte curandi ad Glauconem, nempe, qui à quouis humore, parte tenuiori dissipata, pendere solet; Sed eius naturæ cuius idem Galenus lib. de Tumoribus pręter naturam, originem ex humore, vel pituitoso, vel melãcholico, ducere affirmauit. Hic scyrrhus illegitimus, siue nothus; Ille vero purus, & exquisitus nuncupari solet. Talẽ esse tumorem, de quo nunc agimus, quatuor sunt argumenta, quæ me impellunt, vt credam; Partis affectæ color non immutatus; Dolor non admodum acutus, licet interdum prohibita consueta ea in parte transpiratione, dolor non nihil punctorius suscitetur; Affecti membri sensus adhuc superstes; atque nulla in laborante mamma venarum elatio; quaquidem nouissima conditione cancri incipientis suspicio excluditur. Non ibo tamen inficias, periculum non leue imminere, vt in cancrum (si pręcautionis, & curationis ratio negligeretur) degenerare posset. *Historia.* *Affectus essentia.*

Materiam vero, ex qua tumor hic constat, frigidam, crassam, ac lentam, pituitosam nempe, cum humoris melancholici, frigidi scilicet, & sicci iugiter portiuncula esse, tam notum est, quam quod notissimum.

Signa verò iam antea adducta tumoris huius naturam consequentia, eiusdem etiam causam, siue materiam proximam plane ostendunt.

Talem autem materiam huic tumori subministrarunt, & magis magisque in dies subministrant pituitosi humores, cum aliqua etiam fœculenti sanguinis portione in vniuerso corporis habitu redundantes, tum temperamenti ratione, calidum enim, & humidum est, tum *Causæ efficientes. Antecedẽtes.*

incli-

inclinātis ætatis cauſa; agit enim quinquageſimum fere annum, tum etiam ratione ſexus, & vitæ otioſæ, ac ſedentariæ, quam honeſtarum viduarum more ducit; nec non ob animi mœrores, quibus pro rerum viciſſitudine, & ſorte varia, detenta fuit. His etiam accedit deſtillatio à dextera capitis parte, ob cerebri humidam intemperiem in ſubiectas partes, à qua, ob ſitus rectitudinem dextera mamma impleri potuit: deſtillationem enim hanc, à dextera potius capitis parte erumpere, nares eiuſdem lateris frequentius ſordidæ aperte declarant. Illud etiam vnum addere placet, quòd morbi concauſa eſſe poteſt, videlicet menſium, ſi non integram ſuppreſſionem, diminutam ſaltem excretionem, quæ quidem licet ſit ex naturæ in hac ætate pręſcripto; plerumque tamē excrementorum prouentum in mulieribus afferre ſolet. Hæc autem excrementa ad mammas ſuæ ſubſtantiæ raritate facile peregrinos humores ſuſcipientes prompte decumbunt. Propterea Hipp. lib. de glandulis, mammas recremētorum eſſe receptacula ſcriptum reliquit. Cæterū quid de morbi huius euentu, tempore, & modo dicendum, ex antea enarratis ſatis vnicuique conſtare poteſt; etenim commemoratus tumor, cum, neque in exquiſitum ſcyrrhum, neque in carcinoma hactenus abierit, ſperandum fore, vt præſcribenda medicatione, vel prorſus ſuperetur, vel ita imminuatur, vt nullius in poſterum ſit moleſtiæ. Quòd autem ad tempus attinet, ſumpto argumento à morbi natura; frigidus enim eſt; à parte laborante: caro enim eſt adenoſa, & frigida, atque à ſubiecti patientis natura, non niſi longum fore morbum prædicere poſſumus; itaut non niſi æſtate futura exactam ſanationem ſperare liceat. At de ſanationis modo, ita decernendum puto; Si cura negligatur, vel in cancrum, vel in legitimum ſcyrrhum facile commeare poſſet: Verum ſi (vt non diffido) Medici vigilantia, & nobiliſſimæ ægrotantis obedientia non deſideretur, reſolutione potius per halytum, quam ſuppuratione tumorem finitum iri, ſperare poſſumus: Hęc omnia neceſſariò pręlibanda erāt, pro inueniendis ſcopis, in quos medica opera dirigenda ſunt. Quatuor ergo ſeſe offerrunt ſcopi: Primus, vt frigida craſſaque excrementa in toto, ac peculiariter in capite coaceruata prorſus expurgentur. Huic proximus, vt eorundem prouētum, tum victus ratione idonea, tum medicamentis corporis intemperantias emendantibus omni diligētia inhibeamus. Tertius, vt quoniam vix obtineri poterit, quin in tali corpore multorum excrementorum feraci, crudi ſucci indies aggregentur; hæc ipſa excrementa à mammis ad inteſtina auocentur. Quartus, poſtremuſque eo ſpectabit, vt tumoris materia proxima ſumma cum dexteritate diſſipetur. In primis igitur talis imperanda erit victus ratio, quæ modice excalfaciat, non admodum exiccet, futuri cancri ſuſpicionis ratione, mediocrique attenuandi facultate ſit prędita, non ſolum gignendis excremētis minime idonea, ſed his potius

Procatarticæ. *Predictio* *Scopi curatiui quatuor.* *Primus ſcopus.* *Secundus ſcopus.* *Tertius ſcopus.* *Quartus ſcopus.* *Primus ſcopus explēdus in victus ratione.*

con-

consumendis quàm maxime opportuna. Quare omnem aëris inclementiam caueat oportet. Somno sit contenta moderato, ac potius consueto breuiori. Singulis diebus, manè, & vesperi ieiuno vētriculo vnius saltem horę spatio citra violentiam se se exerceat. Aluum lubricam pro viribus conseruet, arte, si natura sit in hoc opere pigra; videlicet molli Clystere ex oleo, & butyro, tertio, vel quarto quoq; die iniecto, vel coriandris duob. saccharo intectis suppositis, vel prunis sex, vel octo in decocto senæ elixatis, & manna eodem decocto liquata imbutis, prima mēsa ingestis; læto animo vitā ducat. Cibis vtatur boni succi, facilis coctionis, & pauci excrementi: propterea carnes bouinæ, porcinę, & ceruinę veterum pręsertim animalium excluduntur, quemadmodum, & pisces seniores, maioresque. Lac, lacticinia omnia, caseus vetustior, & cibi ex pasta confecti reprobātur, vt etiam pyra, & poma cruda. Carnibus ergo vescatur montanarum auicularū, columborum, pullorum gallinaceorum, caponum, hędi, veruecis, & vituli modò iuniorum sint animalium. Oua recentia, & sorbilia optima sunt. Vino vtatur albo tenui, subadstringēti, minimeq. vinoso. In qua victus rōne distinctius a Clarissimo eius Medico instituenda, diu pergere dēt. Trāsacto postea æquinoctio futuro, vere nēpe ineunte, medicationē ineat hūc in modū. Aluo prius lenita, vel melle rosaceo solnēte, vel diachathol. vel medulla cassiæ cū spēb. hierę picrę simpl. Gal. redūdantes humores parandi erunt hoc, vel cōsimili pharmaco.

Pharmacia.

Preparatio humorum.

Rec. syrup. de Betonica
- Mellis rosati
- Oxymellis simp. } an. dr. 3.
- Syrup. de fumoterra.

Aquarum Betonicę
- Boraginis } an. vnc. 1. s.
- Cichorei

Misce pro syrupo hora matutina dando septem saltem diebus continuis. A quarto, vel quinto syrupo, vena cubiti dextri Iecoraria secetur, vt alterantium medicamentorum vis per venas facilius diffundātur; pauca tamen copia, vt quinque vnciarum mensura sanguis mittatur, quòd morbus cui incumbimus frigidus sit, frigidiq. succi magna ex parte præualeant. Post septimum, vel nonum syrupum purganti vtendum erit medicamento hac formula.

Vena, curdū corpora expurgantur, sit secanda.

Medi. pur purgans.

Rec. Pilularum Assaiaret
- Pilularum cochiarum } an. scr. 1. s.
- Pilularum fœtidarum

Misce, & cum aqua Betoniæ fiat Bolus mollis, vel fiant pilulæ, nu. 7. in aurora dandæ. Verum si nobilissimæ ægrotę sorbitio magis arrideret, medicamentum parari posset hunc in modum.

Rec. Diacatholici dr. 6.

Diaphœnici drach. 2.
Agarici Trociſchati ſcrup. 2.

Diſſoluãtur aqua Boraginis, in qua foliorum ſenæ drach. 2. præbullierint pro potu in aurora propinãdo. Tribus poſtea diebus cõtinuis horis duabus ante prandiũ vnciam mediã huius confectionis aſſumet.

Confectio poſt purgationem ſumenda.

Recipe conſeruæ Roſarum
Conſeruæ Betonicæ } an. vnc. 5.
Conſeruæ Boraginis

Errhinũ ad caput expurgandum.

Interim pro capite peculiariter expurgando, mane ieiuno ventriculo, tribus, vel quattuor horis ante prandium tali vtatur errhino.

Recipe aquæ Maioranæ vnc. 6.
Succi Betæ depurati. vnc. 1.
Mellis deſpumati vnc. 5.

Miſce, cuius portiũcula modice calida per nares, ter quaterquè vnius horæ ſpatio trahatur. Dein nares emungantur.

Peracta purgatione præſcripta, ad excrementorum reliquias diſſipandas, ſimulq. ad exſiccandum cerebrum deſtillationis fontem; nec non mediocriter vniuerſum corporis habitum, eo conſilio, vt gignẽdorum excrementorum occaſio tollatur, quam maxime conducturum ſperamus decoctum aliquod moderata ſiccandi facultate pręditum, multis diebus ſumptum, veluti.

Decoctum ad capitis excrementa exſiccãda.

Recipe Sarzæ pariliæ minutim inciſæ, & vino albo ſæpius lotæ, dein in loco vmbroſo ſiccatæ vnc. 2.
Corticis ligni Guaiaci vnc. 1.
Ligni viſci quercini vnc. 5.
Aquæ communis lib. 7.

Infuſione S. A. facta, bulliant ad conſumptionem medietatis, in fine ad ebulliendum adde

Boraginis
Cichorei
Betonicæ } an. p. 1.
Lupulorum

Colaturæ vnc. 7. in aurora laboranti propinentur, ſudorque citra violentiam procuretur, in quo vſu pergat quadraginta fere diebus continuis, victus ratione non vſque adeo attenuante, ſed paulo parcius conſueto obſeruata. Propterea, nec carnes elixas, nec ferculũ in prandio denegamus. Vino quoque in prandio, & cęna vti poterit, ſed eiuſdem ſarzæ pariliæ decocto, clementiori tamen hunc in modum attemperato.

Victus ratio in decocto ſumendo obſeruanda.

Recipe ſarzæ pariliæ vnc. 1.
Aquæ communis lib. 15.

Bulliant ad conſumptionem ſextæ partis; in fine ad ebulliendum adde Cinnamomi drach. 1. colatura vſui ſeruetur pro potu.

Vni-

Vniuerso hoc tempore, in eundem scopum dirigitur Theriacæ, vel mithridatij, vel alterius consimilis medicamenti vsus; quale est, quod nos fœlici cum successu in consimili medicatione vsurpamus, quod quidem præterquam quòd reliquam causam morbificam dissipat, atque cerebrum, visceraque nimium humida moderate siccando roborat; prauam, veneficamque humorum qualitatē infringit. Ideoq; cancri imminentis causæ materiali prospicit. Illud autem est.

Medicamentū ad cancri imminentis causā materialem.

Recipe conserue Boraginis vnc. 4.
Conseruæ Betonicæ vnc. 2.
Mitridatij vnc. 5.
Trocissorum de viperis drac. 1.

Syrup. de pomis vnc. 1. Misce, cuius vncia media detur immediate ante sorbitionem præscripti decocti, bis saltē in Hebdomada. Illud vnū admonere necessum est. Videlicet, quòd aluo non correspondente, maximi vsus erit, si interdum foliorū senæ drachmæ duæ cum epithimi totidē per totam noctem in decocto mane potando macerentur.

Mensibus autem fluentibus, à decocto, & ab omni alio medicamento abstineat. Nec caput lauet. In toto hoc temporis decursu, & caput interdum lauare ex vsu erit; lixiuio tamen herbis cephalicis citra insignem calorem siccantibus medicato; & etiam per vrbem iter habere poterit, modo aeris inclementia non persentiatur. Quibus peractis (quod ad tertium attinet scopum) bis saltem in mense, vel pilulis superius descriptis, aut de hiera cum Agarico, vel epithimi, senæ, vel agarici infuso; mitius tamen purganda erit; si duobus, vel tribus diebus ante leuem quandam præparationem molita fuerit ex melle rosaceo, & syrupo de Betonica iugiter, cum syrupo de pomis duabus saltem horis ante prandium acceptis. In quem vsum etiam, auersionis gratia, inustum in sinistro brachio cauterium diu gestandū quàm maxime profuturum speramus, vt destillatio à capite in mammam auertatur, atque intercipiatur, licet non me lateat hic de inurendo loco dubium suscitari posse. Alterum præterea hoc, Cauterium in crure dextero ad partem internam, paulo supra, vel subtus etiam genu necessario excitandum consulo; assiduo enim ea in parte ploratu, & vapores ab hepate in caput conscendentes, destillationique occasionem præbentes auertentur, & ab vtero inæquali plenitudine laborante deriuatio simul cum euacuatione, atque etiam à mamma dextera, auersio insignis habebitur, quòd vteri cum mammis vasa aperte communicent, consentiantque. Eadem ratione sanguis ex tali vena interna, vel ex venis quæ sunt in sede interdum detrahendus erit, finitis mensibus. Quæ quidem Chirurgica præsidia tuto etiam administrari possent eo tempore, quo præscriptum decoctum exhibetur; quādo tunc tumor nulla ex parte cederet, deteriorisque tumoris suspicio augeretur. Interim pro quarto postremoque scopo obtinendo, si tumor in

Chirurgia.

Cauterij in crure vtilitates.

carcinoma manifestè degeneraret; profectò a validioribus præsidiis
Instantia. parti affectæ admouendis, esset abstinendum; Oleo tamen rosaceo completo cum portiuncula lithargirij in mortario plumbeo diu agi-
Responsio tati tutò vtendum esset: nec obstat quod cancri occulti medicationē, apertis verbis, Hippocrates interdixerit, nam de Chirurgico opere, deque validioribus præsidijs intellexit. Cæterum huius infortunij, si
Cataplasma applicandum. nullum manifestum signum apparuerit, (vt spero) cataplasma ex caulis virentibus foliis, atque Aristolochia rotunda Oleo communi veteri excoctis super mammam tumentem die noctuque gestabit, ita vt singulis sex, vel octo horis permutetur, quod quidem etiam medicamentum finita purgatione iam antea imperata parti affectę vtiliter admoueri poterit. Quod si malū adhuc perseuerauerit, ad Asclepiadis ceratum a Galeno præ cæteris celebratum confugiēdum erit. Sed antequam præscriptam medicationem ineat, operæ pretium erit ex interuallis quibusdam redundantes succos pituitosos præcipuè pharmacis mitioribus iam antea descriptis non nihil expurgare. Tot proponenda videbantur in gratiam nobilissimæ Mulieris, faxit Deus, vt fausta, salutariaque illi contingant.

De oculi sinistri lachryma inuoluntaria pro Illustriss. ac Reuerendiss. D. Angelo Martano Spoletano, Consultatio XV.

Historia. TAm, & si secundum Hipp. placita, natura oculis etiam vtatur, vel potius abutatur pro expurgandis cerebri redundantibus excrementis; in hoc tamen opere, si modus ex naturæ præscripto non seruetur, sanitatis limites oculi excedere dicuntur; vt in proposito Perillustri, & Reuerendissimo Viro, cuius oculus sinister iam multis
Causæ internæ. ante annis lachryma afficitur. Cuius quidem causam interiorem geminam esse pro comperto habeo; vnam nempe anguli laborantis oculi imbecillitatem, tum ob humidam intemperiem, tum etiam partium hunc angulum constituentium raritatem, & laxitatem quandam consequentem. Alterum excrementorum è cerebro in subiectas sedes delabentium copiam. Cerebrum enim in Perillustri Patiente ex animi, curis, studijs, & sollicitudinibus plusquam par sit refrigeratum: nec non ex longo sanguinis è naribus fluore post longum perpessumque capitis dolorem, naturali calore insigniter priuatum, in proprij alimenti coctionis munere deficiens, insignem excrementorum copiam colligere non est dubitandum. Huic accedit, quod, & ventriculus ob frigidam eius intemperiem in concoquendo imbecillis, & Iecur iusto in hoc calidius vitiosam cerebro mate-
Affectus essentia. riam continuo suppeditant. Sed præter lachrymam hanc valde suspicor eo vlceri etiam oculi angulum affici, quod apud Plinium

Epinictis dicitur: nam pars illa, si digito prematur, humorē perpetuo effundit. Nec obstat, quòd nullum ea in parte Tuberculum præcesserit, nullusque abscessus inter canthum maiorem, & nasi os disruptus (Accilops vocatur) quoniam ex lōga frigidi etiam humoris fluxione citra abscessum disruptum, partes excauari, vlcerarique possunt.

Ex his ergo satis constare putamus, vniuersam propositi ægrotantis curandi rationem in eo positam esse, vt cerebri intemperies frigida, & humida: Iecoris autem calida emendetur; ventriculus roboretur, atque anguli laborantes partes nimium humidæ, & laxæ exsiccentur, firmentur, & vlceratæ ad cicatricem deducantur. Necnon cerebri excrementa ab oculo alio deflectantur. Quos quidem scopos assequi non erit admodum facile ob affectus vetustatem, & indicationum pugnantiam. Verum, cum adhuc Perillustris laborantis ætas in vigore consistat, prudensque sit, ac paratus omnia ex arte proponenda remedia admittere; sperandū fore, vt omni diligentia, & sedulitate præstanda, voti campos euadere possit. Itaque nihil cunctandum arbitramur, quin hoc tempore (vt decet) expurgetur, ac inter purgandum, cubiti vena interna lateris sinistri aperiatur, sanguisque ad vncias quinque, plus, minusue detrahatur. Dein masticatorijs saltem caput expurgādum erit. Mox Chinæ radicis decoctum cum santalis rubris, & salsæ modico de more viginti saltem diebus propinatum, magnopere conducturum speramus. Victus ratione præsidijs iam prescriptis compari imperata, & ab ęgrotante accurata diligentia obseruata. Ad hæc, crebræ capitis lotiones ex lixiuio quercus, in quo simplicia cæphalica citra insignem caliditatem exsiccantia fuerint excocta, mirum in modum iuuabunt: post quas ceratum, vel sacrum, vel consimile commissuræ coronali derasæ admotum, diuque gestatum valde efficax erit ad siccandum, roborandumque cerebrum. Quo tempore Betonicæ, saluiæ, & rorismarini confectiones duabus horis ante prandium deuoratæ non leue adiumentum afferent. Quibus peractis, malo non cedente, ad Thermas confugiendum erit: inter quas proposito in casu, balneorum aquæ maxime probentur, quæ in agro senensi scaturiunt: Quarum aqua balnei della terra nuncupati tribus, quatuorue diebus epota, mirifice ventriculum refrigeratum firmat roboratque. Dein pro hepatis feruido calore attemperando, aqua ficuncellæ dicta, quindecim, vel viginti diebus de more propinata primas inter omnia medicamenta partes obtinet. Quòd, si vitium adhuc perstiterit, caput stillicidio Sancti Philippi subijciendum per aliquot dies erit. Quæ omnia medicamenta, si ex toto affectum non sustulerint, duo adhuc supersunt remedia administranda. Alterum cauterium in nucha excitandum, diuque gestādum. Alterum, vt oculi laborantis partes ad angulum auro vel argento candenti perurantur, deinde medicamentis accommodatis cicatrix obdu-

Curandi ratio, in quo potissimum sita sit.

Prognost.

Pharmacia.

Chirurgia.

Capitis lotiones adhibendæ.

Ceratum, & conseruæ ad capi roborādū

Quorū balneorū vsus probetur.

cenda erit. Dum hæc, & alia iam dicta peraguntur, confert collyrium ex tutia, amylo, & muccagine seminum psyllij cum aqua rosacea patienti oculo in linteo superposita; Vtilis etiam erit reuulsio per synapismum in occipite raso adapplicatum. Atque hęc nunc proponenda mihi occurrerunt, quæ profutura speramus, ac vt id fęliciter eueniat à Deo Optimo Maximo obnixe precamur.

De Pustulis menti, colli, & aliarum partium, de renum dolore, & de gonorrhea pro Illustrissimo, & admodum Reuerendo D. Abbate Riario.
Consultatio XVI.

Historia. Illustrissimus, & admodum Reuerendus Abbas Riarius; Annum suæ ętatis 27. agens; Calidi, atque humidi temperamenti, totius corporis habitus, ac viscerum principalium; Hepatis, & renum præ cæteris calidiorum causa, tribus vitiosis affectibus interpellatis, obnoxius *Laborantis affectus, et eorũ causæ.* est: Pustulis nempe quibusdam sub mento, in collo, atque alijs quoque corporis partibus: Deinde nephritico dolore, ex arenulis in renibus accumulatis pendenti: & Gonorrhœa demum, quę leui quacunque occasionè reuertitur, non modo seminis iusto calidioris, & acrioris vitio; sed vasorum etiam seminalium retentrice facultate iam imbecilliore reddita ob seminis copiam: (multo enim sanguine abundat) & ob calidam intemperiem, cum humiditatis accessu. Per quæ quidem seminis instrumenta copiosior humor in genitalia interdum delapsus, ibique detentus, alterius testis tumorem phlegmonosum quandoque parere consueuit. His accedunt præludia, ac rudimenta quædam ad articulorum dolores, præsertim ad podagram; tum ob artuum hæreditariam, ac paternam quandam imbecillitatem; tum etiam plenitudinis vitio, ac concoctionis ipsius ventriculi cruditates aliquando colligentis; non quidem sui culpa (quòd secundum naturam, & ætatem satis firmus, ac robustus sit) sed propter errata in victu, quæ iuuenilis ætas ferre solet. Qui affectus omnes leues cum sint, *Prognosticum.* non inueterati, nec in habitum commutati; Virumque præterea exerceant ætatis potius proficientis, quam deficientis; sperandum est, fore, vt leui negotio superentur; dummodo rectam victus rationē Illustrissimus Vir sibi instituat, institutamq; pro viribus pertinaciter seruet: nam (vt potui ego assequi) commemorata mala non reuertuntur, nisi ob externæ alicuius occationis iniuriam.

Aer eligẽdus. Aeris igitur inclementiam omnem pro viribus deuitet.

Sõnus, & vigilia. Interdiu, ne dormiat: neque à cœna, nisi duabus saltem horis.

Septem horas somno det solum: habita tamen consuetudinis ratione.

Motus, & quies. Corporis, animique exercitium sit moderatum: nempe, vt, nec parum, nec immodice siue corpus, siue animus exerceatur.

Alui excrementa.

A cibo, tum animo, tum corpore ipso pariter quiescat. Operam det sedulam, vt aluus singulis diebus deponat, quando in hoc opere natura deficiat: Auxilia vero huic operi opportuna nunc non recensebo: quoniam satis, vt audio, lubricam aluum habet.

Cibis vtatur boni succi; facilis concoctionis, & in moderata copia, quæ autem cibaria crassum, viscidumque humorem aggenerant (dum materiam calculo gignendo suggerunt) maxime deuitanda sunt. *Victus ratio ad cibum, et potum attinens.*

Fugiat, tanquam pestem, prandium, vel cœnam dubiam, nec non compotationes, vina generosa, & cruditates.

Et quoniam Illustrissimi Viri caput non nihil etiam destillationibus est obnoxium, magis ex vsu ei erit, si cœna prandio sit parcior.

Vino præterea vtatur subadstringenti quidem, at non immaturo, neque adeo vinoso; subrubro etiam, dum non sit crassæ substantiæ.

Non ignoret autem extenuantia omnia, vt gracilibus, & natura siccioribus inimica sunt; ita crassioribus, pinguibus, & carnosis saluberrima plane esse.

Id etiam in præcautione animaduèrtendum est: quòd commesta legumina, poma, fructus omnes (pyris exceptis) vinum ieiuno ventriculo epotum, & immoderata venus omnibus neruorum affectibus; potissimum verò podagricis, nocentissima sunt.

At si instituta hucusque viuendi norma rite obseruata, superuacaneis excrementis, & genitis, & gignendis aduersante, affectus remigrarent, atque longe acrius sæuirent; ijs, præcipue tamen podagricis, atq; nephriticis occurrendum esset.

Auersione primum, vena interna in vtroque cubito (si vterque pes laboraret) secta bis in anno, ineunte scilicet vere, & proximo deinde Autumno: Nam redundantes humores, vere multitudine; Autumno autem qualitate ipsa infesti mouentur. *Auersio per chirurgica præsidia.*

Mox repellentibus, fluxionemque cohibentibus, artubus affectis admouẽdis, vtendum erit; Inter quæ fœlici cum successu vsurpamus plerumque nos Bolum Armenam communem, vel aqua plãtaginis stillaticia, vel succo eiusdem, in formam linimenti redactam. *Repellẽtia affectis artubus admouenda.*

Deinceps serapia vitiosos succos infrænantia, & concoquentia de more præscribantur. *Humorũ præparatio.*

Ab his, catharticis cacochimiam clementer deturbantibus locus erit; ex quibus summopere probamus syrupum Ros. solut. cum decoctione Mirobalanorum Citr. Chebul. & Ind. dissolutum: Repetitis iterum, atque iterum ex interuallis quibusdam pilulis mastichinis: Quo opere erit etiam occursum imminenti malo nephritico. *Euacuatio*

Adhæc Anodyna (quando pedum infestaret dolor) parti dolenti admoueãtur, ex mica panis vaccino lacte macerata vitellis ouorum, modicoque rosaceo oleo completo confecta, ac in Cataplasmatis *Anodyna ad podagran.*

formam redacta: Vel(quod mirum in modum sedat dolorem)embrocha, seu stillicidium ex hydrelæo tepido paretur.

Dissoluentia, & roborātia in podagra adhibēda.

Atque inclinante malo dissoluentia, iuxta Galeni sententiam, simulque roborantia omittenda non sunt: in quorum sylua abundantissima, vel ceratum nos eligimus ex muccagine fœnu græci, sem. lini, puluere radicis Ireos, & cera; vel aceti acerrimi, in quo origanum excoctum sit, modice calentis perfusionem; vel fotum ex eodem.

Interim ne Arenulæ in renibus congerantur, frequentem vsum commendamus Terebynthinæ ferro candenti exsiccatæ, inque puluerem redactæ, vnius drachmæ pondere, cum aqua Anonidis, horis quatuor ante prandium exhibitæ; mastichinis pilulis præcedenti die deglutitis, post leuem aliquam per triduum, vel quatriduum humorum ex oxymellite, melleque rosaceo præparationem: Aut consuetū Illustrissimo Domino medicamentum nostrum ex Tartaro vini albi cum aqua pariter Anonidis exhibitum.

Præsidia gonorheç.

Gonorrhœa autem pertinaciter infestante. Præhabitis purgationibus paulo ante institutis; accōmodatissimum, atque efficacissimum remedium erit, quod recipit Menthæ siccç drach. 3. seminum lactucç drach. 2 seminum Rutæ, Viticis, Radicis Ireos singulorum drach. 1. sacchari albissimi drach. 1. misceantur simul, inque tenuissimum puluerem redigantur: Cuius drach. 1. .s. cum aqua plantaginis, tribus ante prandium horis, per aliquot dies offeratur.

Quibus peractis, cogente necessitate; Hepatis, & renum feruida intemperies, aut sero caprini lactis, vna cum succo cichorei, rite depurato; aut aquæ seu ficoncellæ, seu Villensis potu de more castigāda erit; vt integra valetudo Illustriss. & admodum Reu. Viro restituatur; quā Deus Optimus, atque omnipotens diutissime conseruet.

De Calculo renum pro Perillustri, ac Reuerendiss. D. Iustiniano Orsino, Consultatio XVII.

Calculorū renū causa duplex.

RENum calculorum causam duplicem esse, nemo est, qui nesciat; materialem nempe, & efficientem; hçc in renum calidam intemperiem refertur: illa vero in crassum, viscidum, & limosum humorē, ex cibis genitum. Quamobrem tota vitij huius præcautionis ratio, vtramque causam declinat. Quare quatuor erunt scopi, in quos medici consilium dirigendum. Primus, totis viribus incumbendum, quominus praui, crassique succi in visceribus colligātur. Huic proximus, vt quæ excrementa gignuntur, à meatibus vrinarijs ad intestina auertantur. Tertius, si quæ in renibus excrementa cumulentur omni opera deturbanda, atque expurganda erunt. Quartus, post remusque scopus, eo spectat, vt renum discrasya emendetur. Quos quidem scopos assequi, vt non est admodum facile, ob affectus vetustatem, ita neque impossi-

Scopi curatiui.

Prognost.

impossibile: quòd res agatur cum viro prudenti,& robusto satis,nec non in ętate non adhuc manifeste deficiente constituto. Propterea,ne spes nostra irrita euadat,præsidiorum accõmodatorum materias aggrediamur. Ac primum,quòd ad victus rationem attinet: Austrinos, & Aquilonios flantes spiritus prorsus deuitet. Somnus ita moderetur, vt septem,vel octo horarum mensuram non excedat. Interdiu nequaquam dormiat: neque à cęna,nisi horis duabus se det somno. Neque culcitris indormiat ex anseris plumis confectis. Caueat etiam inter dormiendum decubitum in dorsum. Vitam desidiosam pro viribus non agat,sed moderate se se exerceat,leniter deambulãdo. Motus autem vehemẽtes,vt curru,vel citatis equis maxime sibi futuros noxios non ignoret. Aluũ quotidie lubricam,natura non operante,arte procuret: vel leniente clystere,vel nostris vsitatis pilulis, quę,in hunc modum conficiuntur. *Victus ratio.* *Aer eligẽdus.* *Sõnus,vigilia.* *Motus, & quies.* *Alui excrementa qua arte subducenda.*

Recipe Aloes non lotę
Agarici Trociscati
Rhabarbari
Specierum Hyere.s. } an. drach. 5.
Terebinthinæ igne exsiccatę,& in puluerem redactę scrup. 4.
Cum syrupo de Absyntio fiant pilulę num. 6. Quarum duæ,bis,vel etiam ter in hebdomada dentur,hora vna ante cœnam, Animi curas graues,& contentiones(quantum poterit)effugiat.

Cæterum, quoniam nihil æque huius affectus morbificam causam fouet, atque iuges ex cibo, & potu contractæ cruditates; omne studium impendat in congrua ciborum, & potuum, tum quantitate, tum qualitate, ratione obseruanda. Proinde victus rationem non solum tenuem: sed attenuantem, & moderate exsiccantem seruabit: Ideoque cibos coctu faciles,optimi succi, paucorum excrementorũ: vt capi, gallinacei, perdices, columbi in turribus degentes, auiculæ, leporinæ carnes iuniores, caro vitulina, vel etiam interdum veruecina, eaque potius assa, quam elixa affectabit. Duriores autem carnes, ac præsertim animalium extremitates, pisces vetustiores, legumina, edulia omnia ex pasta confecta, lac, lacticiniaque omnia, & caseum, nec non cruda olera, cruda etiam pyra, & poma euitabit, quemadmodum,& Aromata, acriaque omnia. Quòd ad potum spectat,licet vinum album ab omnibus imperetur, quòd facilius penetret, vrinamque moueat;(si ad vinum nigrum, & crassum conferatur)subrubrum tamen(modo tenuis sit substantiæ) minimeque dulce,præcautionis gratia, & in nephritico, & in podagrico affectu, nulla ratione improbari potest: ac præsertim, si coriandro fuerit medicatum. Hoc autem, si vinosum maxime fuerit, aqua cœlesti potius, quam Tyberina,& coriandro pariter castigata, erit attemperandum: cuius mensura in prãdio decem, & octo vnciarum plus,minusue seruetur: *Cibus, & potus quales esse debent.*

in cœna

in cœna autem parcior sit, tùm cibus, tũ potus, atq; a cibo semper, vel coriandrum saccharo conditum, vel rosarum conseruam in tabellis, vel citri corticem saccharo conditam, mediæ vnciæ pondere deuorabit: Inter prandium autem, & cœnam minimè bibendum; vrgente tamen siti, aquæ, vel cinnamomo, vel coriãdro medicatæ vncias quatuor, vel quinque, semel tantum assumet. Illud autem præcæteris admonebo, quod, si semel tantum in hebdomada consueti cibi, & potus dimidium circuncidere non grauabitur, incredibile auxilium inde sibi comparabit. Hæc autem victus ratio, si ad vnguẽ retineatur: non solum nephritici, sed arthritici etiam affectus causam materialem mirificè declinabit. Renum etenim calculi, vt plurimum, articulares morbos comitantur, & de victus ratione hactenus.

Pharmacia. De pharmacia autem sic deliberandum: quoniam Perillustris Viri ventriculus frigidior, humidiorque cum sit, ægrè admodum, & tardè ingesta alimenta concoquit, vnde frigida, & pituitosa excremẽta accumulat, quæ diutina consuetudine magis, magisq. in dies eiusdẽ intemperiem augent, atque subinde eorundem excrementorum iugiter prouentus oritur, quæ deinceps gignendis renum calculis, pariterque artuum doloribus excitandis occasionem præbent; Huius visceris maxima est habenda ratio; Propterea quotannis his expurgandus erit ventriculus, dein firmandus, Autumno nimirum, & ineunte vere, præhabita præparatione hunc in modum.

Præparatio humorum. Recipe specierum Hieræ s. drach. 1. cum melle rosato fiat bolus quẽ capiat tribus horis ante prandium, deinde immediatè superbibat liquorem hunc,

Recipe Oxymellitis Scyllini
Mellis Rosati
Syrupi de Betonica } an. vnc. sem.

Capiat, vt diximus septem diebus continuis, die octaua sequenti,

Recipe specierum Hieræ s. drach. 3.
Diacatholici vnc. sem.

Animaduersio in medendo vẽtriculo. Misce, & capiat quatuor horis ante prandium; hic autem in memoriam reuocandum, ventriculum largas potiones, catharticaq. valida ægrè admodum sustinere; ob id præscriptam purgandi ventriculi rationem eligimus; quę si Perillustri Viro non arrideret; huius lòco Tetutianam aquam per biduum, aut triduum de more potandam proponimus; hęc enim vẽtriculum mirificè detergit, expurgat, ac simul etiam corroborat.

Expurgato hunc in modum ventriculo, medicamenta præcipua, tum, quæ sumuntur, tum etiam, quę admouentur, huic firmando visceri opportuna administranda erunt; sunt autem huiusmodi.

Recipe specierum Aromatici Rosati scrup. 1.
Conseruę Rosarum vnc. sem.

Misce,

Misce, & capiat duabus horis saltem ante prandium, deinde statim superbibat Vini Aromatici, Absinthites, binas, vel ternas vncias, quinque, vel septem diebus continuis: quo tempore, manè & vesperi ante cibum, ventriculi regio Oleo ex Nuce Myristica illinatur, vel hoc linimento.

Recipe Olei Caryophyllati drac. 2.
Specierum Diambræ scrup. sem.
Moschi gr. 3.

Ceræ q. s. fiat linimentum: in hũc vsum etiam, & cerata stomaticha, & (si necessitas vrgeret) stillicidium ex Oleo, & Vino, Cinnamomo, Caryophyllis, Nuce Myristica, & cæteris eius generis medicato, vsurpanda: quæ omnia simul cum victus ratione præscripta eò spectant, vt excrementorum viscidorum, limosorumque prouentum, vnde omne malum pendet, inhibeamus.

At verò, vt quæ excrementa in dies aggregantur, a renibus, vel etiã ab artubus ad intestina inuitentur, semel saltem in mense hanc auersionis rationem seruabit.

Rec. Medullæ cassiæ nouiter tractę, cũ oleo amygdalarũ dulciũ, dr. 6.
Diasebesten, vel Diaprunis lenitiui drac. 3.
Misce, & capiat hora vna ante prandium, vel

Recipe Terebinthynæ vnc. sem.

Pulueris Glycirrhyzæ q. s. fiat bolus, quem capiat tribus saltem horis ante cibum; vel huius loco interdum pilulæ ælephanginę imperẽtur, modo ante hoc, vel illud, leuis quædam prægressa fuerit præparatio, ex oxymellite, Melle Rosaceo, & syrupo de Betonica, singulorum vncia media, tribus diebus cõtinuis, horis duabus ante pastum sumptis: deinde duobus diebus interpositis, confugiendum erit ad medicamẽta, quæ, & secundum qualitates manifestas, & a tota, (vt aiunt) substãtia, calculos, si qui renes exerceant, frangere valeant, simulque arenulas, & cætera excrementa deturbare, & expurgare possint, in quorum vsu, illud vnum obseruare oportet; isthæc medicamenta ex liquore aliquo emolliente, & laxante esse danda.

In pueris nequaquã in mulieribus, cur raro calculi renum gignantur.

Constat enim in pueris nequaquam, in Mulieribus rarò admodũ in renibus calculos procreari, ꝙ horum corporum vasa molliora, lõgeq. laxiora sint. Multa in hunc vsum administrari solent; nempe, & Oleum Amygdalarum, tũm dulcium, tum amararum, & amygdalæ ipse amarę ante omnem cibum commestę, aqua etiam ex Raphano, Limonibus, Amygdalis amaris, & anonidis radice stillaticia; necnon etiam Limonum succus ad quatuor, vel quinque vncias, cum totidẽ aquæ anonidis, & modico sacchari datus, quod quidem nouiter præscriptũ medicamentum prorsus caueat Perillustris Vir: nam frigido, imbecillioriq. ventriculo aduersissimum est; hæc inquam, & multa alia pro hoc tertio scopo explẽdo communiter ab omnibus circum-

Medicamenta calculos frangentia, & arenulas deturbantia.

ferun-

feruntur, inter quæ non ignobilem locum obtinet nostrum medicamentum pluries fœlici semper cum successu oblatum, & comprobatum; hoc autem est.

Recipe seminum melonum mundatorum vnc. s.
Ossium Dactylorum }
Cerasorum } an. scr. 1.
Nespilorum }
Lithospermatis }
Radicis Glycirrhizæ } an. scr. s.
Gummi Cerasorum }
Seminum Altheæ }
Seminum violarum albarum }
Seminum Apij } an. gr. v.
Semin Asparagorum }
Pulueris Leporis Aetij drach. 2.

Misceantur omnia, & intenuissimum puluerem redigantur, cuius drach. 1. cum iuris cicerum rubrorum vncijs octo, & butyri recentis vncia vna propinetur horis quinque ante prandium, duobus, vel trib. diebus continuis, semel in mense, immediate post prægressam, præscriptamque purgationem.

Interim, dum hæc peraguntur, magnopere studendum, vt renum ingens calor remittatur, tanquā recurrentis nephritidis efficiens causa. Atque inter ea, quę huic explendo scopo auxiliantur, mos est, tum veterum, tum recentiorum medicorum, renum regionem, vel rosaceo, vel santalino vnguento, vel alio consimili refrigerante illinire: quod quidem mihi suspectum nonnihil semper visum est, quod refrigerantia, & adstringentia extrinsecus admota superuacanea excrementa magis compingunt, ideoque non nisi summa cum prudētia, tali in hoc casu medicamento vtendum. Huc etiam spectant aquæ thermales, vt villensis, quæ in agro lucensi scaturit, & eius generis aliæ; quemadmodum etiam, & serum caprinum vberiori mēsura per plures dies datum; sed neutrum horum in proposito Perillustri Aegrotante profuturum suspicor; quandoquidem calidiorem, firmioremque ventriculum postulare videntur: quocirca duo in hunc finē efficacissima, & tutissima, paratuque facillima, mihi valde familiaria proponam. Primum frequēs vsus Conseruæ Rosarum, & violarum cum santalis rubris, hunc in modum,

Refrigerātia, & adstringētia extrinsecus renib. admota cur suspecta.

Rec. Conseruæ Rosarum }
Violarum } an. drac. 3.
Santalorum Rubrorum puluerizatorum drac. sem.
Syrupi Violati drac. 2.

Misce, & capiat duabus horis ante cibum, ac interdum bis in die. Alterum est; Aquæ limpidæ excoctæ tepidæ, sex vel septem vnciarum

rum mensura, ante omnem cibum, bis, vel saltem semel in die potus: Nihil etenim adeò renes a recrementis vacuos, & temperatos reddit; igneus enim ipsorum calor aquæ tepore tandem extinguitur: ita vt in posterum calculos procreare non possint. *Aqua tepida cur renib. maximè prosit.*

Sed fortasse instituta iam medicatio, prima facie laboriosa, Perillustrem Virum deterrere posset: verum enimuerò, si periculū, quod ex hoc nephritico affectu imminere solet, nimium grandioris lapidis, & in renibus, & etiam in vesica, vnde postea tot perpetua tormenta; accurate expenderit, vt prudens, ita & omnem industriam, & sollicitudinem in præcautionis gratiam nusquam remittet.

De Chirurgicis autem operibus, præter cubiti dextri venæ internę sectionem, vere initiante, hepatis, & renum euentandi caloris gratia, nihil quod proponam habeo.

Porrò autem, si hæc omnia præscripta ad vnguem explere arduū, operosumq. nimis Perillustri Laboranti videatur; illud tamen pro comperto habeat, tria saltem pertinacissimè retinenda esse, videlicet, victus rationem præscriptam, aquæ tepidæ, ante omnem cibum, potum, necnon vomitum, bis, vel saltem semel in mense post plenilunium, & statim à nouilunio, vna, vel altera hora, a cęna. Tot ex ijs, quę nondum administrata fuerunt proponenda nunc habui pro vindicando Perillustri Domino à præsentibus molestijs, & a grauiorib. imminentibus malis. Faxit Deus, vt prospera, & salutaria illi contingant.

De capitis destillatione, spirandi difficultate, inappetentia, & auersione cibi, vrinæ difficultate, & cachexiæ principio: Pro Illustriss. & Reuerendiss. Card. Paleotto, ad Perillustrem, & Excell. D. Hieronymum Mercurialem Archiatrum dignissimum, Consultatio XVIII.

ACerbissimus filij tui casus, vti animum tuum intimo dolore perculit, ita, & Illustrissimum, Reuerendissimumq. Cardinalem Paleottum, & Perillustrem eius Nepotem, & me ipsum, omnes tui studiosissimos, amantissimosq. grauissime affecit; non. n. filium quemnis te amisisse conspicimus; sed spectatæ virtutis, egregiæq. indolis filium: Tam, & si quis Nauem ab ærumnarum pelago ereptam, atque in salutis Portum reuectam, amissam dicat, deperditamve, ac non potius raro, optabiliq. a Cœlis munere affectam exclamet? Præmisisti igitur Vir Clarissime Filium tuum, non amisisti; Hic enim finis vniuersæ carnis; nec nos mortales in vita (credere fas est) diutius Auctor ille, rerumque omnium Parens Deus quasi in carcere relegatos detinet, quàm, vt quisque potuerit bonorum operum subsidio, ipsius carceris egressum, atque beatarum sediū possessionem meruisse. Quod, si Filio tuo paucis annis id assequi contigit, quod alijs, ne sexaginta quidem, octuagintave spatio conceditur; hoc, siue virtutis eximiæ, siue

siue fœlicis cuiusdam fati esse dicendum est. Sed ne consolatoriç epistolæ suscepisse munus videar, à mente, consiliove, ne dicam a virib. meis, aut a prudentia tua penitus alienum; finē epistolæ faciam, teq. Illustrissimi Cardinalis, eiusq; Nepotis, meique ipsius verbis etiam, atque etiam salutatum reddam, insuperq rogatum, vt animi tui sensum circa dubitationes quasdam ad Illustriss. D. multis abhinc dieb. malè habentis sanitatem reparandam attinentes, quas hac pagina tibi descriptas mittimus, nobis qua soles facundia, humanitateq. aperire digneris; quod nobis singulis ita erit gratum, iucundumque, vt cætera omnia, quæ ab ingenij tui fonte promanant, grata, miranda, ac pene diuina semper esse consueuerunt.

Quoniam, quæ præterierunt ad curationis scopos nullatenus pertinere videntur, iis omissis præsentia duntaxat mala Illustrissimū grauiter sollicitantia, breuibus in medium adducam, vt difficultates, & theoricæ, & practicæ hoc in casu suscitatæ, a te, veluti a summo iudice enodentur, enodatæque veluti decisiones exactæ, in causæ nostræ commodum retrahantur. Quæ igitur vitia Illustrissimum D. multis abhinc diebus infestant, plura sunt: Alia enim ad caput, alia ad thoracem, alia ad ventriculum, alia ad renes, & vesicam; alia verò ad vniuersi corporis habitum spectāt; etenim, & capitis destillatione, & spirandi difficultate, & inappetentia insigni, & renum calculis, & vrinæ difficultate cum quadam veluti stranguria, necnon, & incipiente cachexia laborat. Porrò autem cerebro refrigerato, exsiccatoq. ob innati caloris pabuli defectum, tum senij, tum studiorum, animique sollicitudinum continuarum causa, ęgrè proprium sibi destinatum alimentum concoquente, insignis hoc in viscere, frigidorum humorū prouentus suscitatur, indeque perennis destillatio, quę, & ex ore, & ex naribus copioso humore (aqueo tamen, & insipido) abunde scatentibus, facile deprehenditur. Hæc autem per asperam arteriam in pulmones, atque in eorundem cartilagines, & bronchia procumbēs, spirandi difficultatem cum stertore (Asthma dicunt) vsque adeo interdum grauem, noctu præsertim, efficit, vt non nisi recta ceruice cum insigni suffocationis periculo (Orthopnœa affectus communiter appellatus) respirare possit. Licet huius quoque affectus duæ aliç concausç censeantur, nempè excremētorum ab vniuerso corpore copia in pulmones delegata. Partes etenim omnes (Hipp. Authore) simul consentiunt, conspirantque. Nec non succi vitiosi in eorundem pulmonum substantia accumulati, ob vitiatam coctionem, frigidam, & siccam partium intemperiem consequentem, calido innato decrescē te, & ætatis ingrauescentis, & diuturnitatis morbi causa, qua ratione siccati, & refrigerati pulmones, ac propterea quasi coarctati, ægrius a thorace, musculis agitato dilatātur. Ab eodem humore per fauces, & gulam in ventriculum decumbente, suctionis impeditę causa, inappeten-

Morbi, & symptomata varia patientem affictantia.

appetentia, & molesta illa cibi auersio pendet; quod quidem vitium ab hepate cruditatibus repleto, & ab vniuersis corporis partibus dimi nute inanitis, ob exiguum substantiæ fluorem parum trahentibus; originem etiam ducit. Et quoniam sæpe à morbo morbus, & à symptomate symptoma oritur, ventriculi coctione ob eandem causam impedita, vitiataque crudorum humorum congeries enascitur, quæ gignendis postea in renibus calculis, materiam abundantem suppeditat; indeque frequentes in reddenda vrina cruciatus; nimirum ob calculos interdum integros, nonnũquam fractos, & in arenulas commutatos, vesicæ ceruicem erodẽtes, excoriantesque, dum simul cum vrina, quæ tunc cruenta, & sabulosa apparet, non sine ingenti dolore excernuntur. Vnde haudquaquam mirandum est, si tot, tantorumque diuturnorum malorum causa, præsertimque respiratione continuo impedita; cordis, viscerumque omnium spiritualium innatus calor violatus, & languens, Hepar, cæteraque viscera nutritioni inseruiẽtia in consortium trahat; ob idque, hisce partibus refrigeratis, cachexia inducatur. Hæc autem necessariò prælibanda videbantur, veluti verè legitimeque promouẽdarum difficultatum suppositiones, quæ duodecim numero erunt.

Inappetẽtię causa.

Cruciatus in reddenda vrina patiẽti vnde contingant.

Prima, qui fieri possit, vt humor aliquis à capite per fauces continuo in asperam destillet, sine assidua tussicula. Duplex enim cum sit apud Oribasium tussiendi modus, tussis nempè, & tussedo, siue tussicula; hæc in faucibus à quauis materia obuia; illa verò in alto suscitatur. An quia humor destillans tenuis sit, sensimque, & æqualiter tanquam aqua per parietem; tum per omnem faucium, tum asperæ arteriæ partem diffundatur. Eatenus enim tussis, & tussicula excitari solet, quatenus materia, vel tota, vel secũdum sui partem certo loco ita consistat, vt meatus inæquales reddat; æqualiter autem per omnem partem dispersa, vt non exasperat, ita nec tussim mouet.

Duodecĩ discutiuntur difficultates 1. Dupl. tussiendi modus apud Oribasiũ.

Secunda, si à cerebro præcipitatus humor tenuis supponitur: cur sputum, quod ex longissimis interuallis inter tussiendum vehementi cum conatu educitur, crassum admodum, viscidum, tenax & (quod maxime ab Hipp. reprobari solet) rotundum obseruatur? An quia ex mora, quam diu trahit in asperis pulmonum arterijs, à calore concoquente densetur, crascescatque?

2. difficultas.

Tertia, quamobrem anhelandi difficultas in Illustrissimo D. perpetua cum sit, ideoque causam morbificam membra spiritalia perpetuo obsidere deprehendatur; stertor tamen continuo non sentiatur, sed ex quibusdam duntaxat interuallis? An quia strepitus hic non succedat, nisi quoties materia præter naturam in pulmonum cartilaginibus siue bronchiis, asperisque arteriis continetur? certum enim est redundantes succos pulmonum venas, siue leues arterias, vel etiam propriam carnem, & substantiam repentes anhelationem quidem

3. difficultas.

præ-

præpedire, ſed non Aſthmaticam (quæ cum ſonitu fit) ſuſcitare; niſi quando in meatus ſpiritus, aſperas nimirum arterias, vel inde reſudet, vel aliunde prolabatur; tunc enim, vt ſpiritus vias exaſperant, ita, & tuſſim excitant.

4. difficultas. Huic proxima difficultas: Si in Illuſtriſſimo Laborante reſpiratio magna ex parte ſtertendo cum ſonitu fit, & anhelatione; quod craſſorum, lentorumque humorum pertinaciter impactorum copiam, pulmonum bronchia moleſtantem apertè demõſtrat; Qui fit, vt magna etiam ex parte aſſidua tuſſis non excitetur? (Rarò enim tuſſis) cum omnibus compertum ſit, & continuo rerum euentu obſeruatum, quidquid pneumatica inſtrumẽta lędit, tuſsim promouere: quãobrem, & partium ſpiritualium intemperies non modo cum humore, ſed vel etiam nuda, ſinceraque, & pulmonum inflammatio, & aſperarum arteriarum inæqualitas, tuſsim, vel ſaltem tuſſiculam ſuſcitant: quinimo, & quæ partes reſpirationi inſeruientes, vel etiam per cõſenſum lædunt, vt hepatis inflammatio, tuſſim leuem, (quam ſiccam appellant) irritare ſolent. An quia homo non tuſſiat, niſi irritata natura ad expellendum id omne, quod inſtrumẽta reſpirationi dicata moleſtat, triſtique ſenſu afficit? ob id partium ſpiritualium æqualis intemperies, vt triſtẽ ſenſum non inducit (eſt enim ſcribente Gal. veluti acquiſititia quædam natura) ita nec tuſſim mouet. Propterea cum in diuturnis Aſthmaticis paſſionibus ſpiritus organa, & præcipue pulmonum cartilaginea vaſa, ex longa patiendi conſuetudine in morboſum quendam habitum commutata fere ſint, æqualique intemperie cum humore per omnem partem æqualiter diſperſo afficiantur, vt nouum dolorem aliquem, ſiue (vt rectius dicamus) moleſtiam quandam non ſubeunt, ita, & naturam ad hunc motum nullatenus inuitant: niſi quando noua accedit materia, vel prioris portiuncula certo loco collecta, vias exaſperando, & aeris ingreſſum, & egreſſum præpediendo, nouam inferat moleſtiam; hac enim in ſorte, per vehementem, & in alto commotam tuſſim, foras erumpit, quod interiora grauiter ſollicitabat. Quod quidem ſymptoma non niſi per lõga temporis interualla obſeruatur. Vel quis fortaſſe recte dixerit, tuſſim, de qua nunc loquimur, vehementem eſſe efflationem validο opus habentem virium thoracem agitantium robore, quod quidem in Aſthmaticis diuturno morbo confectis non mediocriter fractum eſt, ideoque non tuſſiunt, niſi noua accedente materia, vel priore, (vt dicebamus) commota, naturam ad ſummum conatum ſtimulante. His etiam accedit, quòd tuſſis vehemens efflatio, plurimo eget ſpiritu magno impetu agitato, at in Aſthmaticis, vt paucus ſpiritus, & aer exiguus, ob locorum anguſtiam, inſpirãdo trahitur, ita, & exigua erit efflatio: vnde, vt plurimum non tuſſiunt.

Tuſſis, de qua loquimur, quid ſit.

Quæ autem ſequitur eſt eiuſmodi. Hipp. Gal. 7. de Comp. Medic. cap. 6.

cap.6. Aph.3. Com.20. De morbis vulgaribus 3. Com.4. De ſpirandi difficultate Lib.3. cap.11. Paulus, Aetius, ac cæteri omnes Aſthmaticorum reſpirationem frequentem, ſiue denſam cum ſonitu, & anhelatione eſſe, litteris mandarunt; Ego tamen non ſolum in Illuſtriſſimo præſenti Aſthmatico; verum etiam in quamplurimis aliis obſeruaui, reſpirationem, acceſſionis præſertim tempore, raram, & admodum tardam, longeque difficiliorem inſpirationem expiratione ipſa. An quia veteres illi ad eam ſolum in ſuſpirioſis reſpirationem reſpexerunt, quæ vt plurimum fit? Acceſſiones enim in huius generis morbis non niſi per longa interualla fiunt, & plurimi hoc vitio affecti in ipſa etiam acceſſione frequentem reſpirationem retinent. Quod autem cuipiam anheloſo rara, & tarda interdum reſpiratio ſuccedat, ex eo (quantum ego poſſum coniicere) fit, quoniam cum duo ſint pneumaticorum inſtrumentorum genera. alia enim ſpiritum ſuſcipiunt, vt pulmones cum ſuis fiſtulis; alia mouent, vt thorax muſculis agitatus, ſi forte accidat, non ſolum pulmonum meatus redundātibus ſuccis repleri; ſed, & pulmones etiam cum ſuis venis, & leuibus arteriis, thoraciſque muſculorum motricem facultatem languidam eſſe; nec facili negotio thorax diſtendi, ſubleuarique poteſt, nec pulmones nimium repleti, & grauati, æque facile obſequuntur; quamobrem non ſine labore, & conatu maximo, longioreque tempore natura inſpirationem moliri poteſt; vnde in hac, partes etiam pectoris ſuppremæ magnopere mouentur; huiuſmodi autem inſpirationem ſublimem appellare conſueuit Hipp. In qua obeunda, vires aliquantulum deiectas, vt interpoſita quiete natura non nihil reparare poſſit, inſpirationem alteram non admodum ſollicitat; vnde non ſolum tarda, ſed etiā rara ſequitur hæc reſpiratio, in qua expiratio expeditior inſpiratione videtur, quoniam huius operis inſtrumenta ſine multo labore, ac ferè ſponte ſua concidunt.

Anheloſis, cur tarda, & rara ſit reſpiratio.

Inſtrumēta pneumaticorū duo

Rurſus cum acidam pituitam, qualis in ſenibus abundat, ſtomachum exercentem appetentiam mouere compertum ſit; cur Illuſtriſſimus D. cuius ventriculus tali humore abundat nihil prorſus appetit? An quia humor hic prænimia ſui copia ventriculum ita replet, vt omnem eius ſuctionem impediat?

Sed longe obſcurior apud nos quæſtio agitatur; Num videlicet præter vnam vrinæ ſtillicidii, & difficultatis cauſam omnibus apertā, nempe continuum fere arenularum, & interuallatum calculorum a renibus prouentum, vnde non omni ex parte neceſſarium videtur, quod ſcripſit Gal. Aph.3. Com.23. Senes renum calculis non laborare, hæc enim corpuſcula a renibus in veſicam præcipitata, atque vrinæ impetu agitata eius ceruicem interdum vellicando, nonnunquam excoriando, (quod ex vrina quandoque cruenta intelligitur) & frequentem, & doloroſam mictionem efficiunt. Num inquam præter huius vitij cauſam commemoratam, altera quoque, lithiaſis

nempe, negotium faciat; quandoquidem vrinæ fere semper sunt crudæ, subalbidæ, cum sedimento arenoso, stillicidium, & difficultas vrinæ frequenter adest, vrina interdum prorsus supprimitur, cum forte lapis in vesicæ ceruicem incidit. In ipsa mictione pudendũ circa glandem prurit valde, & aluus ad egerendum proritatur. Quæ quidem noxæ, vesicam lapide laborare cumulatissime mihi indicant. Duo tamẽ aliquos Clarissimos Viros hęrere faciũt. Alterum, quòd deducta iam signa vesicæ lapidis hic non sint perpetua, sed modò obseruentur, modo delitescant. Alterum, quòd vrinæ sedimentum non sit crassum, tenax, atque argillosum matulæ fundo adhærens, quod quidem, veluti proprium huius vitij signum adduxit Hipp. Aph. 4. Aph 79. ibi enim per illud verbum, ψαμμώδεα sedimentum tale intelligere voluit, alias sententia falsa esset, vt quotidiana docet experientia, quod quidem a nemine hactenus obseruatum reperio; quę tamen argumenta duo, licet satis vrgeant, non tamen (quantum ego puto) conuincunt: Nam Hip. signum proxime adductum, lapidis in vesica proprium quidem est, sed non inseparabile, vt mihi longo vsu obseruare licuit. Quòd autem signa, de quibus paulò ante egimus perpetua non sint, sed interuallata, conceptam lapidis suspicionem apud me non euacuat, quòd quiescente lapide, multa etiam ex commemoratis symptomata cessent: contra verò agitato lapide, iterum, atque iterum suscitentur.

His accedit alia dubitatio. Quidnam commune habeat Asthma cũ vrinæ difficultate; quòd in Illustr. Aegrotante vrinæ ardore, & stillicidio vrgente, spirandi difficultatem interim euidenter imminui, & rursus maiori cum impetu stranguria cessante, asthma repetere obseruetur. Notum quidem omnibus est ex Hip. 2. de morbis vulgaribus, genitalia cum membris spiritalibus maximum consensum habere; sed vesicæ cũ medio ventre consortij nulla peculiaris ratio deprehenditur; nisi, quod omnes corporis partes communi quadam ratione simul consentiunt. An quia redundantes vitiosi succi, qui antea a toto, & a capite præsertim in pulmones ferebantur, nunc in vesicam prolabentes, ac rursus, qui alias in vesicam confluebant, nunc ad anhelitus organa conuersi huius mutuæ necessitudinis causæ censeantur? Non equidem (quantum ego puto) nã non eadẽ est vrinæ, & respirationis difficultatis causa, cum vrinæ ardoris, stillicidiique (vt antea supponebamus) causa accepta fertur a renulis, & fractis quibusdã calculis vrinę impetu agitatis vesicę ceruicẽ molestãtibus, vel forte etiam lapidi in vesica commoto. At rectius fortasse quis existimabit, dolore vesicę collũ vrgente, ob causam iam assignatã, humoribus, qui antea spiritalia petere solebant, nũc doloris causa alio conuersis expeditior euadat respiratio, quæ postea rursus difficilior succedat dolore cessante, veluti causæ morbificæ auersionis occasione pariter deficiente.

Dubitatio circa prędictionẽ. Sequens dubitatio futura est de iudicio ferendo circa morborum, & symptomatum propositorũ euẽtum, tempus, & modum: etenim,

quòd

quòd paucis abhinc diebus Illustriss. Aegrotus in eadem prorsus naui veriatus fuerit, atque prçter fere omnium spem in salutis portũ redierit, ita vt ab omni penitus çrumna, & languore immunis aliquot dies salubrem vitam duxerit, quis iure optimo sperare posset hũc iterum quoque euasurum. Ego autem si affectuum præter naturam copiam, vetustatem, magnitudinem, peruicaciam, atque curationis scopos inuicem pugnantes, & contrarios, ita sum animo fractus, & deiectus, vt nulla mihi spes supersit futurç salutis; prçsertim cũ res agatur cum valde sene, quem eius generis morbi diuturni coctionem nõ recipientes Hipp. Testimonio ad mortem vsque comitãtur. Quare valde timeo, ne in proximo instante futuro solstitio, vel sputo retẽto breui suffocetur, vel paulo post solstitium sensim natiuo calore, nunc ita violato, vt a morbis superetur, marcescente pereat. Incredibile profecto vniuersç Reip. Christianç damnum. At quoniam nunquam abbreuiatæ sunt manus Domini; impium esset tantum Principem solo prognostico dimittere: Propterea difficultates ad opus Medicum spectantes, nunc expendendæ proponuntur. *Prognosticum.*

Cum igitur a fluxione, quç a capite fertur multiplex in partibus subiectis malũ enascatur, hçc duo indicat, nempe, vt auertatur, quominus spiritalia membra petat, atque interim prorsus pro viribus abscindatur, simulque caput refrigeratum, excrementitioque humore nimium humectatum, vt sanetur indicat. Prçterea pituitosa excrementa in pulmonibus, eorumque bronchiis tenaciter impacta secundum communem medendi rationem, incidentia, extenuantia, & detergentia medicamenta citra insignem calfaciendi, aut refrigerandi facultatem requirunt: viç autem humectantia, lenientia, & aperientia desiderant, vt contenta in ijs excrementa inter tussiendum promptius efferantur. Quç etiam partes excrementa, tum aceruantes, tum etiã aliunde suscipiẽtes, & per interiora, & per exteriora prçsidia roborari expetunt. Accessionis autẽ tempore, quo Asthma ita viget, vt suffocationis periculum immineat, vt excremẽtitii succi a partibus spiritalibus auertantur; extremorum frictiones, validæ ligaturæ dolorem inferentes, sycię cruribus, coxis, naribus, & scapulis affixæ, & inanes, & interdum cum scarificatione maximi sunt vsus, quemadmodum, & bolus eo tempore deuoratus ex terebinthinç drachmis duabus cum sulphuris, & Ammoniaci singulorum scrupulo vno, & olei ex cinnamomo extracti guttis tribus, vel quatuor, transuecto patiente per spatiosas ædes apertis fenestris, vt expeditius purgatus aer inspirari possit: ad suscitandam autem deperditam appetentiam, frictionibus toti corpori leniter vtendũ eo consilio, vt excitato calore, inanitç partes promptius a ventriculo trahant; prçgressa tamen humorum pituitosorum vẽtriculum replentium moderata purgatione, quam, & virtus, & ætas, & visceris purgandi ratio indicant. Cachexię pariter incipienti calfacientibus, modice incidentibus, extenuantibusque, necnon obstructa *Scopi curatiui.* *Diuersiones adhibendæ accessionis tẽpore.* *Cur ad suscitãdam appetẽtiã frictiones toti corpori sint adhibendæ.*

vasa reserantibus, Iecur, cæteraq; viscera nutritioni famulantia roborantibus, tùm internis, tùm externis auxilijs agendũ, nemo est, qui ignoret. Singularia autem huic operi accommodata remedia medica hoc in loco recensere supervacaneum puto, quòd cũ tanto Viro nõ de rebus vulgaribus, sed de dubijs, difficilimisq; dumtaxat agendum: sed ad tolllendam vrinæ difficultatem, & stillicidium, causa immediata huius vitij, arenulæ nempè, & fortè etiam lapis confirmatus, vt euertantur indicant; opus primùm difficile redditur ob affectus vetustatem; Alterum impossibile; quandoquidem, neque ætas, neque vires incisionem, lapidis extrahendi causa, permittunt. Medicamentis autem cuiusq; valoris, & efficaciæ, vel ore sumptis, vel in vesicam iniectis, lapidem frangere confirmatum, & educere quot quot tentarunt in vanum laborarunt. Quo in casu omnem curationem conferre oportet ad sedandum dolorem medicamentis Anodynis lenientibus detergentibus citra morsum, & etiam (vrgente necessitate) stupefacientibus iniectis; interdum etiam eiusdem generis fotibus Pubi, & Perrhineo admotis, in quem vsum nunc silere nolo Collyrium mihi valde familiare, quo maximo cum successu semper vsus sum; Recipit autem Muccaginis seminum Psyllij, Citoniorũ, Altheæ, & seminum communiũ frigidorũ cum aqua Nenupharis extractæ lib. 1. superadditis Cerussæ, Gummi arabici, seminum alterci, singulorũ scrupulis duobus, & succi radicis cõsolidæ minoris coctæ in lacte Asinino drachmis tribus mortario plumbi agitatis. Ad penis autem vehementem dolorem sedandũ, nihil præstantius aqua albuminis ouorum cũ lacte Muliebri, & camphoræ modico, calice excepta, in qua actu frigida, vel tepente infusum pudendum statim dolore priuatur.

Medicamentis cõfirmatus lapis, neq; educi, neq; frãgi põt.

Collyriũ authoris ad sedãdũ ex lapide.

Ad penis dolorẽ sedandũ remedium.

His igitur vniuersæ curationis scopis ita propositis decima oritur difficultas; Num videlicet fluxionis compescendæ causa Sinciput, vel occiput inurendum sit, idque instante solstitio præstari possit, cum Hipp. in hoc opere, vtrumque solstitium cauendum præcipiat. Alij enim ex eo vstionem iuxta futuram coronalem magis approbant, quòd (inquiunt) per hanc partem capitis omnium laxissimam apertissimamq; vis ignea in cerebrum latè, profundeque promptius perfundatur: atque aperta ea in parte cute cerebri excrementa per hanc commissuram efferantur, inustæ cutis crusta detracta, & vlcere seruato, aperto. Alijs vero vstio altera magis arridet, propterea quòd collecta in capite recrementa ob situm decliuiorem, commodius per Vlcus in posteriore capitis parte excitatum euacuari possint. Ego autem in hac difficultate doctissimorum virorum animos non mediocriter torquente, semper, & in proposito nunc casu, hanc distinctionem adhibere soleo; quam si animi tui sensus approbauerit, mihi erit pergratum, si minus, decisionem tuam non inuitus accipiam. Distinctio autem est eiusmodi. In fluxionibus, quæ a capite feruntur duplici consilio caput inurimus; vel exsiccandi roborandique

Dubitatio ad fluxionẽ compescendã de sincipite, vel occipite inurẽdo

Vstionem iuxta futurã coronalẽ cur aliqui magis probent.

Cur occipitis vstionẽ nonnulli magis probent.

Distinctio authoris circa vstiones fluxionib. adhibendas.

dique cerebri iusto humidioris. Vel destillationis præcipitis in oculos, in fauces, aut in thoracem irruentis cohibēdæ gratia, qua ratione nos quoque cum Auenzoar, & Paulo, sinciput libentius inurendū mandamus, quoniam, & ratio hoc persuadet, & Gal. in hunc vsum medicamentum rubificans in Muliere illa Nobili Romana, non posteriori, sed anteriori capitis parti admouendum præcepit; licet ab Alexandro iniuste hoc in opere redarguatur. Vel talis vstio capiti adhibetur, vt crusta postea abiecta, vlcus ea in parte apertū diu detineatur (Cauterium appellant) per quod cerebri superuacanea excrementa, ita deriuentur, vt a subiectis partibus nobilioribus auertātur, & tunc vstio, vt emissarium quoddam diu gestandum in occipitio citra vllam controuersiam mihi arridet magis, tum propter multa alia, tum decliuioris situs ratione. Cæterum, cum destillatio in Illustrissimo Aegrotante nostro non sit præceps, neque vnica capitis tantum vstio satis sit ad siccandum cerebrum, nec plures adhibere liceat, viribus, & ætate reclamantibus, satius fore duxi fonticulum in ceruice excitandum, atque ceratum Montagnanæ, vel aliud huic consimile pro roborando, siccandoque cerebro anterioribus capitis suturis admouendum continuoque gestandum; quo etiam nomine in dubium vertitur, num quid suffitus exsiccantes vsui esse possint; siquidem reclamant nonnulli Hipp. adducentes dicentem. Aromatum suffitus ad multa vtiles fore, nisi caput replerent. Quod quidem apud me perpetuo verum non est: Purgato enim corpore, venis totius corporis habitus prauis succis calidis minime refertis, cerebro refrigerato suffumigia aliqua tuto vsurpari posse non diffido. Qualia sunt ex nigellæ, præsertim creticæ seminibus, Cardamomo, Calamo odorato, Thure, Saccharo, aceto calente, Pipere iniecto; & cōsimilibus ieiuno ventriculo bis, vel saltem semel in die administrandis.

Suffitus exsiccātes vtrū capitis fluxionib. conferant.

Vndecima succedit difficultas. An ventriculo admodum languenti, & refrigerato, ob idque tarde, & male concoquente, simulque frigidis, & crassis humoribus repleto, indeque nihil appetenti, medicamentis noxios humores purgantibus occurrendum; cum nullam partem roborare, & firmare liceat prauis succis in ea contentis prius non euocatis. Dubitandi ratio est, quoniam infirmum ventriculum à medicamentis purgantibus male tractari, & ratione, & quotidiano vsu comperimus. Hoc tamen intelligendum puto de catharticis tantum medicamentis: Etenim, quæ sine labore ducunt, vt Rhabarbarum, Hiera simplex Gal. & Myrobalani à ventriculo etiamnum languescente citra noxam sustinentur. Quare hoc in casu audacter præscriberem decoctum Myrobalanorum ex vino albo subadstringenti; quòd ad cibi fastidium ex frigida occasione, omnes humores purgare, ventriculum roborare, & appetentiam inuitare non semel tantum sum expertus. Chebuli, Bellirici, & Emblici hoc in casu eliguntur. De alterantibus postea, digerentibus, & roborātibus, sunt mithridatium,

Ventriculus lāguēs an sit purgandus.

Ventriculum à medicamētis purgantibus male tractari quomodo sit uerum.

datium, Theriaca, Aromaticum rosatum, syrupus de mentha compositus, Myua Citoniorum, Aromatica, & puluis ex Cardamomo, ex Vino absintithæ datus.

Vltima tandem controuersia ad Theriacæ, & Mithridaticæ confectionis vsum pertinet pro omnium viscerum innati caloris nunc admodum violati restituendo robore. aliqui enim timidiores iusto, ac (vt ita dicam) scrupulosi nimium, horum, & consimilium medicamentorum calfaciendi, siccandique facultatem maxime formidant. Qua ratione etiam ius Galli, vel etiam annuli, cum simplicibus malo omni tollendo accommodatis suspectum habent, & ad pauca respicientes, ob idque facile enunciantes Gal. nō legisse dissimulant, quippe qui sæpius, ac pręsertim vbi de oxymellite loquitur aperte demonstrauerit; nullum in tota Arte præsidium reperiri posse, quod omni prorsus noxa vacet. Cæterum cum plus commodi, quam incommodi, huius, vel illius medicamenti vsu ægrotanti comparatur, vt in propositis medicamentis tutò auxilia etiam nonnihil suspecta cum successu conceduntur: Alias enim vniuersa medendi Ars rueret; Nihil enim (vt dicebat ille) prodest, quod non lædere possit idem. Vale Artis, nostręque ętatis decus, & ad animi tui dolorem temporis medicinam ratione repręsenta; Neminemque, me in te amando, & colendo vincere, certò persuasum tibi habeas.

Ioanni Zecchio Medico Præstantissimo, Hieronymus Mercurialis. S. D.

QVæ initio tuæ disertissimæ Epistolæ de inopinato filij mei interitu scripsisti, & si eo dirigantur, vt Christianæ pietatis munus impleas, meque in luctuosissimo casu consoleris, ita tamē a me quoque accepta sunt, tanquam egregia Illustrissimi, ac Reuerendissimi Cardinalis, nec non eius Nepotis erga me voluntatis, atque charitatis singularis argumenta sint; pro qua re cunctis ingentes gratias ago, & habeo. In reliquis Deum immortalem, qui propter peccata mea hoc graue vulnus inflixit, ipsum salubrem quoque aliquam medicinam pro dolore leniendo, ac finiendo ostensurum esse non dubito. Vt autem (quod a me magnopere efflagitari video) propositis a te grauissimis dubitationibus respondeam, eum ordinem seruabo, quem a te ipso in ijs ptoponendis esse obseruatum animaduerti: id tamen ante alia, etiam atque etiam a te peto, ne quæ sum dicturus, tanquam dogmata seu decreta, sed tantum, vt sincera opinionis meæ documenta habeantur: Neque etenim is sum, qui Aristarchum inter viros eminentissimos agere, aut possim, aut velim. Itaque supponam, quod doctissime tractasti, cūcta vitia, quibus hoc tempore Vir Illustrissimus adeo immaniter tractatur, vnius pene destillationis sobolem quasique germina esse; nec absque ratione, quandoquidem præterquam

Omnium malorū ac symptomatum præsētis laborātis causa principalis.

quòd

quod Vir Illustris in tota ante acta vita continuis studiis, atque curis deditissimus fuit, quæ omnia natiuum calorem mirum in modum hebætare, sicque vberem segetem gignendis excrementis, & destillationibus faciendis suggerere potuerunt. Accessit, & grauis ætas, in qua facillime destillationes fiunt, difficilimeque (vt dicebat Hipp.) concoquuntur; neque verò arduū est hac re constituta veras cunctorum ipsius malorum causas reperire, quemadmodum fecisti, quòd septem cum sint ab Hipp. nobis propositæ viæ, per quas humores a capite in partes infernas labuntur, nulla fere illius expers reddita est: Os namque primum fuisse vitiatum satis demonstrarunt dentes, qui ni fallor, multis annis a turpi pituita corrupti maxima ex parte ipsi ceciderunt, quod postquam consumatum est, valde rationi consentaneum fuit, vt eadem materia in pectus præcipitata anhelandi difficultatem primum, deinde, orthopnœam induxerit, atque auxerit, sicuti in stomachum cadens, osque ventriculi irrigans, satietatem, quæ germana est inappetentiæ pepererit, & in iecur pertingens ipsiusque temperamentum euertens prauo habitui cachexiæ nuncupato occasionem præstiterit; qua etiam de causa factum esse potuit, vt pars materiæ a capite delapsæ, vna cum crudis succis in ventriculo genitis, nec a iecinore victis in renes missa, ibique diu retenta loci tepore paulatim coacta in calculos concreuerit, qui deinde vesicæ malum fecerint. Atque hęc circa morborum ideas, quibus Illustrissimus Cardinalis exercetur a te luculenter explicata mihi videntur. Quæ autem circa ipsam sese offerunt dubia sunt. Primum, cur, si spirandi difficultas, a materia a capite delabente fiat, non etiam tussis excitetur, siquidem experimentis quotidianis obseruatur, quodlibet corpusculum vi in asperam arteriam illapsum protinus tussim excitare; & certe quamquam ratio a te allata minime absurda sit, nihilominus, vt libere tecum loquar, apud me non est tanti momenti, quin magnopere suspicer, ne potius eiusmodi difficultas oriatur magna ex parte a materia ibidem paulatim collecta, quæ pulmonis hydropem nuncupatam ab Hipp. efficiant, ad hancque amplectendam sententiam illud argumentum me hortatur potissimum, quòd sit spiratio difficilis, continua, licet interdum maior, & quòd iam imminentis alterius hydropis, præludia aliqua spectentur; neque auocor ab hoc sentiendo, quòd Hipp. 2. de morb. in hydrope pulmonis velit esse tussim cum febre; quia similiter suspicor in Illustrissimo Viro febriculam aliquam latitare, quæ tabidum reddat corpus, & tussis, quam ex interuallis longissimis apparere scribis, ad reddendam Hipp. doctrinam huic consonam satis esse potest. Quòd autem sputum tussi vehementi reiectum admodum crassum, & rotundum sit, a nulla alia causa efficitur, quam a longa mora, propter quam materia alioquin tenuis, & aquea crassescit, & induratur. Porrò stertorem non sentiri perpetuo, sicut difficultas anhelitus assidua est, te-

Viæ per quas humores a capite ad internas partes deducūtur septē.

Prima dubitatio.

Solutio dubitationis.

Sputū ex tussi reiectum cur admodum crassum, et rotūdū sit

Stertor in patiente cur nõ iugiter sẽtiatur: situs anhelãdi difficultas

cum sentio esse, ob variam exuberantis ibi materiæ dispositionem, quæ pro vt plus, minusue spiritui exire tentanti obsistit, maiorque vel minor lucta fit, sonitum quoque humoris ad asperam arteriam, atque nares allidentis, modo maiorem, modò minorem fieri necesse est; etenim qui a Græcis ῥέγκος, a nostris stertor dicitur, cum fieri ope ra narium magno impetu spiritum emittentium non est dubitandũ, & cum Hipp. stertoris non meminerit in describenda pulmonis hydrope, ac in proposito casu raro adsit, dici posset, quòd veluti non semper adest tussis, sed solum quando materia a capite præcipitata, & ob moram crassefacta vi pellitur a natura per arterias, sic quoque eadem de causa stertorem rarius fieri. Eos qui pulmonis hydrope laborant non est mirum nonnunquam respirationem habere raram, & admodum tardam, quoniam cum semper illud viscus frigida intemperie teneatur, & consequenter vsus, qui est tertia causa continens respirationis, nullo modo vrgeat, fit vt non semper vincatur ab instrumentorum affectu, aut a vi motrice, quemadmodum vincitur, vbi noua materia a capite eo ingruens, difficiliorem inspirationem expiratione facit.

Pulmonis hydrope laborantes cur respirationem tardã, & raram habeant.

Atque hæc mihi occurrunt breuiter dicenda pro dubiorum de pectoris affectibus propositorum resolutione, quæ multo facilius dilui posse videntur, constituto prius dicto pulmonis affectu; quanquam non desunt aliæ quoque dubitandi de ipso occasiones, quibus vno verbo respondere possem, nec omnia ab Hipp. de simili morbo fuisse proposita; atque mihi ipsi in facienda medicina non semel contigisse ea fere cuncta symptomata spectare, quibus torqueri Illustrissimum Patientem ex tua pereleganti, & docta epistola cognoui; & inter cætera exẽpla succurit nunc mihi casus Herculis Abarmis Bononiensis, tibi optime noti, qui cum rarissimo pulsu habuit anhelandi difficultatem creberrimam, prætertim dum moueretur, cum exigua, & rara tussi, qui post mortem sectus habere aquam in thorace inuentus est. Nunc ad obscuriorem quæstionem venio ex difficultate vrinæ ortum habentem, vtrum, scilicet, præter alias ægritudines renum, & aliarum partium suspicari liceat de calculo vesicæ; qua de re breuiter dicam id, quod etiam in Clarissimi ipsius fratris casu, vt testis potest esse Galeacius Filius Bononiæ aduersus alios Medicos initio prædixi, scilicet, habuisse calculum in vesica, vt postmodum experientia fuit compertum; & nisi memoria, quam mihi deprædantur anni, modo fallit, cum aliqua deessent ipsi vesicæ lapidis inditia, affirmarunt nonnulli adesse non potuisse; me contra contendente haudquaquam ad morbum quempiam constituendum necesse esse cuncta symptomata conuenire; sed sat etiam, si plura, atque potiora non desiderentur. Qua nobrem (libere dico) cum animaduertam complura, atque grauiora calculi vesicæ signa, cuiusmodi sunt mictu ritio, arenulæ, impedimentum meiendi, pruritus glandis, irritatio alui,

Historia cuiusdam Bononiensis assidua anhelandi difficultate laborantis.

Dubitatio.

Ad morbum cõsti tuendũ nõ necesse est oĩa symptomata cõuenire.

alui, atque alia a te recensita, in eam sententiam tecum venio de eiusmodi lapide non minus esse formidandum, quam erat in Clarissimo ipsius Fratre: neque ab hac opinione deflector, quòd vrina Illustrissimi Viri sedimentum illud crassum, & tenax, atque argillosum non habeat, signaque existentis calculi perpetua non sint, quoniam hæc potius consumati, & inueterati morbi, quam recentioris, & pene nascentis symptoma sunt; neque vero experientia comprobatur in cunctis calculosis eiusmodi sedimenta reperiri, licet non diffitear in plerisque esse, & recordor me Camillum fratrem prædictum sæpe consueuisse omni fere calculi signo carere, ita vt inde alii Medici multo magis in sententia sua persisterent; cum tamen is alia ægritudine præuentus tandem conciderit, lapidemque diu gestasse compertum fuerit. Cessare anhelandi difficultatem accedente vrinæ ardore, & stranguria atque his desinentibus exacerbari suspirium, nõ est ita nouum, atque a ratione alienum, vt multum mirari debeamus, quoniã, & ab Hipp. & ab experientia quotidie discimus fluxionibus alui superuenientibus partium supernarum affectus deleri, aut saltem imminui, eisque desistentibus hos renouari, atque augeri, quæ ratio potest similiter afferri de euacuatione per vrinam, nempe, quæ nõ minus alia ab ipsis superioribus membris fluxiones deflectit, quemadmodũ enim lienis tumores vrinæ profluuio interdum esse solutos narrat Hipp. 2. Epid. ex exemplo Biantis, licet nulla inter eas partes euidens vasorum communio conspiciatur, sic & de pectore dicere possumus, expurgari illud quandoque per vrinam: licet hoc fieri quoque possit per venam illam sine pari vocatam, quæ in venas emulgentes se se insinuat, adeo vt etiam pleuritidas hac via per vrinæ fluorem esse iudicatas perhibeat Galenus. Iam verò de iudicio ferendo haud arduum mihi videtur esse decernere, quòd grauissima ætas cui semper infirmæ vires coniunguntur, nec non morborum magnitudo, quorum duorum collatione faciendum esse verum de futuris euentibus iudicium nos docebat Hippocrates, & certum, & propinquum exitium minentur; & si verum est, aquam in eius pulmonibus reperiri, plane subitanea, sed non inopinata, aliqua strangulatio foret expectanda; & quod alias a similibus symptomatibus euaserit, bona quadam ipsius fortuna, atque Dei voluntate factum est potius, quam vlla euidenti ratione, præterquam quòd in dies decrepitorum facultates magna ruina præcipitantur, vt quod in alijs vix anni faciunt in prosternendis, & extinguendis facultatibus, vna tantum dies possit facere in decrepitis; quam sententiam ægerrime fero propter ingentia detrimenta, quæ Christianus Orbis ob diuini istius viri interitum passurus est.

Solutio dubitationis.

Alui fluxiomb. superuenientibus partiũ supernarum affectus delentur.

Prognosticum.

Ex quorũ collatione in morbis iudicium fiat de futuris.

Venio tandem tecum ad postremas de curatorijs scopis, ac remediorum vsu contentiones, quæ, & si meritò superuacaneæ iudicari queant, nihilominus prætermittendæ penitus non sunt, quò saltem

ægro

ægro ſolatium aliquod(ſi tamen a viro tantæ ſanctitatis exoptatur) vnà cum vitæ prorogatione afferatur. Igitur cum varij, & diuerſi

Scopi curatiui.

ſint affectus, varios quoque ſcopos oriri conuenit, quibus quia interdum oppoſitis, atquè contrarijs remedijs occurrere oportet, inter omnes conſtat, ſemper eorum potiorem curam eſſe gerendam, quæ omnium maximè vrgent, cuiuſmodi eſt ſpirandi difficultas, & dolor inter meiendum, vt non abſque ratione in hiſce debellandis, aut mitigandis diligentiſſimè ſis verſatus: Et vanus atquè nimium audax viderer, ſi à te prudenter propoſita remedia confutare, aut eadem repetere inutiliter conarer: illud vnum me anxium

Dubit. de ſulphure ĩ aſthmatis acceſſione adhibẽdo.

tenet, an in ipſa acceſſione aſthmatis ſulphure viuo ſit vtendum, quod vt ſcio veteres in remiſſione acceſſionis, atquè in ipſo interuallo frequenter vſurpaſſe, ita quo tempore pectus præ labore in reſpirando magnoperè flagrat, calida cuncta eſſe cauenda conſtat; Ammoniacum, & ipſe cum oxymellite tantùm ſimplici eo tempore fœliciter exhibere conſueui, niſi tamen miſcere placeret ſulphur, vel cum Papaueris, vel cum Alterci albi ſeminis puluere. Pro dolore vriginis demulcendo; quæ proponis mihi probantur, veluti etiam aqua è thecis fabæ extracta, necnon lacte vaccino, & ſucci ex vitel-

Cauteriũ in qua parte ſit inurendum.

lis oui extracti modico, Quod decimo loco à peritiſſimis viris dubitari intelligo, an cauterium in capite conueniat, in qua parte, & quando ſit parandum, dicam ſincerè quod ſentio, quodquè me aliàs ſcriptis tradidiſſe recordor, tùm in thomo conſiliorum tertio, ac in Prælectionibus Piſanis, quæ nuper in lucem prodierunt, tùm alibi, nem-

In cauterijs faciẽdis quid debeat medici accuratè obſeruare.

pè cauteria a poſterioribus vſurpata vicem gerere eorum abſceſſuum, quibus ſolet natura diuturnos, atque acutos morbos percurare; vnde ſicuti Hippocrates ſecũdo Epid. monet eos omnium optimos abſceſſus eſſe, qui fiunt a natura in partibus infernis; atquè infra ipſum morbum, ſic debent Medici in cauterijs faciendis illud accuratè obſeruare, vt inurantur partibus inferioribus, vel ſaltem infra mor-

Materia pituitoſa cur per cõmiſſuram coronalẽ non poſſit euacuari.

bum: Iàm vero cum deſtillatio a toto cerebro cauſetur, ac ob id ſedes vera morbi ipſum ſit, dubio procul, ſi ſupra commiſſuram coronalem efficiatur cauterium, erit ſupra non infra morbum; præterquàm quòd ab omni ratione alienum eſt per commiſſuram coronalem poſſe materiam pituitoſam, quæ eſt minera deſtillationis, euacuari, nempè, quæ ſua craſſitie, & pondere deorſum, non ſurſum, fe-

Cauteriũ quando ſit in poſteriori capitis parte, & quãdo in cõmiſſura coronali inurendũ.

ratur; vt ob has rationes cogar cauterium parti capitis poſteriori, quæ eſt infra morbum, affixum, alteri ſuperiori anteponere; ſecus autem eſt, vbi malum a vaporibus cerebrum petentibus originem ducit, aut vbi vehemens aliquod ſymptoma ad ſubitò exſiccandum vrget, in quibus caſibus aperire cutem ſupra commiſſuram, vt vapores inde queant expirare, nec non eandem partem comburere, quemadmodum in apoplexia, alijſquè lethargicis affectibus facere conſueuimus, non parùm conducit. Quapropter ſi cauterium pa-

rare,

rare, diùquè ipsum tenere cogitatur (cogitari autem debere in tanta rerum angustia non dubito) potius partem capitis posteriorem intra secundam, & tertiam vertebram eligerem, siue setone vocato, siue simplici cauterio id parari deliberetur; quæ operatio cum momentanea sit, ac postulante vsu, necessitateque, omni tempore id agere in ætate decrepita non formidarem, neque huic obstat oraculum illud Hippocrate medicationes esse molestas ante canem, & post canem, tùm quia sapientissimus senex de purgationibus vehementissimis suorum temporum interpretandus est, tùm quia non dixit prorsus eas esse respuendas, sed dumtaxat cum difficultate, & molestia ferri. Quantum spectat ad purgationem, vti eam necessariam, sic non parùm periculosam video; vnde laudo, vt quadam media via incedatur, scilicet ea medicamenta adhibeantur, quæ extenuare, incidere, calefacere, & tandem euacuare blandè valent. Oxymel, & mel rosatum simplicia ad præparandos ventriculi succos omnes superuacaneos, tota semper commendauit antiquitas; ad educendum verò, vtrùm rhabarbarum, & hyera conueniant, non parùm hæreo, quoniam, si Galenus in Lib. de tuẽda valetudine damnabat senibus aloes vsum, quia is subtiles humores euacuat, qui non in senibus, & tantò minus in decrepitis abundant; pari ratione, & rhabarbarum, quod ducit biliosos succos, & hyeram non admodum probare licet; mel rosaceum solutiuum, agaricus trociscatus, myrobalani propositæ, & sena melius fortasse conuenient, post quorum operationes, quę proposuisti corroborantia, tàm externa, quàm interna vehementer amplector; maximè tamen omnium mihi placeret, si stillicidium supra ventriculi regionem ex oleo aromatibus (vt in consilijs meis habetur) medicato, si vires sustinere possent; & quia vltimo loco animaduerti ab aliquibus non parùm timeri in corpore vsquè adeo fracto, Theriacæ, Mitridati, atque iuris galli antiqui administrationem, quòd huiusmodi remedia calidiora, atquè sicciora sint, quàm à valde sene queant impunè suscipi, non damno in curatione summi viri huiusmodi prudentem trepidationem, veruntamen, vt sapienter scribis, non sunt in remedijs tantùm expendenda pericula, quantùm vtilitates, quæ expectantur, quæ si magnitudine, & dignitate ea superent, proculdubio eas præferre semper licet: quamquam non facilè intueor, quid detrimenti in corpore suapte natura, atque etiam ex accidenti valde refrigerato afferre debeant ea, quæ secundo gradu calefaciunt, & quæ à Gal. & Auic. dicuntur calorem natiuum recreare, & roborare: quòd maximè in proposito casu exigi videtur. Hæc pauca, quantum mihi, & mœror assiduus, & magni æstus cogitare, vel strenuè enitentem permiserunt: quæque nescio, (opto certè) tibi placitura sint. Vale, meque tuas singulares virtutes ac eximiam humanitatem coram omnibus prædicantem amare perge.

Iudiciũ de purgat.

Corroborãtia medicamẽta post purgatione adhibenda.

In remedijs q̃d expendendũ maximè.

Pro

Pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Bernerio Episcopo, & Princi-pe Asculano tuberculo in capitis dextera parte supra musculum temporalem, & destillatione in asperam Arteriam Laborante, ad Paulum Crassum Medi-cum, Consultatio XIX.

EX Litteris tuis in quibus complura ad Illustriss. & Reuerend. Car din. sanitatem attinentia, & copiosè, & non minus doctè, quàm eleganter exponis, facilè intellexi te hac in re, tuæ potius modestiæ, quàm necessitatis causà sententiam meam magnopere desiderare; quam quidem paucis, diligenter tamen pro viribus nunc aperiam; supposita prius totius rei historia, quæ est huiusmodi.

Historia. Illustriss. & Reuerend. Card. in primo senio constitutus, robustæ adhuc ætatis, quòd ætates non annorum numero, sed temperamentis distinguantur, calidi satis, humidi mediocriter temperamenti; cordis, cerebri, & hepatis, proinde, & totius corporis habitus, iam antea podagricis doloribus interdum vexabatur. Qui quidem congrua victus ratione rigorosè obseruata, ac præsertim vini abstinentia tandem cessauerat; sanguinea enim, calidaq; erat podagra. Mox affectus quidam psoræ similis pruritu molesto in crure sinistro paulò supra talum ex interuallis quibusdam suboriebatur, qua in parte inter scalpendum vlcuscula quædam excitabantur, à quibus acris quædam sanies emanabat: Vitium autem hoc aliquot abhinc diebus nusquam rediit; fortasse ob aeris mutationem; Cœlum enim Romanum partes humani corporis inferiores ad suscipienda a supernis recrementa quàm maximè opportuna reddit; quo factum est, vt in antiquo Adagio sit positum in Vrbe. Guarda la gamba. Nunc autem, (vt audio:) duo sunt, quæ Illustrissimum D. molestant: Alterum tuberculum paucis abhinc diebus in dextera capitis parte supra musculum temporalem subortum, durum, indolens, sine pulsatione, nucis auellanæ quantitatem æquans, quod nunc rubedinis nonnihil contraxit: Alterum symptoma est in genere immodicè excretorum, destillatio nempè a capite in asperam arteriam statis quibusdam horis decumbens, a qua (vt scribis) præfocationis ferè periculum impendet. De narratione satis.

Affectus præter naturam.

Causa interna. Porrò vtriusque vitii causam interiorem, ac propinquam esse existimamus humores superuacaneos biliosos, & melancholicos nonnihil exustos à iecinore feruidiori, quàm par est, & adiuuante cerebro etiam iusto calidiore, humidioreq. profectos: nec non pituitosos, quos inclinante ætate in visceribus cumulari omnibus satis compertum est. Fit enim, vt iecoris nimio illo incendio, sanguis feruens alendo cerebro minimè accommodatus, magna ex parte in excrementa superuacanea commutetur; quæ postea, à sublatis in caput calidis vaporibus eliquata, tùm in asperam arteriam, tùm in extimam capitis

partem

partem ad musculum temporalem promptissimè præcipitantur; inde, & commemoratũ tuberculum, & interuallata illa à capite in fauces, & asperam arteriam molesta destillatio totam originem ducunt.

A quibus molestijs si Illustrissimum Virum vindicari optamus, necessum erit in primis succos noxios corpus vniuersum, & præsertim caput, & hypochondria exercentes pro viribus euacuare; deinde prohibere, ne ij rursus accumulentur; Mox, si qui vitiosi aggregabuntur, à capite, & à faucibus aliò erunt deflectendi; Postremò quicquid in partem tuberculo affectam influxit accuratè dissipandum erit. *Scopi curatiui.*

Opus sanè minimè difficultatis expers; quandoquidem viscerum intẽperantiæ congenitæ non æquè facilè emendantur; Naturæ enim, & seminis vitia vix vlla Ars superare potest. Attamen cum res agatur cum Viro prudentissimo, qui in omni vitæ, & victus ratione prudentissimè se gerit, sperandum fore, vt hæc incommoda prorsus, aut deleantur, aut saltem ita imminuantur, vt longam salubremque vitam ducere possit; præsertim cum feruidæ membrorum intemperantiæ, homine senescente castigentur. *Prognost.*

Igitur primùm recta victus ratio Illustris. Viro adamussim obseruãda erit, sine qua alia præsidia quæq; vana, & inutilia reddi, Gal. vbique prædicare solebat. Itaque omnem aeris inclementiam pro viribus euitare constituat: & licet calida viscerũ intemperies omnium ferè suorũ malorum effectrix causa iure censeatur; aerẽ tamen iusto frigidiorem minimè opportunũ esse iudico, quòd, vt ab aere moderatè calido, poris capitis apertis superuacanei humores effluere magisque per halytum digeri possunt: sic ijsdem meatibus a frigore constipatis intus magis cohibentur, ac subinde retenti, & fluxionem, & tuberculũ augere possunt: Quamobrem Romanũ Cœlũ Illustris D. magis ex vsu fore sperandũ; quòd eo, quo nunc vtitur longè sit clementius. *Victus rõ.* *Aer.*

Corpus singulis diebus ante cibum manè, & vespere moderatè exerceatur. Hic autem illud adnotasse inutile non erit, quòd qui inclinato capite fiunt motus, omnes cerebrum vehementer lædunt. Capitis frequentes, ac numerosæ pectinationes versùs partem posteriorem matutino tempore valde commendamus; quemadmodũ et am partium infernarum frictiones, & pedum aqua calenti lotiones magnopere probaremus, nisi ex ijs podagrici affectus periculum immineret: quem tamen neque admodum formidarem, si priora vitia maximè vrgerent: Vrgentiori enim semper est incumbendum. *Motus, & quies.*

Quotiescunque aluus fuerit adstricta, vel clysteribus, vel passulis, aut prunis præparatis in prima mensa deuoratis cum pane ex tota farina alternis saltem diebus subducenda erit: quandoquidem fecibus retentis halytus noxios in caput ferri nemo ignorat. *Alui lenitio.*

Somnus meridianus, & omnis, statim a cibo perniciosus est: licet in hoc quemadmodum, & in omnibus alijs maxima habenda sit consuetudinis ratio. *Somnus, & vigilia*

Illud

Animi accidẽtia. Illud etiam pre cæteris diligenter eſt attendendum, ne tot curis, & animi ſollicitudinibus obruatur.

Cibus, & potus. Inter cibos eos omnes pertinaciter vitare ſibi proponat, qui ſucci ſunt excremẽtitij, acres, dulces, calidi, caputq. facilè petentes. Propterea aromata, paſtitia, allia, cæpæ, aſcaloniæ, porri, bulbaceaq. omnia, piſces ſeniores, oſtreacea, caſeus antiquus, lacticinia reprobantur; quemadmodum, & carnes omnes craſſioris ſubſtantiæ, vt bubula, & porcina, quibus nõ niſi rarò, & parcè veſcatur. Herbas, quas commendemus, paucas habemus, cichoreo interdũ pro acetario, boraginæ, mentha, pimpinella, acetoſa, ſaluia, origano, capparibus, & ſpinachijs, aſparagis vtiliter vti poterit. Inter fructus, vuas, ac præſertim paſſas, pyra, poma cocta, pruna dulcia, ficus maturas, pepones, piſtacia, nucleoſque pini (modò parce guſtentur) non inuiti indulgemus. Vino vtatur minimè generoſo, minimè craſſo, ſed puro, tenui, flauo; pauciferum vocant: quòd, ſi huius non fuerit ſortis, aqua erit diluendum. Omniaque tandem euitare curabit, quæ ſuccos crudos in corpore, ac præſertim in capite producere nata ſunt. Veſpere pauciſſimè comedat. A cibo ſaccharum roſatum in tabellis, coriandrum ſaccharo conditum, aut diacytonium ſemper deuorabit, iuxta illud antiquum præceptum. Claudere ſicco.

Chirurg. De præſidijs, quæ Chirurgici opera dicuntur, ſic determinandum. Quo tempore curatio inſtituetur; Vere nimirum ineunte, nõ modò euitandi caloris gratia, verum etiam, vt humores morbifici maxima ex parte ſanguini commixti educantur, atque auertantur, (niſi quippiam prohibens impedimentum ſuboriatur) ſanguinem ex vena cubiti dextri interna ſex, vel ſeptem vnciarum menſura detrahendum citra vllam controuerſiam arbitramur; nec ab ætate ſola prohiberi, & vſu quotidiano, & antiquorum teſtimonio ſatis compertum eſt. Immò verò in Autumno etiam ab hęmorrhoidibus, (ſi fortè cõſueuerint ſanguinem ſponte effundere) eadem, vel paulo vberiori menſura detrahendam iudicamus. Quo in genere cauteria vocata, duo excitata, alterum in brachio ſiniſtro ad humores a capite, & ab aſpera arteria deflectendos; alterum in crure dextro ſubtus genu in parte interna ad infrænandum hepatis impetum, atque ad deflectendos a iecinore, & hypochondrijs totis, vapores quantum emolumẽti allatura ſint, nemo, vel etiam in arte mediocriter eruditus ignorabit. Caium Marium, qui ſepties conſul fuit, referunt aſtantem ſibi varicem extrahi paſſum ex vno crure, ex altero recuſaſſe dicentem Medicinam eſſe morbo grauiorem. Hoc ſanè exemplum Illuſtriſs. Virũ (vt ſpero) minimè remorabitur ad propoſitam ineũdam medicationem, quod probe intelligat præceptum illud ſeruandum. Vt corpus redimas ferrum patiaris, & ignem.

Obiectio. Quod autem ſummo iudicio obijcis, Cauterium nimirum in brachio excitandum ex eo fore ſuſpectum, quoniam in cauſa eſſe pote-

rit

rit, vt partes supernæ ab infernis morbificam materiam attraherent, non conuincit; etenim partes ab alijs trahunt, vel calore, vel dolore, aut fuga vacui, siue situs ratione; quorum nullum in hac fortuna locum habere videtur, si supernæ partes cum infernis conferantur, vbi cauterium iam excitatum in brachio, & consumatum fuerit. *Solutio.*

Rursus tuæ dubitationi, quæ, & me tantisper hærere fecit, num videlicet Cauterium alterū in crure excitandum in externa cruris parte potius, quàm in interna inurendum sit, ob inter equitandum incō moda; sic responsum volo. Cū ad internas huius membri partes vasa maiora ferantur, quibus mediantibus vberior materiæ copia ab hypochondrijs promptius expurgari possit; Vlcus ea in parte excitatum plus emolumenti allaturum persuasum mihi habeo: neque equitationi erit impedimento, si subtus genu (vt antea diximus) infligatur. *Dubitatio* *Responsio*

Iam verò quod tu summa ratione asseris Cauteria isthæc ferro cā denti potius, quàm caustico, ad euitandum inflammationis periculum, & ego quoque non inuitus admitto.

Quòd demum ad pharmacorum administrationē attinet, aduentante medio vere corpus exactè purgandum esse censeo. Porrò medicamenta, & præparantia, & purgantia huic operi destinata nunc tibi minimè præscribenda censeo, q̄ certò sciam, hæc quemadmodū, & alia omnia te scitè admodum, & diligenter adimpleturum. *Pharmacia.*

Post purgationem de more peractam; vt serum lactis capræ, lactucis, & cichoraceis prænutritę decem saltem diebus vberiore quotidie copia bibat, etiam atque etiam hortamur.

Et licet hoc tempore medicamentis minime vtendum sit; sunt tamen nonnulla, quibus hyemis etiam tempore vti licet, veluti, si sæpe cichorei, aut lactucæ conseruæ vnciam mediam tribus horis ante prandium sumat. Similiter, si semel saltem in mense rhabarbari puluerizati drachmam vnam cum vncia media conseruæ violarum, & tantundem conseruæ florum cichorei commixtam in aurora deuoret, ac statim paruæ pullæ iuris vncias sex, vel septem superbibat.

Sed quod magis timeo est tumor ille, quòd ex parte tumores quā difficulter elidantur, atque in maximam molem sæpe succrescant; quapropter veniendum ad ea, quæ primum emolliant, deinde discutiant, quæ corpore prius purgato tutius adhiberi poterunt. Itaque Diachilon primum simplex, deinde cum gummis quam maximè profuturum non diffido; præmissis ex Gal. præcepto fomētis aliquot tanquam præparantibus ex decocto radicum altheæ, iridis, cucumeris asinini, & salsæ. Tot sunt, quæ petitionibus tuis mihi respondenda indicaui. Deum autem Opt. Max. precamur, vt ea Illustriss. ac Reu. Card. & Principi, quemadmodum optamus, & speramus, fœlicia, et prospera ita succedant, vt & valetudini suæ, & Reipubl. Christianæ ad multos annos inseruire possit. Vale, ac persuasum habe me non minus te amare, quàm summa tua virtus meretur.

De

De Hypochondrii dextri tumore renitente, cum febre putrida, & continua; pro admodum Illustri ac Reuerendiss. Episcopo Sadoleto, Consultatio XX.

Historia. PErillustris, atque Reuerendissimus Episcopus Sadoletus annum agens ætatis suæ quadragesimum, calidi, humidique temperamẽti, si eius caput, cor, hepar, ac proinde vniuersum corporis habitum spectemus: Ventriculi tamen frigidioris, humidiorisque: tribus abhinc circiter mensibus spirandi difficultate, ac destillatione a capite in subiectas partes laborare cœpit cum insigni dextri hypocondrij duro, non tamen sine sensu tumore, semicircularem figuram proximè emulante, iugiterque duritie non leui ventriculi regionem ad sinistrum hypochondrium vergentem non sine dolore occupãte. Quibus dein morbis, & symptomatibus febris quædã putrida, eaque continua, & lenta nõ sine manifesto periculo, cum quadam tamen ad vesperas exacerbatione accessit. Horum autem malorum omnium causam internam humoribus frigidis, crassis, & lentis, nec non aliqua ex parte biliosis, temperamenti, & ætatis ratióne acceptam ferendã putamus: quæ, tùm ob neglectum corporis exercitium, tùm ob ea publica, & communia retenta excrementa, quæ in viris vxoratis suscipiendæ prolis gratiâ statis quibusdam temporibus sine animæ detrimento vtiliter excernuntur, in vniuerso corpore, ac præsertim in cerebro pituitæ Metropoli, excrementorumq; maximè feraci accumulata in fauces per palatum, atque in æsophagi principium destillantia, ibique noctu inter dormiendum præcipuè firmata, ob moram, quam trahunt, exsiccantur, & crassescunt, ac pertinaciter inhærescentia non nisi vehementi excreatu. & labore educi possunt, quo in laborioso motu ventriculus subuertitur, indeque nausea illa satis molesta, & frequens excitatur. *Causa.* Quorum quidem excrementorum a capite in ventriculum delabentium culpa, ciborum concoctio prima, & imminuitur, & vitiatur, quòd innatus ventriculi calor excrementorum peregrinorum, tùm copia, tùm mala qualitate violetur: Vnde appetentia quoque ob id imminuitur, quoniam eiusdem ventriculi suctio præpeditur. Hinc etiam crudis succis in ventriculi tunicarum substantia tenaciter infractis durities illa ad ventriculi regionem sinistri lateris non sine tristi quadam sensatione percepta fouetur. *Quis affectus preter naturam.* Cæterùm, quoniam Iecur sanguinis officina a ventriculo malè concoquente crassum, vitiosumque succum continuò suscipit obstructiones non leues, tùm in eius venarum osculis, tùm etiam in proprijs poris ad partem præsertim gibam attinentibus comparauit, quod quidem vitium, morbum nempè in via, durus ille hypocondrij dextri tumor quasi scyrrhosus apertè commonstrat. *varia symptomata ad morbũ consequentia.* Itaut haud quaquam mirandum sit, si febris continua, & lenta consequatur, ex earum nempè febrium, quę à Galeno Quarto Apho. Comm. 66. & septimo Apho.

Comm.

Comm.42.accidentariæ nuncupantur, quippe quæ obstructionē con sequantur: est enim Iecinoris obstructio interdum cum febre, nonnunquam sine hac, vt rectè adnotauit Aetius. Vt ob id testatum reliquerit Galenus Lib. de Constitutione Artis Medicæ Cap 14. Febrē superuenire Iecinoris obstructioni cum ea insignis fuerit. Huius quoque visceris multiplicem obstructionem spirandi illa perpetua difficultas consequitur, non tamen vsque adeò, vt tussim excitet: nulla enim tussis, sed quædam duntaxat excreatio Perillustrem, & Reuerendissimum Virum exercet: quo fit, vt humoris a capite per asperam arteriam in pulmones præcipitantis nulla adhuc suspicio meum remoretur animum: Hepar etenim prætumidum per se solum sua mole septum transuersum premendo, pulmonesque in angustiam trahendo spirandi difficultatem efficere valet. Quibus sic constitutis de morbi essentia, de symptomatum natura, de causis, & internis, & externis, iugiterque de sedibus affectis, satis constare persuasum mihi habeo, *Hepatis obstructio quādoque cum febre quandoq. sine febre obseruatur.*

Atque, vt ad remedia accedam statim consultum fuit destillationi veluti omnium malorum fonti primùm prospiciendum, nempè, vel vt prorsus consumeretur, vel in alias partes a faucibus, & ventriculo auocaretur. Secundum erat, vt ventriculi contumacibus obstructionibus, & febri occurreremus: ea propter congrua præscripta victus ratione, lenita aluo, præparatis primùm, mox iterùm atque iterùm purgatis noxijs humoribus, secta vena cubiti interna, apertis etiā venis, quæ sunt in sede, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis scapulis, brachijs, & cruribus adhibitis, cauterijs duobus, altero in brachio sinistro, & altero in crure dextro, paulò subtus genu in parte interna: Errhinis etiam administratis primùm leuioribus, deinde valentioribus topicis capitalibus exsiccantibus, roborantibusque commissuræ coronali admotis; tandem, vt multiplices viscerum ac iecinoris præcipuè obstructiones superemus, ius galli antiqui cum medicamentis, tùm externis admotis, tùm etiam per os sumptis egregè roborato. Quorum præsidiorum vsu fauente Deo febris, obstructiones, spiratio antea difficilis, hypochondriorum tumor, & durities ferè cessarunt, destillatione tamen sola ad fauces decūbente adhuc non sine maximo tædio perseuerante. Sed, quod mirum videtur, pedes, & crura quinque, vel sex dierum spatio vsque adeò intumuerunt, vt vix Perillustris, & Reuerendissimus Laborans incidere, aut stare possit. Huius quippe morbi noui causam adscribendam puto roboratæ viscerum, ac totius corporis habitus expultrici facultati, quæ redundantia pituitosa, & serosa excrementa suapte natura deorsum tendentia, ad crura, & pedes tanquàm ad partes, & procliuiores, & infirmiores detruserit: vnde ædematosi illi tumores ortum duxere; in melius tamen hepate proficiente. Nouimus enim ratione, & quotidiana experientia pedes, & crura interdum intumescere Iecinore probè valente ob causam nunc commemoratam; præterquàm quod per simpli- *Scopi curatiui.* *Chirurg.* *Pedum, & crurū tumoris causa.*

cem congestionem citra omnem fluxionem non modò pedes, & crura, verùm etiam, & cæteræ corporis partes in varios tumores, & præsertim frigidos attolli possunt. Iàm verò, vt pristinæ sanitati restituatur, capitis destillationi rursus firmādæ, hepatis obstructis vasis reserandis, febri delendæ, pedum, crurumque tumoribus discutiendis diligenter incumbendum. Quos quidem scopos explere, licet difficile sit, ob vrgentioris affectus vetustatem (siquidem Iecinoris durities quinque, vel sex fortasse abhinc Mensibus, vt coniectura assequi possum, incepit) tamen non impossibile, quandoquidem res agitur cum Viro obtemperante, & firmæ adhuc ætatis; Illud etiam futuræ salutis spem non exiguam pollicetur, quòd priora, & vetustiora vitia præsidijs hactenus administratis magna ex parte cessarūt. Quamobrem, ne spes nostra irrita euadat ad Perillustrem, & Reuerendissimum Episcopum pertinebit omni industria, & vitæ temperantia cōgruam victus rationem obseruare, quæ licet refrigerandi, & humectandi facultate prædita ex vsu esset, indicatione a febre, & hepatis affectu petita; obstructiones tamen a frigidis, & crassis humoribus profectę, & frigida, humidaq; destillatio calfacientē potius, & siccantem diętam postulare videntur; propterea in hac indicationum pugnantia mediocris, temperatæuè, sine ancipitis facultatis ratio victus eligenda venit. Caueat ventos, cùm austrinos, tùm aquilonios, vitata etiam repentina mutatione, modò ad frigus modò ad calorem, quòd talis mutatio grauedines, & destillationes maximè concitare soleat, vt Celsus Lib. 1. Cap. 1. admonebat: qua ratione a Sole, & balneo protinus abstinendum monet idem Celsus Lib. 4. cap. 2. de catarrho loquens, qui in præsenti nobis maximum facessit negotium. Somno vtatur moderato, ac nocturno potius; nam vigiliæ quoque moderatæ conferunt; procurandumque erit, vt singulis diebus aluus excrementa deponat, si non natura, arte saltem, vt clysteribus, balanis, vel prunis damascenis in iure, aut vino excoctis, & in prima mensa deuoratis. At verò exercitatio corporis idonea maximè cum existat (si obstructiones spectemus) vt liquet apud Galenum primo de sanitate tuenda cap. 14. quiete autem in curandis destillationibus vtendum sit; mediocriter se exerceat oportet. Animi quoque affectus immodici, sollicitudines, & immoderata studia omnino vitanda sunt. Cibis facilis coctionis, boni succi vtendum, acriaque edulia, ac Aromata, cæteraque sursum facilè euaporantia prorsus cauendum, tàm notum est, quàm quòd notissimum, ob id vinum esset interdicendum; verùm quoniam, & virium, & ventriculi, & obstructionum maxima est habenda ratio, vinum pauciferum, tenue, & aqua, in qua ligni visci quercini, & Cetrach modicum præbullierit, attemperatum, tutò concedi potest. Nec negligenda erit ptisana, præsertim cum calidi etiam succi redundent; ipsa namque inter omnia, quæ vt medicamenta, seu vt alimenta conceduntur, primas obtinet partes, vtque modicè attenuet,

Scopi curatiui.

Prognost.

Victus rō. Aer.

Somnus, & vigilia.

Alui excremēta.

Motus, & quies.

Animi accidentia, & cibus, & potus.

nuet, ac incidat egregiè, vt Galeno placuit Lib. de ptisana in fine. Semper autem parcè edendum erit, atque omni studio cauendũ, ne, vel cibi, & potus copia, aut horis intempestiuis cruditates vllæ suboriantur. Et quoniam Cęlum hoc Romanum destillatione affectis, atq; hydropicis passionibus opportunis, aduersissimum esse, & Gal. & ratio, & experiẽtia apertè docent, vt hinc in patriam quãprimum discedat, ẽt atq; etiam hortor. Præter victus rationẽ, in qua constãter pergere debet, alia quædã sunt auxilia necessaria ad pharmaciam spectantia, quę, & si antea administrata fuerũt nunc, & inposterũ sunt repetenda. Applicata.n. iuuant, & reiterata sanant. Atq; purgandorum redundantiũ humorum causa, medicamentum ex Cocchijs, aureis, & de tribus confectũ, ac per interualla datũ summopere probo; quẽadmodũ, & frequẽtẽ Rhabarbari infusi vsũ. Rursus cõtra obstructiones cõtumaces probatissimũ mihi in vsu est præsidiũ huius pulueris.

Pharmacia.

Probatissimũ authoris pręsidiũ aduersus obstructiones contumaces.

Recipe seminis securidacæ
Radicis rubeæ tinctorum } an. scr. 1.
Specierum Diarhodon Abbat.
Specierum Triasantali } an. scr. s.
Misce, & dentur ex aquæ cardi stellati stillatitiæ vnc. v.

Horis saltem quatuor ante cibum. Atque vt redundantium humorum præparatio ex syrupis de hyssopo, de Betonica, de cichorea composito, ac interdum scyllino oxymellite cum aquis stillaticijs eiusdem farinæ quamcunque purgationem præire debet, ita, & viscerum corroboratio subsequi. Roborantium quippe cerebrum, ventriculum, & hepar duo sunt genera; alia enim suscipiuntur: alia extrinsecus adhibentur, primi generis hoc vnum illudque præcipuum erit.

Roborantium cerebrum ventriculum, & hepar duo genera.

Recipe Conserue Rosarum siccę
Ireos illyricæ
Specierum triasantali
Specierum diarhodon abb.
Specierum letificantis Gal. } an. scr. s.
Sacchari in aqua Absynthij diss.q.s. & fiat cõf. in tabellis, cuius drachmæ duo hora vna detur ante cęnã, quæ prandio semper parcior esse dẽt. Inter secũdi generis medicamenta topica, quę cerebro, hepati, & ventriculo robur cõcilient, materiamq; resoluãt hęc erũt egregia.

Topica.

Recipe Mastiches
Myrrhæ } an. drach. s.
Sandaracæ id est vernicis drach. 3.
Ladani vnc. s.
Spicæ nardi puluer. drach. s.

Soluantur gummi in lixiuo cum aceto confuso, & coquantur ad densitatem. Deìn cum cera, piceque fiat ceratum, extendatur super corium, & comissuræ adhibeatur coronali.

Ad synapismum etiam, nec non ad inustiones capitis vrgente de-

ſtillatione deueniendum. Ventriculo autem, & hepati robur addere poterunt fotus, linitiones, & cerata hunc in modum.

Recipe Abſynthij,
Mentæ } an. m. 2.
Roſarum rubearum
Cinnamomi drach. 1.

Miſce, & bulliant in vino albo potenti, dein per ſpongias hoc decocto imbutas, leniterque expreſſas ventriculi regio ſæpius foueatur: a fotu tale adhibeatur vnguentum.

Recipe Olei maſtichini } an. vnc. ſ.
Olei Caryophillorum
Cinnamomi
Galangæ } an. ſcr. 1.
Macoris
Galliæ moſcatæ ſcr. ſ.

Cum cera, & vino odorato fiat vnguentum.

Interim foliorum, & radicum Altheæ an. m. 1.
Abſynthij P. ſem.

Bulliant in Oleo communi, addito aceti modico, quo ſæpius per ſpongias ſupra hepar fomentum admoueatur. Mox

Recipe Olei Abſinthini } an. vnc. ſ.
Olei maſtichini
Olei Cytoniorum drach. 2.
Spicæ nardi ſcr. 1.
Croci grana v.
Adipis Anſeris vnc. 1.

Ceræ q. ſ. & aceti parum, fiat vnguentum.

Quod manè, & veſperi hepatis regioni applicetur prægreſſis ſemper commemoratis fotibus. Illud tamen accuratè ſemper eſt obſeruandum, ne valentioribus medicamentis vtatur, quòd iecur ea non ſine maxima noxa perferat. Quare hoc in opere conſulere oportet Galenum Lib. 5. de Simplic. Medic. facultate cap. 4. ſecundo de Arte curatiua ad Glauc. cap. 14. nec non 14. Metho. meden. cap. 4. & dum hæc aguntur, cruribus, & pedibus tumentibus exſiccantia, & digerentia medicamenta ſingulis ſex horis applicari debent, qualia ſunt.

Recipe Anethi
Betonicæ
Calamenti
Chamęmeli
Maioranæ } an. m. 1.
Hyſopi
Schenanthi
Pulegij
Radicum, & foliorum ebuli

Bulliant in lixiuio aceto confuso, & per spõgias fotus tumentibus locis adhibeantur, ter, quaterque horæ vnius spatio, deinde siccatis locis linteis modicè excalefactis; sine tamen frictione.

Recipe Olei Anethini, in quo maduerit Cuminum vnc. 4.
Aceti Scyllini drach. 2.
Spicæ Nardi drach. 1.
Ceræ q.s. & fiat vngentum immediatè post fotum adhibendum.

In hunc etiam vsum, tumentia membra, vel in macribus furfuribus, millio, sale, & sulphure additis, satis calentibus vtiliter sepeliuntur, quemadmodum, & in arena præsertim marina, sabulo, vel cineribus calfactis. Aquæ etiam naturales salsæ, sulphurosæ, & eiusmodi reliquæ, balneorum vsu, vel etiam vaporationum in herbis siccis, efficacissimè id præstant, quæ si desint arte comparari possunt sale, vel sulphure in aqua dulci liquefactis.

De Chirurgico opere nihil mihi dicendum videtur, nisi, quòd, & *Chirurg.* Iocinoris obstructionis, & febris causa ex interna dextri cubiti vena sanguis iterum mittendus esset; parcè tamen; nàm nõ solùm tenuantium ciborum, ac medicaminum ingestio sufficiens erit pro multarum Iocinoris obstructionum curatione, sed etiam, & purgatio, & venę sectio est necessaria. Scribente Galeno Lib. de constitutione Artis medicæ cap. 17. quod enim obstructionis iàm factum est, per ea curabitur, quæ reserandi facultate pollent, propulsabitur autem quod futurum est ipsius obstructionis ex iàm dicta venę sectione, quippeq; obstruẽtium succorum defluxum retrahat, inhibeatq; Galeno teste Lib. 11. Meth. cap. 10. Quod quidem auxiliũ ex eo etiã magnopere conducturum confido, quoniam obstructio iàm inueterata putrefactionem operatur, ac febrem accendit. Nec obstat, quòd Vir Perillustris, & Reuerendissimus hydropicis passionib. nunc oportunus videatur, ac pręcipuè Anasarcæ, qui affectus ex sanguine frigidiore nascitur, ac frigiditatis causà venæ sectione indigere minimè censetur, quandoquidem hic solus hydrops cum incipit, sanguinis detractione tunc indiget, quando, vel hæmorrhoidarum, vel muliebrium, vel ex quapiã cohibita consueta euacuatione plethoriæ causa inceperit, Galeno teste quarto de ratione victus in morbis acutis Comm. 3. eius etiam sententię Alexander, & Paulus fuerunt, hoc inquam obiectum non vrget, quòd sanguinis parua admodum copia detractione plus commodi, quàm incommodi ægro comparari possit, obstructionis demendæ, febrisq; infrenandæ ratione, præsertim cũ hydrops radices adhuc non egerit. Verùmenimuerò, & diligenti etiam medicatione cum peruicacem illam capitis destillationem prorsus superatam iri polliceri minimè audeam, maiora remedia vsurpanda consulo, nempè qualitate contraria, assiduoq; vsu, veluti sunt capitis fotus ex sacculis, millio, furfure, sale, & maiorana imbutis, sed sine frictione ex linteis calentibus, vt calor in profundũ subeat, & humorẽ concoquat, in ca-

tharris enim, capitis frictionibus, nequaquam vtẽdum esse nemo est qui ignoret; Acrioribus interdum etiam clysteribus vtendum, in quibus Hieræ picræ semuncia dissoluta sit, vt ex alto recrementa a faucibus, & stomacho reuocentur, ac reuellantur. Cucurbitulę magnę scapulis, & brachijs eodem consilio affigendæ, pariterq; frictionibus earundem partium assiduis vtendum, & licet remedia particularia, vt errhina, apophlegmatismi, gargarismi, & similia non rarò (vt quotidiana experimenta me docuerunt) humores liquando, & dissoluendo catarrhos commoneant, consideratè tamen hic vsurpanda erunt. Igitur ad fluxum in asperam arteriam, fauces, & ventriculum prohibendum talis præscribitur gargarismus.

Recipe Rosarum	M. 1.
Santalorum rub.	drach. 1.
Aquæ cisternę	lib. 1. s.
Aceti	vnc. 2.

Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, colentur, percolato adde Syrupi de Rosis siccis vnc. 2. vnde leuiter os colluat.

Caputpurgia quoque ad expurgandum cerebrum atq; ad fluxionem a faucibus auocandam hunc in modum administranda erunt.

Recipe Mannæ calab.	drach. 2.
Aquæ hordei	lib. 1.

Dissoluatur, percoletur, & per nares è vola manus trahatur, cui interdum adde succi Maioranæ sextam partem.

Apophlegmatismi, cur suspecti. Apophlegmatismi hoc in casu suspecti habentur, quippè quòd ad os, & fauces cerebri recrementa alliciant: suffumigium etiam hoc tempore administrandum erit eiusmodi.

Recipe Ligni Aloes, Costi	an. scr. 1.
Gallię Moschatę, Olibani, Sandaracæ	an. scr. s.

Cum Styracæ liquida fiant pilulæ, quarum vna, vel altera singulis sex horis ventriculo ieiuno super carbones accensos in nares euaporet. Tali enim suffumigio cerebri recrementa digeruntur eiusdemque humida intemperies corrigitur. In quem etiam vsum stuphæ siccæ commendantur; postremò etiam, si malum non cesserit, & synapismis, & Cauterio syncipiti adhibitis, agendum erit. De capitis autem lotionibus, & stillicidio ex aquis, vel naturalibus, vel arte paratis exsiccantibus, & roborantibus caput; nihil nunc proponendum puto, quoniam per vires, & præsentis status laborantis conditionem his præsidijs vti non licet; Neque etiam de pilulis, quæ ex bolo armena, & terra sigillata papaueris decocto lota, & diatragachantho frigido cum albumine oui dissoluto ad lupini magnitudinem conficiuntur, vt in ore contineantur ad fluentem mate-

riam

riam incrassandam, retinendamq;: etenim Reuerendissimus Laborans semper conqueritur de molesta quadam nausea laboriosam excreationem consequente ob fluentem materiam in fauces, & œsophagi principiũ, quæ postea hisce partibus tenaciter adhæreścat. Quibus omnibus peractis, capite, ventriculo, & hepate sæpius roboratis, Betonicæ, Saluiæ, Rosarum, & florum cichorei conseruarum, nec non theriacæ interdum vsu. Vt redundantia in vniuerso corpore excrementa, & maximè in cerebro dissipentur, viscerumque cerebri, nempè, & ventriculi frigida, humidaq; intemperies corrigatur, decoctum ligni sancti cum santalis rubris, & ligni visci quercini modico cum cichoraceis paratum, moderata victus ratione quindecim saltem diebus, plus, minusuè sumendum, quàm maximè suadeo, & hortor. Post hæc caprinum serum quindecim, vel viginti diebus de more accipiat, primoque cyatho cichorei succum depuratum trium, vel quatuor vnciarum mensura, adijciat; eo sanè consilio, vt hepatis incendium infrænetur. Placeat autem Deo vero languorũ nostrorum medico, vt cuncta hæc præsidia salutaria, ac prospera contingant.

Appendix de cruribus œdematosis.

COmmemoratis remedijs, magna ex parte vsurpatis, morbi, & symptomata omnia, excepto tibiarum tumore delitescere manifestè cœperunt, itaut res suas disponeret, hinc in Patriam discessurus: quando (ò miserabile infortuniũ) Medicus quidam Perillllusti, ac Reuerendissimo Episcopo satis familiaris, tumentibus cruribus me inscio frequentia vulnuscula incussit, eo quippe consilio, vt crurũ œdematosi illi tumores scalpello incisi, effusaq; aqua dissiparentur; quod illi ex voto quidam successit, quoniam tribus circiter horis ab incisione humor quidam serosus ad decem ferè libras ex inflictis vulnusculis emanauit, quo factũ est, vt crura in pristinũ ferè statũ tàm breui tẽporis spatio fuerint restituta; sed paulò post dolor cũ inflammatione insignis partib. scarificatis accessit, qui nec anodynis, nec ẽt narcoticis potuit mitigari; vnde, & suborta Gangræna, ob inflãmationis magnitudinẽ, quę nec sanguinis in mẽbro patiente cõpacti euacuatione per hyrudines, sectiones, vel scarificatus, neque vnguento ægyptiaco superimposito; sale ẽt, & aceto superadditis, vt corruptũ a sano dirimeretur; superari potuit; itaut partibus tãdem prorsus sphacelatis miser die sequenti in patriam non propriã, sed religiosorum Christianorũ cõmunem, fœliceq; hinc discesserit, cuius anima in pace requiescat.

Appendicis ratio.

HAec præhabitæ consultationi addijcere volui, vt iuniores artis studiosi medicinam facientes, suos admoneant ægrotantes, ne cui-

cunque indifferenter sese cōmittant, quod salubrius sit Medico prorsus carere, quam temerarii inconsiderate agentis opera vti; Longe enim grauiora sunt commissionis, quā omissionis peccata. Hinc quoque quatuor egregia præcepta maximi in medicina facienda momēti animaduertent, memoriæque mandabunt.

Quatuor maxime Medicis necessaria

Primum præceptū.

Primum incisiones, siue scarificationes, synapismos, & vesicantia, quam maxime suspecta, & periculosa esse iis, quibus crura multum, & diu tument, si affectis partibus admoueantur, quandoquidem calor in cruribus sic affectis constare nequit, quia insigni facta incisione promptius etiam vna cum aquæ, & spirituum profusione exhalat. Huc etiam accedit, quòd cum extranea humiditate insignis siccitas ob alimenti inopiam inducta sit, ex inflictis vulnusculis dolor solutæ continuitatis, & auctæ siccitatis soboles, inflammationem accersit; hæc autem Gangrænam, cui tandem sphacellos succedit, calore iam debili pereunte, ac præsertim; si plura simul partibus affectis vulnuscula incutiantur, neque mox, quæ putrefactionem prohibeant, administrentur: quale est ex farina orobi, aut lolii, aut fabacea ex oxymellite paratum medicamentum. Ob eandem ferme rationem scriptum reliquit Hipp. 6. Aphor. 8. Aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter sanari, quam etiam sentētiam repetit in Lib. de Vlc. non longe a principio, & in Lib. de capitis vul. nam non prius ad cicatricem perducuntur vlcera, quā sufficienter exsiccentur, hoc autem in iis obtineri nequit, ob humiditatis immoderantiam, & caloris etiam defectum. Secundum præceptum; licet melius sit anceps experiri remedium, quam simpliciter ægrum relinquere deploratum; omnis tamen multa, & subita euacuatio; vel contenti tum in ventre, tum in cruribus serosi humoris; vel puris, vt in suppuratis, aut in quauis alia corporis nostri parte insigni tumore aliquo obsessa, semper periculosa est; & omittēda, tum ob causam a Gal. assignatam 6. Aph. 27. Aph. quippe quod propter magnam quorundam vasorum arteriosorum apertionem, pure, vel aqua effluente, quæ recrementa prius, veluti operculum quoddam vasorum ora non æque hiare permittebant; vnde insignis sequitur spirituum effusio, & virium irreparabilis iactura: tum etiam quia singula eorum, quæ nobiscum familiariter versantur, familiarem nobis suam naturam adeo faciunt, vt temporis spatio aliquam illorum similitudinem contrahamus, vt mirum non sit, si ex vitiosorum humorum colluuie, aliquando natura meliore parte fruitur: hinc fit quòd tempore charitatis homines melius vitiosum ferunt alimentum quam inediam: huic etiam accedit, quòd omne nimium naturæ est inimicum, quas ob causas scribit Hipp. Aph. 6. Aph. nuper citato. Quicunque suppurati, aut aquam inter cutem patientes, vruntur, aut secantur: si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

Secūdum præceptū.

Tertium præceptū.

Tertium animaduersione dignū præceptum est, paracenteses, siue pun-

punctiones in hydropicis, vstiones in suppuratis, incisiones, siue scarificationes in ijs, quorum pedes, & crura immodice tument, vel queuis alia pars insigni premitur tumore, non prorsus esse reprobandas: sed magna vrgente necessitate, summa Medici consideratione, & cautione interdum administrandas esse: ita vt succi vitiosi non subito, sed sensim, ac veluti per epicrasim duodecim, plus minusue diebus expurgentur: hac nimirum euacuatione, nec spiritus magna copia dissipabuntur, nec vires concident: præsertim si hoc tempore corpus renutriatur, idque præstetur priusquam partium affectarum habitus corrumpatur. Quemadmodum Hipp. Lib. de locis in homine docet.

Quartum postremumque memoriæ mandandũ est: Partibus male affectis tumentibus, & vitioso habitu præditis, vel ob incisionem illis adhibitam, vel ob quamuis aliam causam pre nimio dolore cum inflammatione gangrænæ opportunis, Narcotica medicamenta nisi exigua admodum copia, atque modice calidis castigata non esse applicanda, quod partis affectæ imbecillum calorem violando gangrenam; & tandem sphacellos promoueant. *Quartum præceptũ.*

De ventriculi calore violato; tarda, deprauataque coctione. Hypochondriorum obstructionibus, cum febre continua, & lenta, capitis in sedes subiectas destillatione; vigiliis, & cachexia, pro admodum Reuer. D. Albano de Villagomes Ispano nobiliss. Consultatio XXI.

IN recensendis affectibus præter naturam Reuer. Virum grauiter torquentibus, a ventriculi noxa exordior; vnde cuncta alia mala originem traxisse minime dubitandum. Hic enim ob multa commissa errata in viuendi ratione sine vllo delectu, potissimumque in immoderatis, tum animi, tum corporis laboribus, adeo imbecillus euasit, vt non modo tarde, verum etiam vitiose, ægreque ingesta alimenta concoquat; quod quidem ex eo depreheditur, quoniam quinque, vel sex horis ab ingesto cibo citra omnem obiecti culpam, & circa ventriculi fundum cum grauitatis sensu anxietatem quandã, & acidos ructus ingesti iam multo antea cibi odorem præseferentes, experitur. Cuius quidem imbecillitatis causam, interiorẽ in frigidã huius visceris intemperiem, non equidem a natura, sed postea contractã indubitanter referendam censemus, vt, que mox dicentur luce clarius demonstrabunt. Hoc. n. intemperamento affectus ventriculus, cum actionem propriã (coctionem nempe) perficere nequeat, insignis excrementorum copia suboritur, vnde chylus vitiatus, in crassum, pituitosumque sanguinẽ cõuersus, & membris distributus, ipsisque venis impactus, tenacissimas hypochondriorũ potissimum obstructiones induxit. Indeque febris illa continua, lenta tamen; quæ ex genere antea fuit pituito- *Historia, cur à ventriculi noxa exordiatur.* *Imbecillitatis ventriculi causa.* *Ab intẽperato vẽtriculo, alii qui contigerint morbi.*

sarum,

satum, nũc autem ad hecticam potius inclinare videtur. Quod etiam vitiosum alimentum ab hepate ipsi cerebro dispensatum, nec probe confectum, multorum in hoc viscere congestorum excrementorum vna est causa. Altera eiusdem cerebri frigida intemperies naturalis quidem, sed ex longa patiendi consuetudine etiam adaucta, natiuo eius calore violato, atque humido pabulo imminuto. Quocirca haudquaquam mirandum, si capitis destillatio suboriatur, quæ in ventriculum procumbens, huius vitium nõ solum fouet, sed etiam auget, ita ut caput ventriculo, & ventriculus capiti sua mala facile communicẽt. Verum, qui fiat, vt immodicis vigilijs maxima cum molestia hic detineatur, non admodum facile explicatu videtur, cum cerebri humidam intemperantiam, ac præsertim cum humore, somnum semper conciliare, & ratio, & quotidiana experientia apertissime demonstrent. Nihilominus tamen dubitandum non est, quin natiui humidi inopia, substantiçque mollitudo, & laxitas cerebri huius; redundantia excrementa in eo firmari non permittentes, atque putridi Halytus è putrescente humore ob vitiatas coctiones elati, maiorẽ vim habeant ad arcendum somnum, quam simplex humiditas ad eum conciliandum. Corporis autem vniuersi maciem cum cachexia quadam manifesta (quem affectum, Cacotrophiam iure appellare possumus) vitiatam in toto nutritionem consequi minime est dubitandum. Cuius quidem vitiatę functionis causam in prauam Iocinoris sanguificationem referendam esse certum est. Hepar enim, & natiuo priuatum calore ex morbi diuturnitate, & vitio obiecti; alimenti nempe inconcocti a ventriculo male conficiente suggesti; sanguinem alendis membris opportunum haudquaquam generare valet. Vnde, & atrophia, & cachexia suboriuntur, præscripta igitur viscerum intemperamenta, & intemperamentis coniuncti morbidi humores, vna cum causis euidentibus, commemoratis vitijs originem præbuerunt. Iam verò parti huiusce consultationis Theoricæ finem imponerem; Sed difficultas non leuis inter peritissimos viros suborta, de febris Reuerendum Laborantem sollicitantis essentia, me nunc remoratur, in qua difficultate, quid sentiam, libere, ingenueque dicam. Febrem hãc hecticam esse, ex eo deducebat Vir Clarissimus, quòd lenta, continua, vniformis, atque solutu difficilis sit, seu habitus quidam: nec ab ægrotante deprehendatur: Hecticarum enim duo propria obseruantur signa: si perpetuo illæ similes sint, nec febricitare se percipiat ęgrotans. 3. de præsag. pul. Argumẽta autem, quæ alterum doctissimum virum impellunt, vt Reuerẽdum Virum hectica febri laborare minime credat, hæc fere sunt; pulsus mollis, qui licet paruus, & freques sentiatur, non ita admodum languidus. In febribus namque hecticis, debilis ob fortem cordis dyscrasiam, & durus ob siccitatem, pulsus perpetuo inquam deprehenditur. Præterea, Hecticis ab assumpto cibo inæqualis quædam caloris exacerbatio cõtingere solet: vel quia arida membrorum

Congestorũ excremẽtorum in caput causæ.

Cum vigilijs laboret cur humida cerebri eger intẽperie afficiatur.

Vitiatæ in toto nutritionis causa.

Cõmemoratorum, omniũ vitiorũ origines.

Dubitatio de febris essentia.

Argumẽta quæ probãt esse febrẽ hecticam.

Hecticarũ duo propria signa

Argumẽta, quæ haudquaquã febrem hecticam esse comprobant.

rum caliditas humidam alimenti ſubſtantiam exhalare facit: quod affirmare viſus eſt Gal.1.de diff.feb.& 2.Prognoſticorum,adducta ſimilitudine calcis ſiccæ, quæ aqua profunditur. Quod quidem Auerrhoi collec.4.non placet. Siue quod a cibo membra calidam acquirāt intemperiem; quoniam quod nutritur, alimentum ſibi aſſimilat, vt idem Auerrhoes ſentit. Aut vtraque ratione id contingat. Quemadmodum Auic.prima 4.aſſerere videtur,vbi habet,quod a cibo augetur hectici calor,ſicut augmentatur flamma, olei ſuperadditi copia, & frixio ſartaginis,aqua ſuper eam effuſa, quare cū febris hæc neque a cibo, neque noctu augeri videatur, ſed in perpetua, multis ab hinc menſibus,æqualitate conſtet,nequaquam hectica cenſeri debet. His accedit,quod vrina,cui pinguedo telis araneorum ſimilis ſupernatat a propoſito patiente non mingitur.Quę ſingula hunc in modum expedienda videntur. Certe hæc febris quotidianæ continuæ naturam proxime ęmulari videtur,quod,& pulſus paruus,& minus frequens, minuſque velox,quam in aliis febribus putridis deprehenditur,pituitæ etiam interdum vomitio, vrinæ primum tenues,dein craſſæ,& albicantes, alias etiam rubentes; Necnon ſitis nulla, vel admodum remiſſa;febrem pituitoſam continuam,quam laticam appellant,hecticæ in aliquibus non diſſimilem,indicare videntur. Cæterum quoniā febricitātium pulſus in hoc decem, & octo horarum interuallo,plus minuſue frequentiores ſunt,euidentiuſque febrilem affectionem indicant;mox horis ſex circiter ita permutantur in frequentia,& velocitate,vt manifeſtam febris remiſſionem oſtendant,quod,& Princeps animaduertit;in hectica verò eiuſdem fere conditionis obſeruentur, præterquam ab aſſumpto cibo;in eam,& ego quoque inclino ſententiam,vt Aegrotans,de quo nunc agimus,Hectica febre laboret,vt huius ſectæ argumenta iam adducta ſuadent, quibus & illud vnum accedit maximi apud me momenti, nimirum, quod lactis per multos dies vſu melius admodum ſe habuerit. Nec mirum videri debet, ſi viri alioquin doctiſſimi, & in arte periti, de hac febre varie pronunciauerint. Quandoquidem alteratæ qualitatis morbi cognitu ſunt difficiles, niſi pars multum a naturali habitu deflexerit, ex Gal. Lib. de morborum diff. Vnde hectica non facile, maraſmodes facillime noſcitur. Sed quo nomine febris hæc hectica cenſetur, cum, nec vrinæ pingue illud ſupernatet, quod febris huius indicium creditur: nec laborantis calor a cibo augeatur: nec pulſus admodum debilis, nec durus (licet paruus) obſeruetur? Sane difficile eſt obiecta hæc ſoluere iis,qui longo medendi vſu hæc, & conſimilia non obſeruarunt: Poſſibile tamen eſt hectica laborantis vrinam omni prorſus pinguedine ſupernatante carere; Nam quod liquatur, interdum,vel per halytum digeritur, vel in ventrem defluit. Ob id hecticarum notitiam ex vrina petitam incertam eſſe 3.de Præſ. ex pul. explicatur. Præterquamquod pingue vrinæ ſupernatans, non hecticæ ſimpliciter

Hecticæ febris ſignū ex Hipp. Prognoſtico.

Cutis mollis,ac ſubtumida.

Propria ſententia circa feb. eſſentiam.

Solutio ſupradictarum dubitationum.

Cur hecticarū indicia ex vrina petita incerta exiſtant.

citer est nota; sed hominē tabe consumi denotat, vt patet apud Hipp. progn. 2. Quod ad pulsum attinet sic determinandum puto. Hectica laborantium pulsus paruus semper est, & frequens, debilis autem, & durus tunc obseruatur, quando hectica abit in tabem, & marasmodem. Reliqua duo obiecta, nempe, & de corporis mollitie, & de febri li calore in eodem statu perpetuo consistente; quæ febrem hecticam excludere videntur; facile est soluere; si cachexiæ symptomata spectemus. In hoc enim affectu vniuersa corporis miscela laxior euadit, & frigidior, ac mollescit: Atque in ædema quasi vniuersale degenerat. Quo fit, vt in corpore sic affecto, nec cum siccitate dura cutis deprehendatur, nec a cibo caloris augumentum, quod hectica febris (quantum in ipsa est) efficere solet. Quod a nemine hactenus fuit obseruatum.

Scopi curatiui. Quibus hunc in modum se se habentibus, curationis ratio expostulare videtur, vt cerebro, ventriculo, vniuersoque corpori natiuus pro viribus calor restituatur, fluxio cohibeatur, obstructiones demantur, simulque pro febre hectica expugnanda vniuersus corporis habitus ita refrigeretur, atque humectetur, vt febrilis calor remittatur citra excremētorum prouentum. Iam vero hos propositos scopos assequi in viscerum natiuo calore vsque adeo violato, cum indicationum pugnantia, atque affectuū vetustate, haudquaquam facile esse vnusquisque intelligere potest; *Prognosticum.* Præsertim cum omnium efficacissimum præsidium hecticæ febri tollendæ, & corpori reficiendo maxime accōmodatum (lac nimirum) valde suspectum sit, quòd in murmurātibus hipochondriis, & in capite vsque adeo imbecillo, Hipp. & Gal. lactis vsum semper damnarūt. Aliis igitur remediis tutioribus aduersus proposita mala prius pertinaciter certandum. *Victus ratio.* Et vt primum victus rationem expediam, licet viscerum, vniuersique corporis frigida, humidaque intemperies, frigidorum redundantium in toto excrementorum colluuiem consequens, calidū, & siccum aerem, victumque non solū tenuem, verumetiam attenuantem exigeret; hectica tamen febris, cuius potissima est habēda ratio, quippequæ maxime vrgeat, refrigerantem, & humectantē aerem, simulque victum renutrientem requirit. In qua indicationum pugnātia, vtrique consulendū, ea tamen cautione, vt febrē, a qua vitæ periculum euidentius imminet, magis respiciamus. Aer igitur in actiuis qualitatibus temperatus, ad humidum non nihil inclinans eligatur, qualis in regione tabiensi habetur; pro conciliando somno, maxime probo potionem hanc, quæ talis est. *Somnus quibus conciliandus.*

Recipe Syrup. de papauere
Syrup. nenufarini } an. drach. 6.
Aquarum lactucæ
Portulacæ } an. vnc. 1. s.
Pulueris Diamargariton frig. scrup. s.
Misce, & bibatur hora somni.

Idem

Idem præstat potio, hæc

Recipe Aquarum hordei } an. vnc. 1.
Lactucæ
Muccaginis sem. psilij } an. vnc. s.
Syrup. Nenufarini

Misce, & singulis sex horis propinetur, vel Diacodion in rotulis.

Inter remedia extrinsecus admouenda hæc duo magnopere commendamus. Alterum quod

Recipit Sem. hyoscyami albi pulueriz. } an. dr. 1.
Sem. papaueris albi
Lactis nutricis vnc. 2.
Aceti Rosati vnc. sem.
Albuminis Oui num. 1.

Misce, & subacta omnia simul fronti adapplicentur.

Alterum.

Recipe foliorum Lactucæ } an. m. sem.
Florum Nympheæ
Violarum
Rosarum
Chamœmeli
Foliorum Salicis } an. m. ij.
Cucurbitæ
Vitium
Capitum pap. albi cum seminibus suis
Recentium, & contusorum num. 7.
Corticum radicis mendragoræ vnc. 3.

Misce, & bull. in s. q. aquæ cum modico vini pro extremorum lotione de more administranda.

De corporis exercitio nihil proponendum, quod per vires non liceat, vt se se exerceat. Frictiones tamen singulis diebus ieiuno ventriculo exercitij vices gerent, a quibus postea vniuersum corpus illinendum erit Oleo Amygdalino, & Chamœmelino. Nisi aluus sponte fluat, eam vel clystere ex oleo, & buthyro, vel prunis manna imbibitis citanda erit. Animi curę grauiores, sollicitudinesque pro viribus arceantur. *Motus, & quies.* *Alui excremēta.* *Animi accidentia.*

Cibis boni succi, coctu facillimis, & paucorum excrementorum perpetuo vescatur; vt carnes iuniorum animalium, elixæ potius, quam assatæ, oua sorbilia, hordei in iure exactè excocti succus cum cinnamomi modico, testudinis nemoralis, & cancrorum fluuiatiliū carnes in iure, vel lacte excoctæ, & consimilia edulia: in summa victus sit renutriens quidem, sed non nihil etiam attenuans, ob id lac amygdalarum dulcium cum amylo, ususque glaciatum cum sacchari, & cinnamomi modico maxime probantur: potus vtiles sunt aqua hordei, ptisana vulgaris, vinum mali punici, vinum etiam album, vel rubel- *Cibus, & potus.*

rubellum oligophorum aqua dilutum, in qua cinnamomum præbullierit. Ante cibum aquæ hordei parum, cum lacte amygdalarum dulcium, ac mellis Hispanici modico vtiliter bibendum datur, quo solidæ partes humectant, & aliqua simul leuis detersio habeatur, licet aqua per se ad solidas partes humectandum minime censeatur opportuna a Gal. 4. Aph. com. 13. Carnes crassiores, legumina, lacticinia, caseus, fructus crudi, Salsamenta, Aromata, Brassica, & quæcunque pituitosum humorem, & melancholicum gignunt, perniciosa iudicantur. Ex herbis, fæniculum, betonicam, oxalidem, mētam viridem, & cichoreum non inuitus concedo. Si, quæ multum, & optime nutriunt edulia composita degustare vellet, hæc non omittat, quæ sunt huiusmodi.

Recipe carnium capi elixatarum in aqua violacea vnc. 4.
Carnium testudinis in aqua hordei elixatarum vnc. 2.
Amygdalarum dulcium } an. vnc. 1.
Pinearum
Sem. quatuor frigidorum communium an. drach. 1.
Sacchari albiss. in aqua rosacea dissoluti q.s. & fiat cōfectio in morsellis, vel

Recipe carnium pulli gallinacei vnc. 4.
Pinearum vnc. 2.
Amygdalarum dulcium vnc. 1. sem.
Foliorum rosarum vnc. 1.
Santalorum omnium an. scrup. sem.
Specierum Diamargariton frig. scrup. 2.
Specierum Diarrhodon abbatis drach. sem.
Sacchari albiss. dissoluti in aqua
Boraginis q.s. & fiat conf. in morsellis.
Cuius vncia media in vltima mensa offeratur.

Huc spectant (vt dictum est) quæ refrigerant, & humectant; qualia sunt alimenta iam proposita, atque balnea, epithemata, resque nō naturales, si hecticam febrem respicimus magnopere vrgentē. Quod ad balnea attinet, proxime ægri lectum vas aqua moderate calida plenum disponatur, in quam aquam totum (capite excepto) se se immergat, ibique horæ primum tertia parte moram trahat; quo tempore aquæ eiusdem temperatus calor noua aquæ calentis additione in eadem temperie asseruetur; ad corporis meatus, & spiracula aperiendū. Mox altero vtēdum balneo è tepida aqua ad corpus humectandum; licet hoc vno etiam fortassis contentus esse possit. Mora sit pro ratione viriū: a balneo corpus inungi poterit oleo, vel violaceo, vel amygdalarum dulcium, non rancido, neque salso. Porro autem in balnei administratione, præcipua consideratio (præter necessitatem, quæ ex affectione pendet) est, ne quorumcunque prauorum succorum redundantia adsit, neque destillatio periculosa, ac præceps infestet; ea

pro-

propter non nisi purgato corpore ad balneum ducendus erit ægrotans; hac autem præhabita cautione merito sane est ad multa vtile balneū: nam humectat, coquit, & laxat, & inde medetur exsiccatis morbis, maturat, euacuationes manifestas promouet, & noxios etiam humores per halytum digerit, non minus quoque lac, quam balneum huic affectui curãdo expediens videtur; nam probe, satisque multum nutrit, humectat, aluum modice subducit, serique participatione extergit, ideoque obstructionibus medetur, vnde licet hypochondria non nihil obserata sint, modo non sublimia nec murmurantia deprehendantur, non reclamant quoties capitis affectus non vrgeat. De remediis, quæ manu administrantur, venam nunc secare timorosum admodum censetur, quoniam partes (vt dixi) substantificæ exsiccatæ cum sint, exsiccari amplius per sanguinis missionem minime desiderant, imo quod absumptum est, id reparari volunt. Non ibo tamen inficias, quod, si sanguinis tres, vel quatuor vnciæ è venis, quæ in sede sunt, admotis hyrudinibus detrahantur, non parum emolumenti sibi æger comparabit, tum ad alia multa, tum hypochondriorum, quas patitur, obstructiones tollendas. Sed illud quidem pene necessarium videtur, nempe, vt tum ad auertendam illam perpetuam capitis defluxionem, tum ad reuocandos ad inferna vapores sursum ascendentes, duo cauteria, vnum in sinistro brachio, alterum in dextro crure sub genu in parte interna excitentur, atque aperta diu seruentur. *Chirurgia*

Ad pharmaca nunc venio, inter quæ agaricum trociscatum, rhabarbarum, hyeram simplicem, mel rosatum laxatiuum maxime probo; quæ ex interuallis (pauca tamen copia) sunt repetenda, quoniam affectus diuturnus est, & solutu contumax. Cætera vero purgantia medicamenta valida hic valde suspecta iudicantur, quod impense excalfaciant, siccentque, medicamentum autem purgandis redundantibus succis in cachexia accommodatum, mihique valde familiare huiusmodi est. *Pharmacia.*

Medicamentū authoris ad redundantes succos in cachexia opportunum.

Recipe seri caprini	vnc.	v.
Succi Ireos depurati	vnc.	sem.
Mellis rosati	drach.	6.
Zingiberis	gr.	v.

Coquantur insimul, & colatum ieiuno ventriculo bibatur. Cassia etiam interdum cum hyeræ simp. Gal. speciebus vtiliter datur: licebit quoque toto morbi cursu clysteres iterare, ad cruda excrementa congesta euocanda, atque ad auertendam capitis fluxionem ad intestina. Parabuntur autem ex refrigerantibus, humectantibusque herbis, seminibus, floribus, atque etiam cassia ipsa cum saccharo, & oleo violaceo, ex decocto capitis arietini, vel aliarum carnium iusculo, vt siccitati febrem hecticam sequenti simul occurratur. Item ad vrinam ciendam.

Reci-

Recipe seri caprini depurati vnc. 6.
Spicæ nardi drach. 1.
Succi è granis vesicariæ expressi, & in vmbra exsiccati scrup. 2.
Bull. leniter ad consump. tertiæ partis, & colatum totum bibatur ieiuno ventriculo. Prægressa humorum præparatione congrua, & eorundem purgatione, ex conuenientibus commemoratis, tum simplicibus, tum compositis. Inter quæ, syrup. acetosus Diarrhodon, syrup. de Betonica, & syrup. de eupatorio pro humorum peccantium apparatu; Rhabarbarum autem, & Agaricum pro eisdem pluries expurgandis (vnicam enim tantum expurgationem minime suffecturam censemus.) Primas obtinent partes; Quemadmodum, & sambuci flores in vmbra exsiccati, & cum saccharo conditi contra omnia hepatis vitia, ac præcipue contra obstructiones efficacissimi sunt, in quem vsum etiam Dialacca, Diacurcuma, Trochisci Diarrhodon, de Rhabarbaro, & de Eupatorio atque consimilia ex interuallis vsurpanda erunt, nec postquam corpus exacte inanitum fuerit omittenda erunt errhina medicamenta capiti purgando accommodata visceraque roborantia. Quibus omnibus recte peractis, de his remediis cogitandum erit, quæ interna, & externa humores iampridem in toto redundantes consumant, simulque viscera attemperare, & corroborare valeant. De internis maxime profuturum sperarem, ius pulli columbi domestici, agrimonia, betonica, boragine, cichoreaceis, viridi menta, penthaphili foliis, seminibus coriandri, & melonis, necnon passulis cum modico cinnamomi medicatum: cuius singulo mane diebus quindecim, vel viginti vncias sex, plus, minusuè horis quinque ante prandium, vt sumat, etiam atque etiam hortor. Interim etiam magnopere iuuabit, si alternis diebus summo mane antequam ius commemoratum potet, bolum ex semidrachma Mythridati, & semiuncia conseruæ violarum deuoret. Vt verò stomachus moderate calefiat, neque exsiccetur, nullum ex internis valentius præsidium hoc vsurpari potest, quod

Attemperantia, & roborãtia interna.

Præsidiũ ad stomachũ moderate calefaciendũ, & non exsicãdum.

Recipit Terebinthynæ claræ drach. 2.
Masticheѕ puluerizati drach. s.
Specierum Aromatici rosati scrup. s.

Misceantur omnia, & fiat bolus horis duabus ante cibum dandus. Venio ad ea auxilia, quæ extrinsecus admouentur. Atque (quod ad caput attinet) ceratum, vel montagnanæ, vel huic consimile coronali commissuræ derasis capillis admotum, diuque gestatum, mirum in modum profuturum non dubitamus. Quo tempore suffumigiis etiam huic operi accommodatis ad caput moderate exsiccandum vtendum erit, nempe ex styrace, ladano, thure, & consimilibus. Pro ventriculo roborando.

Topica. Præsidia extrinsecus admouenda.

Recipe Mastiches vnc. sem.

Cariophyllorum
Cinnamomi
Nucis moschati } an. drach. 1.
Zedoariæ
Specierum diamusci dulcis drach. s.
Olei Masticini q. s. ad densandas pulueres, ceræ, & Therebintinæ q. s. f. ceratum quod extendatur super corium ad formam scuti, & ventriculi regioni admoueatur diuque gestetur pro Iocinore, cuius opus omnibus particulis pernecessarium est.

Recipe ol. absinthini
Ol. Mastichini } an. vn. s.
Trociscorum de Gallia drach. s.
Spice nardi gr. v.
Ceræ q. s. & f. linimentum.

Emplastrum etiam Diaphoenicum huc spectat. Cæterùm, ne febris hectica incipiens progrediatur tota dorsi spina manè, & vesperi ante cibum hoc cerato illinenda erit, quod.

Recipit Muccag. sem. psillii
Muccag. semi citoniorum } an. vnc. ii.
Ol. violati loti
Buthiri recen. loti } an. vnc. s.
Ceræ albæ q. s. f. linimentum

Quod, vel lactis muliebris, vel sanguinis testudinis nemoralis modico excipiatur. Et si proposita à me remedia, tum assumenda, tùm admouenda, aliqua refrigerandi, humectandique facultate sint, prædita hecticam incipientem respicientia, quæ fortassi cachexiæ ratione suspecta alicui videri possint; attamen cum moderate calfacientibus, siccantibusque permixta ita castigantur, vt minimè eorum refrigerantem humectantemque vim; formidare oporteat. Hęc autem pro Reuerendi Viri valetudine recuperanda, proponenda mihi videbantur; faxit Deus, vt prospera, & salutaria illi contingant.

De febre putrida diuturna, & contumaci, capitis destillatione, & Ventriculi imbecillitate, pro Perillust. D. Isabella de Mignanellis nobili Romana,
Consultatio XXII.

VT omnia ad hodiernam consultationem habendam attinentia, diligenti examine expendatur; quæ breuiter dicturus sum, ad tria redigam capita: Nimirum ad præterita; præsentia: & futura. Perillust. ergo, & nobilissima mulier annos nata triginta circiter, Calido, humidoque temperamento prædita (sanguineum appellant) cum pituitosi humoris subdominio; tribus ab hinc mēsibus, plus mi- *Historia præterita.*

nusuè, Masculum peperit, & satis feliciter, sed toto puerperii tempore, partus purgamenta ex toto fere huic defecerunt. Quin etiam menses cõsueti toto hoc trimestri semel tantum, hique pauca admodum copia prodierũt. Id autem ob pituitosorum humorum in sanguine, in capite, & in ventriculo redundantium copiam: Vnde facta venarũ, tum aliarum, tum earum, quæ vtero committuntur, obstructione, nõ solum puerperii purgamenta, & menses defecerunt, verum etiam impedito cõsueto caloris perspiratu, indeque putredine accersita, febris putrida è genere tertianarum spuriarum, excitata fuit, iam quadragesima agitur dies. Pro cuius quidem curatione, Victu præscripto refrigeranti quidem, & humectanti febris ratione; cæterum minus quam in pura tertiana conueniat, ob pituitæ in hac admixtionem: tenui pariter, verum non nihil pleniore, quam in illa, ob morbi diuturnitatem. Secta etiam cubiti dextri uena, ad detrahendum superantem humorem, tum biliosum, tum etiam pituitosum sanguine permixtum. Detractis quoque superantibus humoribus, prægressa eorundem præparatione idonea per serapia, & cathartica vtrique operi accommodata iuxta Gal. placita primo de Arte cur. ad Glauc. cap. 8. Dein frictionibus; quin etiam partium infernarum sæpius administratis; Atque secta malleoli vena interna ad proliciendos menses; febris satis manifeste visa est remitti, resolutis, euacuatisque morbosorum humorum parte tenuiori. Nunc autem iterum excitatur, augescitque. Sed quotidianæ intermittentis ideam seruare videtur; Etenim, & calore continetur minus acri, magis autem fumoso, qui diutius tangenti acrior apparet. Et motus febris tardus est, atque inæqualis, ita vt modo excitari, modo delitescere videatur, qualis in lignis accensis viridibus obseruatur, propterea accessiones vsque adeo protrahuntur, vt ad veram, legitimamque integritatem nusquam perueniat, cuius causam interiorem pituitosum esse humorem liquido constat, ex his præsertim quæ obsunt, vel prosunt; ex effectis, ex qualitatibus corporis, vt color pallidus, siue plumbeus, nec non ex excretis. Cuius quidem humoris putrescentis focum, & mineram, hypocondriorum regionem esse, quæ Ventriculum, Iecur, & lienem complectitur tam notum est, quam quod notissimum. Ex ipso namque contactu iam sensu deprehenditur. Sed à capite etiam frigidiori, humidioreque, necnon a ventriculo refrigerato, putrescentium humorum mineram suggeri ex eo facile intelligi potest, quòd, & continua à capite destillatio pituitosa, & cibi fastidium cum ventriculi dolore ex interuallis admodum molesto nobilissimam mulierem fatigant. Quod quidem minime est a ratione alienum; cum in diuturnis omnibus morbis, ventriculus, & caput magnopere labefactari soleant. Indeque excrementorum insignis prouentus, vnde, & obstructiones augentur, & superantibus humoribus putrescentibus materia suppeditatur. Atque hæc febris natura est. Quæ vtique magna dici potest, si non

Causa. *Peracta.* *Præsẽtia.*

si non propria essentia, symptomatum saltem, quæ sibi iungit magnitudine, nempe Inappetentia, propensio illa ad somnum, pigritia ad motum; Ventris dolores insignes, perennis, ac præceps capitis destillatio, & interdum Cardialgia. De more autem, quem etiam in febribus attendendum esse monebat Gal. 3. de crisibus, nullam malignitatis notam in hac deprehendere mihi hactenus licuit. Quòd ad motum attinet, iam satis constat, febres omnes a putrescente pituita exortas, tardi esse motus, tum in singulis accessionibus, tum etiam in toto morbi tempore. Cæterum nunc febrem ad vigorem ascendere, & symptomata nunc vehementiora, & coctionis signa in lotio apparentia, cumulatissime indicant. De futuro verò euentu, si virium naturalium, & vitalium robur spectemus, quod ex coctionis signis, atque ex firmis pulsibus facile intelligimus, de futura salute potius sperandum, quam timendum: Verum cum multa lætalia errata contingere possint, cumque ad integritatem legitimam (vt antea dictum fuit) non perueniat, posset etiam perniciosa euadere. Tempus futuri euentus necessariò longum iudicatur, quandoquidem humores peccantes multi, frigidi, glutinosi, & crassi multum temporis requirunt, vt, & coquantur, & cocti expellantur; ita vt huius sortis febris breuissima censeatur, quæ sexagesimum non pertransit diem, Intra quem terminum (si nullum graue erratum committatur) coniectandum fore, vt febris hæc, partim coctione morbificæ causæ, partim etiam expulsione, vel arte, vel natura peragenda soluatur. In Curatione, cum Aegritudo hæc sit longa; Victus ratione vtendum, paulo pleniori, quam a febris natura requiratur, vt vires sufficere possint, attenuanti tamen ac excalfacienti aliquantulum, indicatione a causa interiori petita, a qua opus, quod requiritur, longe maioris momenti est, quam quod a febri indicatur, quippe quæ calore minus acri contineatur, licet fumoso magis; hic enim frigidorum humorum mole infrænatur. Victus igitur omnis attenuans sit oportet, neque a carnibus abstinendum erit, cum multæ habeantur carnes ad id satis accommodatæ, vt apud Gal. lib. de attenuanti victu explicatum habemus. Quòd ad vini potum attinet; licet ad vires collapsas reparandas vinum a clarissimo Medico fuerit concessum; paulisper tamen a vino abstinere, donec peracta sit purgatio, tutius erit. Quippe quod, in syncope etiam a frigidis, & crudis excrementis exorta, vbi febris iugiter ægrum sollicitet, a vino abstinendum aperte moneat Gal. cuius loco Mulsa potius vtendum, Ptissana hordeacea pipere aut cinnamomo condita fœliciter hoc in casu vsurpatur. Vt verò aliqua ad motum, & inanitionem attinentia in medium afferam; cum in proposito subiecto insignis prauorum succorum copia in dies coaceruetur, vt frictionibus ieiuno ventriculo de more administrandis per halytum digerenda, & clyystere singulis diebus inijciendo per intesti-

Futura.

Tẽpus futuri euentus cur lõgum iudicandum.

Morbus quo terminari debeat.

Curatio victus ratio.

Vini potus cur minime sit tutus.

Motus, & inanitio.

na quoque in dies educi commodè poterit. Quare vtrumque præsidium magnopere probo. De somno & animi passionibus Vidus Vidius, vir alioquin eruditissimus lib. de feb. 5. capite 6. pag. 106. in præscribenda victus ratione febri à pituita putrescente curandæ accommodata, Vigilias potius, quam somnum, & animi perturbationem magis, quàm tranquillitatem probare videtur. Quæ quidem in opere extenuandi corpora sana, siue neutra, præcautionis gratia ab omni morbo pituitoso & Ego quoque non inuitus admitto; Cæterùm in iamdiu febricitante homine, vbi, & virium robore, & coctione est opus, cautè admodum agendum; quòd coctiones, somno, quiete, & fotu peragantur, animique perturbationes spirituum resolutione vires deijciant. Huc etiam spectat aeris tenuis vsus; vnde cæli mutatio (si per ægrotantis vires liceat) maximum hac in re habet compendium. Hunc in modum instituto congruo victu, vires, morbum, & morbi causam respiciente: studendum est, vt iterum tanta crassorum humorum copia detrahatur, quod facilius succedet; si ij attenuentur prius, incidanturque. Interim febrili calori alterando, vasis obstructis reserandis simulque putredini elidendæ diligenter incumbendum. Porrò autem quoniam ventriculus, & caput excrementorũ prouentum non solum fouent, sed insigniter augent; roborando ventriculo, atque capiti moderatè exsiccando magnopere studẽdum. Remedium Chirurgicum, quod proponam in præsenti nullum ferè habeo. Siquidem sanguinis detractione nunc nulla ratione opus esse, mihi satis ex eo persuasum habeo, quòd in tanta succorum crudorum copia sanguinem mittere valde suspectum sit, vt præcipit Gal. non semel tantum: Huic etiam illud vnũ accedit, quod licet in omni febre putrida secandam esse venam docuerit Gal. 11. meth. cap. 15. in hac tamen sanguinis detractione, quę a causa indicatur, quippe quod frigidus sit humor, neque à viribus permittitur, quę in diuturno morbo sensim labuntur, quod placuit etiam Gal. primo de arte curatiua ad Glauconem cap. 12. de consimili febre differenti. Ob id tamen Excellentissimus Medicus, qui huic curationi præest, a scopo non aberrauit, quando iam pridem sanguinem Perillustri, & nobilissimę matronæ mittendum mandauit, secta prius cubiti dextri vena interiore, mox vena tali, ac tandem ea, quæ inter digitum minimum, & anularem est posita (Saluatellam appellant) quoniam inter febris huius initia, Sanguinis etiam vnà cum pituitosis humoribus superantis indicia extabant; Vires erant validiores; Et morbum ex retentis mensibus originem duxisse perspicuum erat. De cæteris auxilijs medicamenta incidentia, & extenuantia sunt iterum, atque iterum repetenda, vt syrup. bisantinus, de duabus & de quinque radicibus, syrup. de stæchade, de prassio, oxymel simplex, scylliticum, & etiam arte nostra paratum in hunc modum.

Somnus, & vigilia.

Recipe Decoctionis Cinnamomi; sassafras, ligni aloes, corticum citri,

tri,

tri, Menthæ viridis vnc.iij.mellis optime dispumati, & aceti q.s.f.oxymel. sec.artem longum Quibus addantur, vel aquæ stillaticiæ huc spectantes, vel decoctum Hysopi, Origani, thymi, calamenti, pulegii, & consimiliũ: numquam dimittendo ceterach, seu scolopendrium. In purgandis mox superantibus humoribus, tria attendenda diligenter sunt, nempe vt valida cathartica, veluti stomacho nocentissima prorsus arceantur, atque ea dumtaxat eligãtur, quæ & clementer subducant, & ventriculum, caputque respiciant; Et cum humor adeo peruicax sit, vt vnica tantum purgatione superari non possit, præstat nõ totum simul purgare, sed paulatim, & vicissim, nunc extenuantibus, & incidentibus propositis vti, nunc catharcticis, qualia erũt. Hyera, Agaricum. Rhabarbarum. Diaphenicon cũ melle rosaceo soluẽte, pillulæ de tribus cum rhabarbaro, & Myrobalani, tum citrinę, tum nigræ, & Chebulæ. Vomitũ cientia medicamẽta proposita mirum in modum probo, quoties pituita os ventriculi tentet, & ægra facilis sit ad vomendum; alias enim vomitus, & capiti, & ventriculo maxime est infensus, & molestus valde. Quinetiam peccantes humores per vrinam, & sudorem satis commode detrahere possumus: hac tamen lege, vt non prius vrina, & sudores euocentur, quam aliqua saltem ex parte multitudo dempta, & crassitudo extenuata fuerint, vt clare præcipit Gal.11. Metho.cap.10.ex Hippocratis sententia aph.primo. 22.licet audiam quosdam in proposita sententia aliud de concoctione sentire, eamque benignis tantum humoribus tribuere. Sed ridenda potius est horum superstitio, quam redarguenda. Ad mouendam vrinam vtendum erit Radicibus asparagi, fœniculo, Adianto, appio, asaro, Silero montano, camædrio, & consimilibus, pro excitando sudore illis, quæ relaxandi vi sunt prædita, siue sumantur, siue extrinsecus admoueantur, Vt aqua hordei, in qua radix dulcis præbullierit, aut chamæmelum, ordine vinum quoque tenue censetur. Aquæ dulcis balneum, quo tamen vtendum non est nisi corpore probe inanito, capitisque fluxione sedata, febre remissa, atque viribus non reclamantibus. Interim, & fotibus de more, & emplastris ad hypochondria vtendum etiam atque etiam hortor. Quibus omnibus ex arte administratis malo non cedente ad generosum aliquod auxilium confugiendum esse censeo, quod attenuandi, atque humiditates in vniuerso corpore redundantes absumendi facultate insigni præditum sit, cuiusmodi esset, Ligni sancti decoctum satis dilutum, cum aliis attenuantibus, & incidentibus, ac præsertim cum modico ligni sassafras paratum: Etenim præterquam quod Guaiacum facultate pollet exsiccandi, attenuandi, & incidendi, resinosa sua substantia putredini mirifice aduersatur. Neque verò formidare oportet ipsius caliditatem, nam hic potior indicatio a causa morbifica est petenda: Præterea aquæ copia in qua excoquitur, & herbis in fine ebullitionis refrigerantibus superadditis, eius caliditas re-

In ciendo sudore, & vrinã peccantib. humorib. qd aduertendum.

Vrinã, & sudorẽ ciẽtia, quę adhibenda.

tunditur. Imò verò, origanum pulegium, tymum, & alia huiusce generis simplicia a Gal. in consimili febris curatione proposita, & ab alijs in hanc vsque diem recepta, longe calidiora sunt, Ligni sancti decocto, hunc in modum parato.

Recipe Ligni Guaiaci torniti drach. 2.
Ligni Visci quercini drach. 1.
Ligni Sassafras scrup. 1.

Infundantur omnia horis duodecim in iuris pulli gallinacei lib. 1. dein bull. ad consump. tertiæ partis, in fine adde abulliendum Cichorei, Betonicæ, Mentæ viridis singulorum folia duo; percolati vnciæ septem dentur horis quinque ante prandium diebus continuis aliquot. Quod ad symptomata attinet, ventriculo prouidendum erit externo aliquo medicamento adstringente, os eius potissimum in accessionis vigore confirmante, vt Oleo mastichino, in quo absynthiū, mentha, & rosæ rubræ maduerint. Ceratum etiam mastichinum ventriculi regioni admotum, diuque gestatum, id quod optamus valenter præstant. Ex ijs autem, quæ sumuntur, duo, vel tria mastiches grana mediocriter contusa, & ex ouo sorbili, vel ex vino, aut ex iure data, tribus saltem horis ante cibum mirificè conferunt in firmando ventriculo. Sed longè præstantiores sunt rotulæ quædam ex inuentione nostra, quæ, & ventriculum roborandi, & hepatis, hypochondriorumque obstructa vasa reserandi, atque nutritionis viscera omnia roborandi insigni facultate pollent. Sunt autem huiusmodi:

Recipe Specierum Aromatici rosati
Specierum Diarrhodon
Specierum Trociscorum de Rhabarbaro } an. scr. 1.

Limaturæ chalybis præparati, & in tenuissimum puluerem redacti scrup. 2. Sacchari albi s. in aqua scolopendriæ dissoluti vnc. 3. Et fiat confectio in tabellis, quarum drachma vna detur immediatè ante decoctum potandum præscriptum. Capiti autem prospiciendum erit vtroque præsidiorum genere, nempè eorum, quæ sumuntur, vt Mitridatica confessione conserua Betonicæ, anthos, & Saluiæ; necnon ijs auxilijs, quæ extrinsecus adhibentur, vt cerato ex rebus cephalicis capitis anteriori parti admoto, capillis prius derasis, vel etiam inustioni, si necessitas vrgeret, corpore prius exactè purgato, atque errhino etiam capite priuatim exinanito: Quo in opere de cauterio ceruici admouendo nihil habeo quod dicam, quoniam curationi nunc potius, quam præcautioni incumbimus. Atque hæc in magna temporis angustia pro nobilissimæ Mulieris sanitate proponenda duxi, quam D. M. ipsi concedat iterum atque iterum precor.

De

De Capitis destillatione ab ineunte ætate, atque Angina ex interuallis repotente, pro Illustrissimo D. Io. Baptista de Mattheis,
Consultatio XXIII.

ILL'ustrissimus Annum agens vigesimum octauum circiter: Temperamenti (si vniuersum corporis habitum spectemus) calidi satis, sicci aliquantulum a primo naturę ortu (vt Illustrissima eius mater nunc nobis retulit) continua diu, noctuque a capite in os, fluxione sollicitatur. Capitis grauedinem affectum hunc appellare possumus cum Hippocrate sexto de Morbis Vulgaribus; quòd non à causa externa tantùm excitetur, sed ob naturalem capitis infirmitatem potius procreetur. Vnde quarta illa anginę species, vbi gutturis externę, tùm internæ partes similiter afficiuntur, bis terque in anno excitatur. Morbi genus profectò satis pestiferum, a quo omni studio liberari magnopere exoptat. Quod quidem in inueterata, & a natura contracta destillatione consequi haudquaquam facile esse vnusquisque intelligere potest. Non diffido tamen, si solertia, & cura, tùm in recta victus ratione, quam nunquam exactè retinuit, tùm in accommodatis generosis auxilijs administrandis adhibebitur, fore, vt omne futurę anginę periculum arceatur, & catarrhus etiam ita infrenetur, vt vita Illustrissimo Viro salubriter prorogari possit. Aetatis enim, & victus mutatione grauissimos superari affectus, & ratio, & quotidiana rerum euidentia planè ostendit. At quoniam totius pręcautionis ratio in causarum sublatione est posita, vt Anginæ futurę obuiam eamus, operepretium est prohibere, ne tot excrementa in cerebro accumulentur, & si quę aggregabuntur, studendum est, vt à gutture: & a faucibus aliò deflectantur. Primum assequemur scopum duplici opere; victus ratione tenui mediocriter, atque nonnihil exsiccante, media tamen inter extenuantem, & incrassantem; materia enim destillans licet subfrigida sit, magna tamen ex parte tenuis, & aquosa. *Historia.* *Affectus preter naturam.* *Prognost.* *Scopi curatiui.*

Multa autem ad victus rationem attinentia consultò pręteremittam, quòd certò sciam hac in re, & in omnibus alijs peritissimum futurum Medicum omnia ex arte pręscripturum. Duo tamen, quę alicuius momenti nobis videntur minimè silenda duximus. Vnum circa aerem, alterum circa potum. Aerem enim maximã vim habere ad morbos longos minuendos, augendosuè, tàm notum est, quam quòd notissimum. Cœlum quod morbum fecit, mutandum monet Hippocrates. Quod quidem Hippocratis pręceptum maximè hic locum habet, cum Cœlum Romanum homines destillationibus valde obnoxios reddere, ratio, Galenus, & quotidiana experientia clarè ostendant. Vina quoque vinosa, & copiosa destillatione laboranti nocentissima esse, nemo est qui nesciat; Quo circa, vt Vi- *Victus rõ.* *Aer.* *Cibus, & potus.*

no exiguo parcè vtatur, etiam atque etiam hortamur, quòd si Ligni visci quercini decocto Vinum attemperetur, non ignobile emolumentum ad fluxionem arcendam allaturum non diffidimus. Pro cerebro exsiccando, roborandoque, vnde totius mali pendet origo; Anginæ namque ex cerebri humiditate nascuntur; sexto Aph. comm. secundo. Inunctiones, pulueres Cæphalicos, cerata exsiccantia, lotiones, vel etiam (si necessitas vrgeret) rubificantia a Clarissimis Viris proposita libenter amplector; quemadmodum, & pastillus etiam ex ladano, vel ex melanthio fricto olfactu, vel quisquis sit eiusmodi suffitus multum confert, vt fumus ex Styrace, & Sandaracha: Theriaces quoque recentis drachma vna cum Conseruæ Rosarum vncia media hora somni deuorata in hoc opere efficax est auxilium, præsertim, si fluxio præceps vrgeat; aliàs enim Theriaca, & Mythridatica confectio mediocris ætatis est potius eligenda. Ad id quoque valēt Diambra, Diamoschus dulcis, Conseruæ Anthos, Betonicæ, Saluiæ, & consimiles. Duo a me obseruantur ad hoc institutum præclara auxilia, quæ nunc minimè silenda duxi. Alterum sumendum. Alterum verò forinsecus ad applicandum; sunt autem eiusmodi.

Topica.

Recipe Theriaces mediæ ætatis drach. 1.
Spicæ nardi puluerizati q. s.
Fiant Pilulę num. 5.

Quarum vnam dormituro ægrotanti damus fœliciter. Alterum.

Recipe Ladani vnc. s.
Styracis chalamitæ drach. 2.
Sandaracæ drach. 1.
Ambari scrup. 1.
Conus cupresi
Mastiches
Corrallorum amborum an. scr. 2.
Spodij
Resinæ drach. 6.

Soluatur Ladanum cum Resina in Vino veteri, & coquantur omnia ad viscositatem, fiat ceratum coronali ad applicandum, pro secundo scopo explendo. Auertunt frictiones, ligaturæ, & Sicyæ, Errhina, & Cauteria proposita; vnum præsertim, in brachio ad materiam a capite deriuandam, & a faucibus auertendam. De generoso autem præsidio aliquo excrementa in vniuerso corpore, ac præsertim in capite absumente, vt ligni, vel salsæ, aut chinę, siue Sassafras decoctum, nihil proponendum habeo, quòd iam iam intellexerim hoc ipsum omni studio, & diligentia ab Excellentissimis Viris iàm antea fuisse vsurpatum: Purgationibus idoneis ex Arte prægressis.

Quæ omnia remedia, tùm, quæ sumuntur, tùm etiam, quæ extrinsecus applicantur, nequaquam vsurpanda sunt, nisi corpore,

re, iterum atque iterum exactè præpurgato. Sed de medicamentis præparantibus, & purgantibus huic operi destinatis, ne verbum quidem, quòd omnibus, vel etiam in Arte mediocriter eruditis notissima sint. Ita ut totius hodiernæ consultationis institutum eo duntaxat spectare videatur, vt diligenter expendamus, num post longam vsque adeo medicationem per actam, præstet Illustrissimi Viri caput stillicidio alicui supponere ad exsiccandum cerebrum plus iusto humidius, vnde fluxo perennis, & a fluxione Angina statis quibusdam temporibus. Rursus, si stillicidium probabitur. Vtrum id ex aqua aliqua Thermali, vel ex decocto aliquo arte parato administrandum sit, accuratè indagandum. Sed hic paulo latius spatiandū est, & de cerebri Illustrissimi ægrotantis temperamento, & de aquę Thermarum cum aquis arte paratis collatione, cum in vtroque doctissimos viros inter se discordes esse intelligam. Igitur, qui cerebri huius humidum pronūciant esse temperamentum, simulque nonnihil etiam subfrigidum (quantum ego puto) a scopo minimè aberrant; Continua enim a capite in subiectas sedes fluxio, eaque pituitosi ferè semper humoris, id planè indicare videtur. Quo pariter argumento ij conuincuntur, qui cerebrum in hoc subiecto per consensum ab hepate calidiore coaffici asserunt: Quandoquidem quoties caput à calidiore Iecinore calidos vapores sursum exhalante, calidioremque sanguinem distribuente impletur, excrementa gignit calida, salsa vel amara perpetuo. Nec obstat, quòd interdum (raro admodum tamen) destillans humor in Illustrissimo Patiente salsus aliquantulum persentiatur; id enim ex mora, quam trahit putredinem quandam sortitur, & inde salsedinem aliquam. His etiam accedit, quòd cum a primis annis commemoratæ destillationi fuerit obnoxius; cerebrum primariò, ac (vt dicunt) per essentiam laborare necessum est affirmare. Sed soluenda sunt alterius sententię argumenta; primum. Capitis capilli crispi, & flaui cerebri calidam naturam commonstrant. Alterum promptitudo quædam ad omnia opera peragenda sensuum omnium, & mentis perspicacia, & alacritas, calidum capitis temperamentum designant, proinde nulla ratione stillicidium calefaciendi, siccandique facultate preditum huic capiti adhibendum videtur. Quibus hunc in modum satisfaciendum. Quatuor causę colorum in pillis assignantur. Prima sumitur ex materiæ varietate, quę quò magis adusta est, magis magisque nigricat. Secunda ex agente, ex calore nimirum eleuante. Tertia ex aeris nos ambientis temperie; vnde variant secundum climata, Aethiopibus nigri, Germanis flaui. Quarta ex partis, vnde exeunt varietate. Quapropter in homine pilorum colores nonnihil sequuntur cutis, eiusque alimenti varietatem: ob id quorundam pili etiam adolescentium albicant, propter pituitæ cutaneæ albedinem. Quo fit vt ex capillorum colore non nisi timide de cerebri temperamen-

Argumēta nonnulla calidū patientis cerebrū probantia.

Solutio argument.

Colorum ī pilis causæ quatuor

to pronunciare possimus. Idem quoque de crispitudine putandum, cum hæc non solum cerebri calorem, sed etiam cutis meatuum obliquitatem consequantur. Præterea, si demus capillorum colorem, figuramque cerebri temperamentum semper attestari: In proposito laborante caput potius temperatum, quàm ad aliquod extremorum inclinans statuẽdum, quippe quòd capillos habeat flauos, mediosq. inter crispos valde, & simplices: Vnde Gal. lib. Art. Med c. 13. bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam colligit. Quam pariter etiam agnoscit ex actionibus sensificis, & principalibus moderate perfecteq. se habentibus. Cur autem cerebrum, quod temperatum statuitur, tot aggeneret excrementa subfrigida, ac proinde iugiter perpetuam destillationem efficiat, causam reijcere possumus in quandam meatuum, per quos Cerebrum sua excrementa in nares expurgare solet, angustiam a natura, vel postea contractam; morbus nempe in via. Hinc fit, quod, cum huius visceris excrementa per destinatos canales liberè educi nequeant, multiplicata in cerebro, eius vitient temperamentum, atque per alias vias destillationes efficiant. Harum viarum angustiam, duo sunt, quæ apertè declarant. Primum quod Illust. Iuuenis in nares, perpetuò obloquitur. Alterum ore semper hyante dormire cogitur, etenim per angustos narium meatus, non tantum aeris trahitur, quantum opus ipsum postulat, vnde cogitur natura aere ore hyante attracto, vsui satisfacere. Quod quidem (licet maximi sit momenti) a nemine adhuc obseruatum fuisse animaduertimus. Sed adhuc superest difficultas, num cerebrum ex accidenti refrigeratum, humidumque redditum, tot excrementis scatẽs actiones omnes, tùm sensificas, tùm principes integras exercere possit, quales in hoc obseruantur, certè quando redundantia cerebri excrementa in eo non retinentur, nec moram trahant, actiones omnes absolutas edere potest; quoties a natura bonam sortiatur quatuor primarum qualitatum temperiem. Igitur cerebro hunc in modum se habenti, humidiori nempe satis & frigidiori nonnihil, siccantia medicamenta, temperateque calefacientia (quale est stillicidium hac facultate præditum) accommodatissima esse satis mihi persuasum habeo. Et hæc de primo proposito: de altero sic sentiendum puto: Decoctum ex herbis, & alijs simplicibus siccantibus paratum, parũ admodum valere in exiccando monebat Gal. Quod si Sal, Alumen, & Sulphur iugiter admiserit, valentius vtique operabitur; verum non æque atque Thermales aquæ eiusdem sortis. Quapropter vt futuræ anginæ periculo obuiam eamus, præcipuum sanè onus, quod nobis in proposita consultatione incumbit. Illust. laborantem etiam, atque etiam hortamur, vt Iulij Mense incipiente se se transferat ad Thermas S. Cassiani in agro Senensi, ibique S. Filippi ducia diebus saltem quindecim de more vtatur; nullum enim hoc præsidio efficacius ad cerebrum siccandum, firmandumque necnon ad antiquas Capitis fluxio-

Cur cerebrum patientis, dũ tẽperatũ statuitur tot aggeneret excrementa.

Quę cerebri meatuum angustiã indicent.

Difficultas.

Solut. difficultatis.

fluxiones finiendas. De cerebro membro mandante, fluxionis, & anginæ ex interuallis recurrentis origine, attemperando, satis superque dictum est: nunc verò de faucibus, Gutture, & circumstantibus partibus suscipientibus, firmandis agendum. Porrò autem hæ fluxionem facile suscipiunt, indeque prompte inflammantur; tum ob earum imbecillitatem, partis humiditatem, laxitatem, & raritatem cõsequentem; tum ratione situs; immediate enim capiti mandanti subiacent. Ergo ad præcautionem, frigidis, & adstringentibus vtendum, vt aceto cum rosacea, syrupo punicorum, diamoron simplici cum aqua plantaginis pro Gargarismate. Vel.

Recipe Aquæ hordei vnc. iiij.

Succi putaminum nucum viridium vnc. I.

f. Gargarismus, hic enim catharri impetum mirificè suspendit. Huc etiam spectat atramentum cassiæ nigræ cum aqua plantaginis gargarizatum: in quem etiam vsum Celsus lib. 4. c. 2. frequentem aqua gelida oris ablutionem mirum in modum extollit. Verumenimuerò fauces, guttur, circumsecteque partes, tum ob situm, tum ob substantiæ laxitatem, raritatemque humores a capite præcipitantes non solum recipiunt; sed etiam per motum sæpe immoderatum excalfactæ attrahunt: quam ob causam postea inflammatur. Motum autẽ hunc vehementem efficiunt Tussis illa assidua, excreatioque fortis, vomitus laboriosus interdum, & vehemens exclamatio, quoniam Illust. patiens alta semper voce inter loquendum exclamare videtur. Quapropter omni studio conetur hasce tres anginæ commemoratas causas pro viribus declinare; & statim ab huiuscemodi motibus gelida os sæpius abluere non obliuiscatur.

Instanti verò angina, statim a larynge materiæ impetus auerti debet ac repelli. Auersio fit secta vena humeraria, per sicyas scapulis affixas, validis frictionibus. Artuum ligaturis dolorificis, super talos & genua, super brachia versus cubitos, & super cubitos versus humeros. Clysteres sunt iniiciendi. De catharticis cacochymiæ accommodatis non idem sentiunt Auicenna, & Almansor. Hic enim statim inter initia materiam pilulis cochijs, & acriore clysteri deturbat, & (quantum ego puto) rectè quidem quando morbus ab humore pituitoso originem ducit. Ille verò prima tertij valentioribus purgantibus medicamentis humores agitare prudenter non audet, vbi calidiores præcipitesque magis sint, quæ quidem cautio maximum habet in hoc opere compendium. Sanguis parcè, & pluribus interpositis vicibus detrahi debet, tùm ob animi deliquij, & suffocationis mætum, tùm etiam ad maiorem reuulsionem. In qua venæ sectione illud maximè attendendum, vt lata, & non angusta incisio fiat, ne sanguinis crassiore parte permanente, tenuior dumtaxat tanquã percolatus exeat. Repellentia foris nequaquam adhibeantur, quia superantem materiam intro ad partem inflammatam protruderẽt: Gargaris-

garisinatis frigidis,& astringentibus vtendum, superius a nobis præscriptis. De morbo iam firmato curando, in præsentiarũ non est consilium verba facere, tum quoniam hic sermo tantum est de præcautione, tum quia auxilia huic affectui curando opportuna, nemo in Arte versatus est, qui ignoret. Nimirum quòd cum Angina morbus sit acutissimus, compendiarium,& præsentaneum auxilium semper requirit. Quamprimum igitur a larynge(vt dictum est) fluxio auerti, repellique debet. Mox vbi consistit, materia deriuãda,& dissipãda: Quæ si resolutioni sit contumax abscessus rumpendus, vlcus tergẽdum,& postremo conglutinandum. Quæ omnia vt salutaria Illustr. Iuueni euadant, obnixe D. præcor.

De renum calculis excludendis, pro Perillustri, ac Reuer. D. Bernardino Morra. Consultatio XXIV.

Calculi renũ prophylacticę. DE renum calculorum præcautione causas morbificas declinante, quales sunt materia crassa,& lenta ex cibis genita, & calida renum intemperies, satis superque dictum a nobis fuit in altera consultatione. Nunc autem propositum est ea dumtaxat præsidia per compendium enumerare, quæ nephritico affectui ex renum calculis vrgenti, quam primum occurrere valeant. Iis consulto prætermissis, quæ ad affectus naturam, causas, sedem affectam, atque ad signa, tum diagnostica, tum prognostica pertinent, vt, quæ omnibus satis comperta sint.

Dogmata noua reprobantur. Celsus, Plinius, & Galenus quoque Asclepiadem illum sæpius dãnarunt, qui vt popularem auram aucuparetur, noua dogmata, nouosque medendi modos non sine mortalium damno in vsum trahebat. Ea propter, quæ nunc audio noua proponi ex Antimonio ad renum calculos excludendos medicamenta, neutiquã probare possum; quippe qui, licet non iurauerim in verba Magistri; ab Hipp. tamen & Galeni præceptis rationi,& quotidianæ experientiæ consentientibus deflectere, nec possum, nec debeo.

Meth. Medendi. Curã a vẽtris euacuatione exordiendum. Si igitur remediis adhibitis in altera consultatione ad præcautionem cõmemoratis, dolores illi ex renum calculo rursus (quod Deus auertat) redirent, primum vomitu, mox Clysteribus aluum supra, infraque euacuare expediret, tum ad leniendum dolorem; qui repletis visceribus exacerbatur, tum etiam ad euocandas cruditates in prima regione conceptas, ne sanguine detracto venas maiores subeant. In quem etiam finem blando carthartico purgandum; Vt Recipe Cassiæ nigræ cum oleo amygdalino dulci recenti traiectæ Vnc. vnam. Diaphœnici Drach. duas. Rhab. electi pulu. Drach. vnam. Cum puluere glycyrrhize, & tragacanthi fiat bol. horis tribus ante cibum deuorandus. *Obseruanda.* Duo hic occurrunt minime silenda, Alterum, Enemata minori mensura administranda esse hoc in casu, quam in aliis affecti-

bus

bus curandis: quoniam oppletis, grauatisque intestinis, vnà quoque renes opprimuntur. Alterum (quod pauci animaduertunt) Cassiæ, terebinthinæ, atque aliorum huiusce generis diureticorum vsum suspectum esse ante ventris primæque regionis euacuationem, quippe quæ cruditates ab hac regione in renes secum educere valeant. Corpore primùm expurgato, toti prospiciendum pariter corpori, misso sanguine ex vena primùm axillari interna cubiti e directo renis calculo laborantis, si tunc plenitudo adfuerit, aut fluxionis impetus inflammationis propinquæ periculum minetur: at verò commemoratis conditionibus minimè vrgentibus, poplitis, aut malleoli venam secare oportebit, tùm auersionis, tùm etiam deriuationis gratia. Addo etiam quod sanguine è crure detracto, rectitudineque seruata, vasa ad affectum renem pertinentia ita euacuari inaniri que possunt, vt dolores, qui partium distentionem sequabantur, vel ex toto deleantur, vel saltem longè mitiores euadant. Toto autem corpore expurgato, sanguineque detracto, medicamenta tùm interna, tùm externa adhibenda sunt, quæ meatus laxare, ac renum corpora mollire valent; Inter quæ. Recipe olei amygdalarum dulcium recentis, Olei amygdalarum amararum recentis, singulorum Vncias quatuor, vel quinque. Misceantur, & per os ieiuno ventriculo exhibeantur. Vel

Diureticorum vsus.

Venæ sectio.

Laxantia medicamenta.

Recipe { Milij solis, saxifragię, Capil. Veneris an. M. 1.
Cicerum rubrorum contusorum Pug. vnum
Radicum etithrodani, Petrosellini an. Vnc. vnam }

Quæsumãtur.

Fiat decoctio s. A. deinde. Recipe dictæ decoctionis Vnc. viij. in qua dissolue vnciam mediam Terebinthinæ claræ, & horis quatuor ante cibum propinetur. Quo etiam tempore partes dolentes vsque ad pectinem oleo scorpionum, & amygdalarum dulcium inungantur. Interimque fomentis spongijs exceptis supra affectum renem sæpius in die vtendum erit; nimirum ex decocto foliorum maluarum, foliorum & radicum Althææ, florum chamæmeli, fænu gręci, seminum lini, & radicis graminis in hydrelæo; ex eodem etiam decocto insessus, seu balneum vtiliter parari poterunt, vt quæ non solùm dolorem mitigent, sed etiam affectum curare possint. Dolore adhuc persistente, renum lumborumque regio inungatur infrascripto Vnguento.

Inunctiones.

Fotus.

Recipe { Olei Chamæmelini,
Olei Anethini
Olei Amygdalarum dulcium
Olei scorpionum an. Vnc. mediam
Adipis Anseris } an. drach. 1.
Butyri recentis }

Cære quod satis sit, fiat vnguentum.

In hunc etiam vsum cataplasma Efficacissimum renibus applicandum

dum paratur ex succis petroselini, apii, fæniculi cum mica panis passo decocta.

Dolore vrgête quid agendum. Quòd si dolor vehementer vrgeat, ad narcotica confugiēdum, inter quæ Phylonium Romanum primū obtinet locum. Ad hæc Clyster quoque vtiliter inijcitur, tum ad vasa mollienda, tum etiam ad dolores demulcendos. Est autem huiusmodi.

Clyster efficacissimus.

Recipe { Decoctionis radicum, & foliorum maluarum Althææ, Parietariæ, Florum chamæmeli Anethi, Appij, Petroselini, senecionis Vnc. nouem Olei Rutacei, Olei scorpionum an. Vnc tres Butyri Vnc. duas, Philonii Romani Drach. vnam Terebinthinę eodem decocto calente dissolutę Vnc. vnam Cum vitello oui sine sale fiat Clyster.

Ad lapidem in vesicam deducēdum. Post hæc, vt calculus a rene per vreteres in vesicam detrahatur, tota hæc regio calentibus manibus, oleoque scorpionum inunctis pluries assidue perfricetur; mox sycia sine incisione affigantur sursum a rene affecto incipiendo, & deorsum ad inguina oblique descendendo: Quo etiam tempore non quiescere, sed exerceri ex Hipp. sententia cōuenit, propterea motus, vel equo, vel curru, vel quouis alio modo concitatior ex vsu erit.

Cucurbitulæ affigendæ.

In motu, & cucurbitularū vsu obseruanda. Verum enimuerò, si dolor vehemens vrgeat, neque exerceri conueniens est, neque cucurbitulæ affigendæ sunt: ab vtroque enim opere inflammationis periculum tunc immineret. Postremo verò danda sunt, quæ calculum conterant, simulque lotium mouere possint. Quorum quidem ampla est sylua apud probatissimos medicinæ Authores. Præcipua autem sunt.

Calculum cōminuentia.

Recipe { Seminum Bardanæ Vnc. vnam Fructuum Alchechengi num. quinque Radicum fœniculi, Saxifragiæ an. Drach 1.

Bulliant in vini albi Vnc. octo ad consumptionem quartæ partis; deinde colato adde sacchari Drach. duas, Croci Gr. v. fiat potio summo mane exhibenda. Simulque illinantur renes sequenti oleo.

Recipe { Parietariæ Man. ij. Cepas albas decorticatas num. v.

Contundantur, & simul bulliant in oleo chamæmeli, dein colatum oleum vsui seruetur. Quibus administratis remedijs calculo non cedente; medicamentum nobis valde familiare, efficacissimumque vsurpandum erit; est autem huiusmodi

Recipe { Lapidis iudaici Specierum Iustini an. Drach. vnam Nucleorum Mespilorum Drach. mediam Tragacanthi, Gummi cerasorum an. Drach. mediam

Terantur omnia, & excipiātur vncia vna Terebinthinæ, dein fiant boli numero tres, quorum vnus mane, & vesperi tribus horis ante cibum

bum

bum deuorandus offeratur. In quibus præscribendis eam cautionem nos seruare oportet, vt nimium acria, & calida diuretica declinemus. Hæc enim calculum magis cogerent, & indurarēt. Quòd si calculus in vreteribus, vel in renibus resistat, iterum ad fotus, balnea, atque ad alia, tum interna, tum externa præsidia vias dilatantia confugiendum erit. Totam curationem hanc compendiose tradidit Hipp. vj. de M. vulgaribus sec. prima supra Com. V. Non repleri, iuuenes helleboro purgare; poplitē incidere, vrinarios meatus purgare, tenuare, ac mollire. Deum interim immortalem toto pectore deprecamur, vt hæc omnia prospere, fœliciterque pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Viro de Republica Christiana benemerito succedant.

Cautio ob seruāda.

De assidua Destillatione, graui capitis dolore, vigiliis, ac doloribus, modo ad humeros, modo ad vniuersas corporis partes vergentibus. Pro admodum Reuerendo Patre Nicolao Orlandino Iesuita, Consultatio XXV.

Vitia omnia, quibus Reuerendus Admodum hic Pater, multis ab hinc mensibus grauiter sollicitatur, a destillatione è capite in subiectas sedes oriri, neminem vel etiam in Arte mediocriter eruditum latere puto. Destillationis causæ tres in hoc subiecto manifestæ apparent. Prima, cerebri frigida, humidaque intemperies non congenita, sed ascititia, frustratæ coctionis causa proxima, vnde excremētorum magna ex parte frigidorum prouentus. Symptomata enim omnia, scribente Gal. 3 de causis syptomatum cap. 4. necessario consequuntur, vel partium similarium intemperiem, vel instrumentalium morbos. Altera destillationis causa accepta fertur frigido, imbecilliorique ventriculo, qui ob tardam deprauatamque ciborum coctionem, multa & ipse excrementa colligit, quæ sanguini deinceps confusa, fluxionis materiam augent. Tertia postremaque causa in Iecur iusto calidius refertur. A quo feruidi elati in caput vapores, dupliciter offendunt; tum quia cerebri excrementis augendis materiam substernunt, tum etiam quoniam suo calore succorum partes tenuiores dissipando, fluxionis materiam salsam calidioremque efficiunt, prætertimque in subiecto calidiore siccioreque a natura conformato; vnde & salsedo, & amaritudo quædam in ore percepta. Quocirca vt Reuerendus admodum hic pater a præsentibus malis vindicari, & ab imminentibus periculis præseruari possit, opere precium est destillationem quam primum coercere, & viscerum intemperantias corrigere. Quos quidem scopos explere possibile quidem erit, sed non admodū facile: operis enim huius difficultatem ostendunt, & affectus, destillationis nempe contumacia; fluxiones enim diuturnæ curatu difficiles semper sunt: & cerebri natiuus calor ob longa assidua, & pene sine intermissione studia collapsus; natiuum etenim calorem insigniter

Affectuū causæ.
Destillationis causæ.
Symptomata omnia vnde oriantur.
Indicationes curatiuæ.
Præsagia.

semel

semel violatum reparare arduum est. His accedit indicationum pugnantia; quādoquidem Iecur impense calidum refrigerari, cerebrum autem refrigeratum, quemadmodum & ventriculus iusto frigidior calefieri efflagitant. Nihilominus quoniam res agitur cū Viro in ętate proficiente potius quam deficiente constituto, qui omni prudentia medicorum præceptis se obtemperaturum audacter pollicetur, sperandum fore vt omnibus ex Arte administrandis remediis Deo Optimo Maximo fauente integræ sanitati restitui possit: præsertim cū cerebri, frigida, humidaque intemperies omnium ferme malorum caussa potissima connaturalis illi non sit, sed ab animi sollicitudinibus potius contracta: neque valētiora remedia commemoratis vitiis tollendis opportuna hactenus explorata sint.

Met. Med. Cæterum quoniam propositos curationis scopos assequi non licet, nisi victus ratione congrua obseruanda præscripta, vniuersoque corpore probe euacuato, præpurgatoque opera hæc primum aggrediar. Igitur victus ratio tenuis obseruanda erit, & talis, quæ neque impense excalfaciat, refrigeret, humectet, aut siccet, sed in omnibus hisce qualitatibus mediocritatem retineat, oportet. Singularia autem huc spectantia breuitatis causa non recensebo. Satis enim fuerit adnotasse, maximam hoc in casu habendam esse aeris rationem; ita vt aer temperatus secundum eius qualitates, atque luculentus, minimeque nebulosus eligatur: & quoniam aer hic Romanus mortales fluxionibus perpetuò obnoxios reddit, vt Reuerendus hic Pater cœlum commutet hoc saltem hyberno tempore magnopere hortamur. Quemadmodum etiam atque etiam illi suademus, vt tot animi curas graues, immoderataque illa consueta studia pro viribus declinet. Cætera autem ad victus rationem pertinentia familiaris eius Medici iudicio subiicimus. Sub hac victus ratione, vt destillationem arceamus, lenita primùm aluo, vel molli Clystere, vel blando aliquo pharmaco secanda illi erit vena communis brachii dextri, sanguisque detrahēdus erit ad vncias octo vel nouem, tum euentandi caloris causa, tum ad auertendam fluxuram materiam sanguini, ventriculi, & hepatis vitio commixtam. In catarrho n. aliqua ex parte calido sanguinis missio conceditur.

Victus ratio,

Venæ sectio.

Ea propter sanguinis missionem, tum ex vena brachii interna tum ex hæmorrhoidibus per interualla quædam, & præsertim Autumno repetendam esse consulo. Fluxionem etiam auertunt, & fluxionis materiam detrahunt Clysteres & purgantia pharmaca cachochymiæ accommodata. Quemadmodum Errhyna & Apophlegmatissimi. Quibus omnibus sæpius vtendum erit. In quem etiam vsum, vt duo excitentur in Reuerendo hoc Viro Cauteria, alterum in brachio sinistro deriuationis causa a capite, & auersionis ab infernis partibus ratione. Alterum in crure dextro subtus genu auersionis gratia mirum in modum probo, & hortor. Sed cum his remedia etiam illi præscribenda

Euacuationes per vētrem.

Cauteria.

benda sunt, quæ fluxionem sistere valeant. Quorum efficacissima sunt, Theriaca recens, Diacodion in rotulis, Diaspermaton Gal. saccharum rosaceum cum bolo armena. Et Pilula vna de cynnoglossa. Quorum vnum deuorabit dum dormitum ibit. Nec etiam displicebit, si persistentibus adhuc morbis symptomatisque radicis chinæ cũ santalis rubris, & ligno guaiaco modico decoctum cichoraceis attemperatum dies aliquot de more potauerit, sudoremque hoc tempore procurauerit: hoc sane remedio excrementorum vniuersum corpus exercentium reliquiæ per halytum, & sudorẽ dissipabuntur; indeque fluxionis materia detrahetur, simulque etiam cerebrum & ventriculus moderate exsiccabuntur. *Fluxionẽ firmãtia.* *Cl næ decoctum.*

Quæ vero postremo loco administrari debent ad roboranda viscera hæc fere sunt. Pulueres cæphalici sine vi siccantes, & tepido calore præditi, vt masticis, rosarum rubrarum, vernicis, mirthyllorum, Thuris & consimilium. Qui quidem pulueres syncipiti ad commissuram coronalem præmissa ex melle illitione superaspergantur. Capitis etiam lotiones dulci lixiuio prædictis simplicibus medicato, cerebro roborando quam maxime idoneæ erunt. Sicuti, & Ceratum ex commemoratis speciebus confectum coronali admotum, diuque gestatum huic operi apprime necessarium censetur. In hunc etiam vsum (vrgente necessitate) stillicidium a nobis excogitatum, sæpiusque fælici successu comprobatum supra commissuram coronalem quindecim saltem diebus de more administratum, magnopere conducturum non diffidimus. Paratur autem ex vino, rosis rubris, ligno guaiaco, ladano & Mastice medicato cum olei violacei sexta parte, & aquæ rosarum portiuncula. Vinum etenim, & gummi quatenus moderate excalfaciunt frigidam cerebri intemperiem corrigere valent, atque excrementitiam humiditatem absumendo moderate siccant, atque natiuo humido caloris pabulo deficienti succurrere putantur. Cætera autem blande refrigerantia adduntur, ad infrænandam ascititiam illam caliditatem a feruidis vaporibus sursum elatis comparatam. Interim exhibenda quoque erunt per os cerebrum roborantia. Qualia sunt, Mitridatium, Theriaca, conserua Anthos, saluiæ, Betonicæ, & eius generis alia. Quibus miscendæ erunt confectiones, vel rosarum, vel violarum, ratione hepatis calidioris. Quibus si specierum Diatrionpipereon portiuncula addatur cum Miuæ citoniorum aromaticæ modico, ventriculi etiam ratio habebitur; neque Iecoris caliditas contraindicabit, quandoquidem piper suo calore hepar minime attingit. Quo etiam tempore hepatis & ventriculi regio mane, & vesperi ante cibum illinenda erit, hæc calefacientibus stomacho firmando accommodatis, illa verò frigidis, vt Vnguẽto santalino cum cichorei succo, & modico aceto. Quod si peracta, vt decet medicatione iam præscripta, vitiorum commemoratorum reliquiæ adhuc superessent, Vere proxime futuro præhabita

Viscera roborãtia *Puluere capitales.* *Ceratũ capitale.* *Stilicidiũ ex inuẽtione Aucto ris.* *Cerebrum roborãtia interna.* *Ventriculũ roborãtia interna, & externa.* *Ventriculum, & Iecur roborantia externa.*

I con-

conuenienti corporis totius euacuatione per pharmaca idonea & venæ sectionem, duo hæc præsidia, serum nempe caprinum cum succo cichorei, & absynthii modico quindecim saltem diebus continuis (vt moris est) datum; & cum hoc aquæ dulcis lauacrum ad contemperandum hepatis, totiusque corporis incendium, magnopere conductura sperarem. Deum Immortalem interim precamur, vt Reuerendo admodum huic Patri omnia hæc ex voto succedant.

Seri caprini, & balnei vsus.

De febre continua acuta cum capitis fluxione, & spirandi difficultate, Pro Illustrissima D. Marchesia Rangona,
Consultatio XXVI.

Quæ consideretur in febribus.

Idea febris.

QVatuor in febribus tractandis diligenter expendenda monebat Galenus primo, & tertio de cris. Ideam scilicet, magnitudinem, motum, & morem. Quòd spectat ad febris ideam; tribus ab hinc diebus Illustrissimam Mulierem (vt nuper audiui) sollicitantis, recte considerantibus patet non solum hanc febrem esse continuam, sed è genere ardentium, imò etiam lypiriam, ideoque valde perniciosam, & lethalem. Hoc autem (quod pace aliorum aliter sentientium dictum velim) signis ostenditur apertissimis, & præsertim ab actione læsa.

Signa ab actione læsa.

A pulsu.

Pulsus enim magnus est, celerrimus, frequentissimus, atque etiam durus non nihil, languidus tamen. Magnus quidem, ob insignis caloris euentandi necessitatem, in quod opus natura etiam defatigata pro viribus incumbit. Celer autem, & frequentissimus ob eandem rationem, quia, vt Gal. docet primo de presag. ex puls. c. 5. cũ celeritate magnitudo, & crebritas coniungitur. Durus propter insignem calorem exiccantem. Languidus demum, & maxime inæqualis, languentem, ac propemodum prostratam ostẽdit facultatem. Quod nouissimum signum non omnes febres biliosas consequitur, sed Galeno teste biliosas duntaxat lethales qualis iudicio nostro hæc est.

A siti.

Sitis licet non sit insignis ob humorem a cerebro in os assidue delabentem: insignem tamen calorem febrilẽ intus vrentem indicat, alias enim ægrotans non sitiret, nec aquæ potum vsque adeo expeteteret. Hinc fit (quod nos Hippoc. & Gal. 4. Aph. 54. docent) vt quotiescumque in febribus ardentibus tussicula, vel etiam sicca ægrotantẽ sollicitat, eatenus sitim abigat, quatenus humiditatem quandam ex proximis partibus concitat, qua gulæ siccitatem diluit: id quod multo prę stantius videbitur efficere tussis humida.

A vigilijs comatosis

Vigiliæ quoque immodicæ febris hujus naturã patefaciunt, quippe quę vaporum a bile putrescente in caput elatorum acrimoniã consequantur. Cęterum quoniam cerebrum destillationis principiũ multis subfrigidis abundat excrementis (vt suo loco explicabitur) fere cõtinue in somnum ęgrota propensa est, dormire tamen vix potest breui etiam

ni etiam temporis ſpatio, vnde colligitur coma vigil. Indeque factum eſt, vt Auicenna pulcherrime adnotauerit pueros ardenti febre bilioſa correptos interdum ſomnolentos potius; quam vigiles eſſe præ nimia humiditate huic ætati familiariſsima.

Temporum præterea inſignes pulſationes, quas Illuſtriſsima Domina percipere fatetur, commemoratæ febris pariter ſunt indicia. Humores enim bilioſi facile ſurſum tendentes tēporũ arterias ſubeunt, eoque congreſſu mēbranas, tum internas, tum externas inuadunt, feriuntque & idcirco capitis dolorē, de quo ęgra conqueritur, ſuſcitant: itaut quædam ſimul delirii præludia detegantur, quādoquidem morbum per quam grauem, & acutum minime (vt deberet) ſentire videtur: interrogata enim quomodo ſe habeat, vt plurimum, bene, reſpōdet. Quod ſane mentem laborare indicat, vt docet Hipp. Aph. 2. aph. 6. quippe quæ alteri vehementius intenta, reliquorũ omnium obliuiſcitur, ac totus propemodum ſpiritus dum ad ſuperiora rapitur eſt in cauſa, vt reliquiæ partes fere ſpiritus expertes ignauia quadã, & inſenſibilitate detineantur. Idq. illorum patet exemplo, qui, vel ſtudiis, vel contemplationibus addicti ſunt immodicis, vel etiam duellionum exemplo facile explicatur, qui inter conflictandum ſæpenumero accepta ignorant vulnera ob eas, quæ nuper allatæ ſunt rationes.

A temporum pulſatione.

A delirio

His additur ſpirandi difficultas, ſpiratio namque frequens laborioſa, & cum ſtertore quodam deprehenditur, cuius cauſæ ſunt viriũ lãguor, refrigerãdi auctus vſus, ob viſcerum, & prętertim ſpiritualium ingētem æſtum, atque viarum ſpiritus anguſtia, capitis fluxionem in aſperam arteriam conſequens, vnde ſtercor ille procedit.

A ſpirandi difficultate.

Dolor præterea dextri lateris cum hac febre coniunctus, cum ſymptoma ſit è genere actionis læſæ facultatis ſenſitiuæ, licet bilioſæ febris ardentis proprium non ſit indicium; cum tamen pleuritidis nothæ ſignum a clariſsimis Viris conſultatoribus iudicetur, diligenter eſt explorandus: in cuius quidem examine, non contradicendi ſtudio, ſed indagandę veritatis gratia, libere dicam quod ſentio. Cum ergo dolor hic non ſit punctorius, & acutus, ſed admodum mitis, non continuus, ſed longo temporis interuallo interiecto leniter ſuſcitatus: cumque certo loco minime ſit circumſcriptus, ſed modo hanc, modo illam dextri lateris partem inuadat; haud quidem pleuritidis accidens (ni fallor) cenſeri poteſt; cum pręſertim nulla, vel exigua tuſſis adſit, eaque rarò admodum excitetur: notha namque pleuritide laborantes aſsidue tuſsire ſolent. Quamobrem dolorem hunc aliunde pendere arbitror, nimirum a ſanguine bilioſo pulmonum venas replente, ac partium inflammationem quandam ſuſcitante: quo quidē certis quibuſdam horis magis, minuſue ferueſcente, ideoque membram an pulmones ambientem diſtendente, dolor ille concitetur. Nam licet pulmones non ſentiant, eorum tamen membrana ſenſu aliquo non caret. Quòd autem cutis affecti lateris cum carne ſubiecta

A dolore laterali.

contrectata doleat, non tamen existimare debemus dolorificum hũc affectum esse tantum externum, quamuis consultores ita sentiant, nã præter externum affectum, quẽ non nego, quique nullius est momẽti, cum ægrota super illud latus facile cubare possit; aliũ, eumque grauiorẽ affectum pulmonũ lateris dextri substãtiam, & membranam simul vrgere vexando, hinc patet, quòd super latus oppositum nullatenus cubare possit, certissimũ sane interioris affectę sedis argumentũ.

Ab excrementis. Excrementa præterea, vt fœces, & lotia multa bile referta febris huius biliosæ naturam indicant. Neque obstat, quòd pituitosa etiam admixta biliosis excrementa conspiciantur: nam ex præcedentibus cruditatibus, tum ob vitium ventriculi, tum ob senilem ætatem eiusmodi excrementa in primis ductibus, & in iecoris parte sima sæpe redundant, bilioso interim humore superuacaneo venas, & vniuersum corpus exercente. Quę cum spumosa sint, magnam viscerum, & venarum ebullitionem indicant. Præterea non solum biliosæ, spumo- *A fęcib.* sæque fęces conspiciuntur, sed læues etiam, atque nonnihil pingues, symptomata quidem secundaria natiuũ viscerum calorẽ ab ingenti calore putredinali, & febrili, ita violatum denotantia, vt humores primum eliquentur, deinde carnes, & pinguedines; ideoque talia excrementa cũ læuore quodam, ac supernatante pinguedine apparent, qualia obseruabat Hyp. in malignis, & colliquãtibus febribus 6. de morb. vulg sec. 1. tex. 29. quarũ quidẽ ideam dicebat Gal. positã esse in calore quodã putredinali ab aliarũ febrium putridarũ calore longe diuerso.

Ab vrinis. Sed vt redeamus ad contemplationem lotii, quod, vt audio, primis morbi diebus rufum erat, & saturatum, tenue tamen, infirmi caloris natiui soboles, crudique morbi indicium, deinde confusum apparere cœpit, quòd cum venarum affectus sequi semper consueuerit, sanguinis, & humorum, qui in venis sunt maioribus, confusionem, corruptionem, & putredinem, febremque malignam portẽdit: quandoquidem putredo omnia perturbat, permiscet, atque confundit. Quocirca confusa huiusmodi vrina in solis continuis febribus, iisque periculosis, & malignis deprehenditur. Nunc autem, vt omnes vidimus, vrinæ tota hac die naturali copiosæ admodum & potus copiam longe superantes excretæ sunt, ab aliisque Consultoribus (viris quidem grauissimis) tamquam decretoria signa magnopere probantur, quippequi excretione hac morbum fœliciter finitum iri arbitrentur. Id quod nulla ratione assequi possum; nam nullum coctionis vestigium obseruare nobis licuit, non enim in die legitima, hoc est, in die impari promoueri cœperunt, neque ęgrotantem vlla molestia subleuarunt: imò cum flammeę sint, nihilque deponant, caloris febrilis colliquãtis humores, corporisque molem potius sunt indicia.

Prima dubitatio. Sed vos viri clarissimi admiramini cur has vrinas humorum, corporisque colliquationem cõsequi dixerim, non. n. pingue quicquam, aut oleosum hisce supernatat vrinis, quæ colliquationis nota ab omnibus

nibus censetur. Præterea nouũ quippiam vobis videtur, quod humores colliquari asseruerim, cum solã membrorum colliquationẽ, non autem humorũ Hyppocrates nouisse videatur. Omnis tamen vestra admiratio vtriusq; meæ cõmentationis facilè cessabit, si in memoriã reuocetis quod à Galeno perbellè adnotatũ fuit 3. de præs. ex puls. & 10. meth. med. nempè quod liquatur interdũ vaporis vice digeri vel in ventrẽ defluere: quare fœces, non autẽ vrinæ pingue quiddam premonstrare debẽt; vel etiã si reminiscamini quod Hypp. pluribus in locis, & præcipuè in lib. de indicat. de humorum colliquatione nos docuit. Eadem sanè ratione sudores, qui circa caput, collum, & pectus vnà cũ copiosiore vrina erumpere cœperunt, mihi nequaquam probari possunt: quoniã nullo in cæteris excrementis apparente coctionis signo, exigui, subfrigidi, febre nõ deficiente, & in die pari promouentur: tales enim febricitãtium sudores ab Hyppocrate pluribus in locis vituperantur, quoniã caloris febrilis vrentis colliquantisq; vim potiùs, quàm humidi excrementi copiam comitãtur, ac proinde non rarò obseruantur in malignis febribus, quas sudatorias appellare consueuit Hyppoc. 7. epid. 91. Eidem suspicioni meæ fauere videtur Hyppoc. 4. aphor. 36. vbi febricitantium sudores in diebus paribus incipientes præter decimam quartã in acutis ex eo reprobat, quia febres acutæ, & biliosæ per tertium diem ferè exacerbantur, atque sudore finiuntur: in his ergo dies impares sunt vere iudicatorij, in quibus naturalis facultas causæ morbificæ semper incumbens ab astris magnopere iuuatur. Quod verò alij possunt obijcere, videlicet quartam diẽ interdum etiam iudicare, non vrget, quia quartus rarò admodum iudicat, nec quosuis morbos, sed magis synochos, quorum ferè vnica est vsque ad quartum diem accessio, idque frequentius per sanguinis fluxum è naribus: ob idque citato iam aphorismo Hyppocrates quartum (vt opinor) prætermisit. Nulla præterea probatur spontanea euacuatio, nisi, quæ in morbi statu, ac post perfectam concoctionem successerit. Huc quoque accedit, quod plures, & diuersæ simul euacuationes naturam obrui, & tùm copia, tùm praua peccantis humoris conditione importune irritari potiùs, quàm criticè iudicare significant. Euacuationes item omnes tentandæ, crebræ, & exiguæ, facultatis imbecillitatem indicant, vt obseruat Hyppoc. primo de morb. popu. sec. 2. pluribus in locis. Quare siuè negetis, siuè admittatis colliquationẽ, commemoratæ tamẽ excretiones, & per ventrẽ, & per vrinã, atq; etiã per sudorem infidę sunt, & perniciosę, faxit Deus vt mẽt.

Secũda dubitatio.

Solutio primæ dubitationis.

Solutio secũdæ dubitationis.

A sudore.

Quartus die rarò iudicat.

Signa.

A qualitate mutata.

Postremò ex mutata corporis patientis qualitate indicatur febris, de qua nũc agimus natura. Insignis enim calor percipitur circa thoracis, & ventris regionem, licèt reliquæ exteriores corporis partes interdum frigidæ, nonnumquam moderatè calidæ contangantur, interiores tamen (Illustriss. patiente referente) semper vruntur, vnde lingua semper nigrescit, tametsi non multùm arida cernatur ob ma-

teriam a cerebro in os assidue destillantem. Ex quibus colligimus febrem hanc putridam, & continuam non solum biliosam, & ardentem esse, verum etiam lypiriæ naturam æmulari: cuius meminit Gal. 2. de cris. c. 6.

Febris focus. Febris autem huius, de qua nunc agitur, focus in venis est, quæ ad partes spirituales, ad iecur, & ad hypocondria spectant, quemadmodũ ex illarum partium æstu, dolore, atque hypocõdriorum, & præsertim dextri eleuatione potius, quam renitente tumore deprehenditur. Humores verò putrescentes biliosi magna ex parte iudicantur, tum ex ipsis excrementis, tum etiam ex ingenti febrili calore, quibus tamẽ crudos ac pituitosos ichores, ob ætatis inclinantis rationem, & ob præ-

Febris magnitudo. gressa errata simul commisceri non negamus. Atque hæc de febris idæa dicta sufficiant. Hinc etiam clare patet eiusdem febris magnitudo non solum secundum propriam essentiam, de qua nuper loquuti sumus, sed etiam mali moris ratione, vt omittamus nunc magna, sæuaque symptomata.

Motus eiusdem febris (vt opinor) ideo celerrimus erit, quia acutus

Febris motus. est morbus, & his quatuor diebus ad augmentum fere deuenit, vt ex symptomatum magnitudine colligitur. Et quoniam febris exacerbationes ad morbi motum spectare videntur, duo sunt hic considerandа, primum binas morbi exacerbationes quotidie videri, mane nimirum, & vesperi, leues tamen: alterum tertio quoque die, sed per dies pares manifestam excandescentiam apparere. Prima namque inuasionis die febris fuit mitis, secunda grauior, & quarta acutior, noctuque affligit magis, quam inter diu.

De more morbi. Quòd verò spectat ad morbi morem, iam liquet febrẽ hanc è genere malignarum esse, tum quia difficilis tollerantia morbi, vigiliȩ, affectio comatosa, inquietudo, iactatio, extremorum assiduæ refrigerationes allectis ad æstuantia viscera spiritibus, aliaque praua symptomata primis morbi diebus incœperunt, ex quibus accidẽtibus ineunte morbo inuadẽtibus ipsius malos mores iudicare docuit Gal. lib. 3. de cris. tum etiam quia febres omnes, quæ viscerum inflammationes consequuntur, malignæ ab Hyppocrate, & Gal. 2. prog. existimantur. Hactenus de febris idea, magnitudine, motu, & more. Consequens autem est, vt scopos per proprias indicationes proponamus, in quos medentium opera sunt dirigenda.

Indicationes curatiuæ. Prima igitur huius febris curãdæ indicatio erit putredinem iam factã febris causam interiorẽ, & propinquam euincere, interimque futuram prohibere. Euincitur autem facta putredo, si calor præter naturam putredinis auctor extinguatur, refrigerantibus, nempe, & moderate siccantibus. Prohibetur etiã imminens putredo si obstructiones, quæ calorem, & humores ad fouendam putredinem augent, auferan-

Cerebri destillatio. tur: necnon symptomatibus magnopere vrgentibus occurrendũ est, a quibus maximum ægrotanti periculum impendet. Præcipue verò cere-

cerebri destillatio compescenda est, quę partim in asperam arteriam, vnde stertor fere semper auditur, inæqualis tamen; partim etiam per venas, & arterias tendit in pulmones, vnde spirandi difficultas etiam augetur. Ab hac enim destillatione suffocationis periculũ imminet, tum debilitatæ virtutis ratione, tum etiam ob quandam Illust. mulieris angustiam arteriæ huius, quod quidem confirmationis vitium ex voce valde acuta facile percipitur. Huius autẽ destillationis causa teste Hyp. in 2. de morb. accepta fertur cerebro præ nimia caliditate superuacanea, pituitosa, sed subtiliora excrementa colligenti, quibus ęgrotans abundare creditur, tum ætatis, & temperamenti, tum etiam ob aliqua errata præsertim in aeris vsu constitutione hac austrina; cerebrum verò calefactum est calore febrili, & ideo ab vniuerso corpore ad se trahere potuit excrementa, quæ iterum ad subiectas partes delabuntur. *Causa destillationes.*

Altera igitur hinc indicatio sumitur, quæ fluxionem, vnde tantum periculum timetur, quamprimũ sistendi scopum ostendit, idque medicamentorum internorũ, & externorum vsu præstare oportet, atque ideo ad cerebrum, vnde fluxio oritur, & ad partes thoracicas tãquam ad alterum fluxionis terminum omnia præsidia sunt deferenda. Cerebrum enim male affectum duo præstanda suadet, primum, vt excrementa in eo congesta deturbentur; alterum verò, vt frigida, humidaque intemperies, ex qua excrementa progignuntur, corrigatur. Recipientes quoque subiectæque partes duo nobis indicant peragenda, tum vt firmentur, ne æque facile recipiant, tum etiam vt ea, quæ confluunt, aliò retrahantur, & reuellantur. *Secũda indicatio.*

Nec etiã oportet nos esse sollicitos de notha pleuritide licet dolor dextri lateris febrem comitetur ad vltimas fere costas vergens, nõ grauis, nõ pungens, neque perpetuus, molestus tamen, & nothæ pleuritidis imaginem repreſentãs; quamuis enim primo aspectu (vt ingenue fatear) suspicionẽ mihi attulerit incipientis in epate inflammationis, quòd simul obseruassem tumorem quendam adhuc etiam subsistentem circa iecinoris regionem; cum corporibus nonnullis a natura datum sit, vt epar fibris quibusdam ita costis inferioribus hæreat, vt hoc viscere laborante, distentoque costarum regionem dolor infestet, atque pleuritidis speciem referat, quemadmodũ multis ab hinc annis obseruaui, & experimento cõprobaui; diligentius tamen singula mecum ipse perpendens, dolorem hunc, vt antea dixi, ex pulmonũ illius lateris inflammatione proficisci existimaui. Spirãdi enim difficultas, angustia, stertor, pulsus magnus, languidus, atque multiformiter inęqualis vna cum sputo inter tussiendum spumoso excreto, comiteque dolore, licet non punctili peripneumoniam cumulatissime indicant. Huius autẽ medendi methodus posita est in reuulsione humoris adhuc fluentis, & in eius, qui iam fluxit, & in parte continetur, euacuatione. Est enim omnis inflammatio, immoderata partis affectę reple- *Pleuritis falso puta ta.* *Peripneumoniæ signa.* *Medendi methodus*

tio, eius igitur ſanatio ad euacuationem ſpectabit: ex quo innoteſcit ab eius, quæ fit inflammationis curatione vtramque medicinæ partem complecti, videlicet quæ malum arcet, & quæ curat. Interim verò omni conatu enitendum eſt, vt dolor ille ſedetur anodynis, & digerentibus, narcotica autem hic locum non habent, quoniam dolor nõ eſt admodum acutus. Ex quibus diligẽter perſpectis facile patet, quid de morborum præſentium euentu ſit præſagiendum. Quamuis enim febris ardens præſertim non exacta, qualis hæc eſt, quæ a bile cum aquoſi humoris admixtione oritur, non ſemper pernicioſa ſit: multa tamen hic ſigna concurrunt, quæ pernicioſum futurum euẽtum prę-monſtrant, febris nempe vehementia, materiæ pernicioſa conditio, quòd in venis cordi propinquis putreſcat, ſymptomata iam commemorata ſatis intenſa, virium, & maxime naturalium imbecillitas, quę ex ipſis excretis nullum coctionis indicium prę ſeferentibus cognoſcitur: ac denique illegitimus morbi motus, nam diebus paribus manifeſte exacerbatur, peſsimũ quidem in febribus acutis ſignum ex Hippocratis ſententia pluribus in locis, & pręcipue in lib. de mor. popul. ſec. 3. paulo ante Phybiſci ægrotantis hiſtoriam, eos enim dies vocare conſueuit iudicatiuos, cõtemplabiles, & legitimos, qui ſunt impares. Omitto nunc febrem hanc ardentem ſenili ętati valde diſsimilẽ, longe etiam periculoſiorem cenſendam eſſe iuxta Hyppocratis ſentẽtiã 2. Aph. aph. 34. vbi habet ſecuriores eſſe morbos in temperatura, & ętate ſibi ſimili. Addo præterea peripneumoniam vna cum ęgrotantis virium imbecillitate valde lethalem eſſe, vt, & Galenus lib. 10. Meth. med. cap. 5. & quotidiana experientia docet.

Præſagia

Peripneumonia lethalis.

Tempus.

Tempus, quo morbus, vel Illuſtriſsimæ Aegrotantis vita terminabitur, breue vtique cenſendũ eſt, decima videlicet, vel duodecima die a prima morbi inuaſione, quoniã acuti morbi vltra decimam quartã diem non prorogantur, & qui paribus diebus exacerbantur, paribus quoque diebus iudicantur. Scio equidẽ febrem ardentem (cum peracuta ſit) rarò ſeptimam pertrãſire diem, quod notauit etiam Gal. lib. 2. de cri. c. 6. verum cum hęc non ſit ardens exquiſitiſsima, nec a materia excitetur alimentali (vt vocant) in venis totius corporis putreſcẽte, ſed in aliquibus duntaxat, cum non ſit continens, ſed continua proportionata cũ manifeſtis tertio quoque die exacerbationibus, acutorum ſimpliciter morborum more vlterius prorogari, ac forte etiã ſuperari poſſet, quanquam vix adduci poſſum, vt id credã, tum ob multa alia pręter iam dicta, tum maxime propter pręcipitem illam capitis fluxionem, ex qua momentaneũ ſuffocationis periculum impendet, niſi quamprimum ſummis, exquiſitiſque remediis occurramus. Hęc autẽ (Viri doctiſsimi) nõ moroſe, ſed amice a me accipiatis, qui (Deus mihi ſit teſtis) nihil diſsimulo, neque oſtentationis gratia in hoc prognoſtico a vobis diſſentio, ſed vt in re tanti momenti, vbi de humano corio luditur, omnem animi mei ſcrupulum adimam.

Via interitus (quod ad febrem attinet) esse solet ob caloris febrilis, innatum dissipantis, excessum, vel ob tabem, quæ ipsum sequitur, vt Galenus docuit primo de diff. febr. cap. 8. & 9. Interdum autem salubriter finiri solet natura sponte, ac valide causam morbificam foras detrudente, vel per copiosum sudorem, quem (vt ait Hypp. 4. aphor. 58. rigor antecedere solet, vel per sanguinē è naribus copiose fluentem, vel per vomitum, aut peccantis humoris deiectionem, quare nisi destillatio præceps mortem suffocatione accelerauerit, mors expectanda est ob caloris excessum, siue ob tabem, cum in excretis signa colliquationis iam apparere incipiant. *Modus.*

Quòd spectat ad peripneumoniam, eius exitus, atque euentus plerumque infaustus, & lethalis esse consueuit, vt quotidiana experientia patet, & Galenus quoque lib. 10. meth. med. cap. 5. docet; vbi tamen vires ægrotantis in ipsa pugna, morbi viribus validiores obseruentur, futuræ salutis spes aliqua concipi potest, sin secus (vt in præsenti) nulla. *Peripneumoniæ euentus.*

Tempus, intra quod pulmonis inflammatio iudicatur, licet breue sit, cum morbus sit acutus, ita vt frequenter intra septimum, vel nonum diem ad salutem, siue ad interitum terminetur, aut etiam in abscessum, empyema, vlcus, aut tabem permutetur: nonnumquam tamen ad secundum protrahitur septenarium, plus minusue pro vario caloris excessu, seu pro varia roboris ratione non tam citò in ipsa pugna succumbentis. *Peripneumoniæ tēpus.*

Via salutis multiplex esse potest: interdum enim materia, quæ a natura artis ope concoquitur, sensim per sputum emittitur, interdum sanguinis è naribus profluentis copia pulmones liberantur, nonnumquam morbifica causa per meatus vrinarios, siue per aluum iam concocta, & quasi in pus commutata, confertim a natura præcipitata, salubriter educitur, tametsi huiusmodi euacuatio periculo nō vacet, cum per corporis interiores partes purulenta materia detrudatur. Aliquando etiam ad varias corporis partes transmissa abscessus varios efficit. Commoriuntur autem hoc morbo correpti, quoniam vel sanguinis, & sputi copia asperas arterias obturante subito suffocantur, vel ob immoderati caloris feruorem virium robur dissipantem intereunt, vel in vitium aliud perniciosum conuersa inflammatione, vt in empyema, in tabem, aut in phrenitidem pereunt, quam quidem nouissimam mutationis speciem maxime formidare solet Hyppocrates 7. aphor. aph. 20. *Peripneumoniæ modus.*

Rursus si cerebrum frigidum, humidumque spectemus, atque pluribus excrementis refertum, vnde destillationis origo est, non nisi infaustum morbi euentum in proposito subiecto prædicere possumus: multa enim in cerebro humiditas vel ipsum obstruit, vnde capitis grauitates, comatosæ affectiones, epylepsia, & apoplexia oriuntur: vel ad sensoria prolapsa sensuum actiones oblædit, vel ad infe- *Destillationis præsagia.*

riora

riora per palatum delabitur, indeque subiectæ partes offendūtur, fauces nimirum, guttur, gula, ventriculus, aspera arteria, & pulmo. Hinc tusses, spirandi difficultas, angina, cruditates, ventris profluuia, & dysenteria, quando salsum est, quòd destillat: si verò per venas delabatur humiditas, putridas febres aliosque putridos morbos excitare consueuit. Quamobrem quocumque me vertam, grauia Illustrissimæ ægrotanti pericula vndique imminere conspicio. Pro præsentiū igitur malorum curatione, & futurorum præcautione in hac affectuum connexione, destillationi tamquàm vrgentiori primum occurramus necesse est.

Curatio destillationis.

Quamobrem, ne materia, quæ in thoracem præceps delabitur, spiritum intercludendo, suffocet, duo quāprimùm sunt præstanda, quorum alterum est vt fluxio partim reuellētium, partim sistentium medicamentorum opera, aut ex toto finiatur, aut a partibus spiritualibus aliò deflectatur, id quod fieri potest clysteribus nōnihil acribus, extremorum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, cruribus, coxis, & natibus affixis, atque duobus vesicantibus, altero in interna cruris dextri paulo subtus genu parte, altero autem in bracchio sinistro. Plura vesicantia auersionis gratia non audeo proponere ob virium languorem: dolores enim vires prosternunt: sed præ cæteris ad præcipitem fluxionem firmandam, vesicantia aut synapismos commissuræ coronali sine mora applicarem. Diacodion etiam, Diatragacanthum, Bolus armæna, cum saccharo violaceo, & alia huiusmodi ore detenta eatenus fluxionem cohibendo sistunt, quatenus tenuem humorem in pectus decidentem incrassandi, torpidumque reddendi facultate pollent, inter quæ primùm locum tenent huiusmodi rotulæ.

Primus scopus inhibēdæ suffocationis.

vesicantia

Recipe { Diatragacanthi frigidi vnc. ij.
Boli armęnę imparati drach. j.
Terræ sigillatæ. scrup. j. }

Syrupi de papauere q. s. fiat massa, ex qua formentur paruæ rotulæ ore detinendæ. Hactenus de primo Scopo ad impediendam fluxionem pertinente.

Secundus scopus.

Alter scopus, seu opus alterum eo spectat, vt materia iam in pectore coaceruata per halytum digeratur, ne fortè noua iterum accedente spiritus intercipiatur. Complura verò sunt, quæ id præstare valent, atque inter alia prassij, hyssopi, & botridis decoctum, vnà cum serapio de hybisco, aut de farfara, vel oxymel guttatim haustum, & tepidum mirificè valet. Oxymel etiam simplex, & scillinum magis cum modico ammoniaci commixtum, & sensim, ac sæpè ore acceptum idem validè præstat.

Præsidia suspecta.

De sanguinis missione, & purgatione, quæ duo præsidia euacuant, eademque opera fluxionem sistunt, vel potius auertunt, nihil in præsenti habeo, quod proponam, eò quòd neutrum horum administrare per vires liceat, quemadmodum neque præsidia partes spirituales robo-

roborantia,ne tam facilè suscipiant, in medium afferre ausim, propterea quod talia sunt,quę(vt docet Galenus 1.simpl.cap.14.)siue ad victus rationem,siue ad medicamenta tàm interna, quàm externa referantur,facultatem obtinent potissimùm refrigerandi,atq; adstringendi,vt immodicam dilatationem canalium coerceant,atque substantię vasorum raritatem in densitatem commutent: quę quidem quatenus adstringendi facultate sunt prędita, hic valdè suspecta esse, & febris,& spirandi difficultas apertè demonstrant.

Pro emendanda humida, frigidaque cerebri intemperie destillationis causa primaria,pastillus ex ladano, vel ex melanthio odoratus mirificè confert,item sacculus ex millio asso cũ sulphure, & modico calami aromatici,thuris,& sandaracę tôto capiti applicatus cerebrũ siccat,fluxionemq; intercipit,idemq; præstat ceratum Montagnanę cephalicum coronali admotum. Pulueres etiam capitales,quibus sinciput melle prius illitum inspersum sit,eundem prędant vsum. *Emēdatio intemperiei cerebri.*

De medicamentis autem capitis, totiusque corporis excrementa digerentibus simulq; cerebrũ siccantibus, ac proinde fluxioni finiendę accomodatissimis,quale est,ligni indici, ligni visci quercini, siue potius salsę parillię decoctum, nihil est quòd verba faciam, cum isthęc, & consimilia medicamenta non nisi longo temporis progressu scopum propositum attingere,nedum assequi possint: hic autē prędidijs est opus celeriter operantibus. Quamobrem neque de cauterijs quicquam addiderim,quæ ad auertendam fluentem materiã,& brachijs,& cruribus,& etiam occipiti adhiberi solent. *Ommittũtur digerētia, & exiccantia.*

Non minus vtique vrget humor in vias spiritus, & in pulmones prolapsus,qui etiam spirandi difficultatem auget: cuius quidem extractio postquam apertè absolui non potest,latenter tamen digerentibus tàm extrinsecus admotis, quàm per os assumptis illico tentanda esset,sed quoniã huius classis medicamenta vim aliquam iugiter habent calefaciendi,& siccandi,& ratione febris, & incipientis inflãmationis causa nunc valdè suspecta sunt; ac propterea satis erit thoracem inungere oleo amygdalarum dulcium, oleo violaceo, & butyro recenti aqua violacea sæpius loto,atque hordei, iuiubarum,glycirizzæ,& passularum decoctum singulis horis sæpè, ac modicè exhibere,necnon prisanę cremorem, syrupum iuiubinum, violaceum, & de glycirizza cũ aqua farfarę,aut capillorũ veneris. In quorum quidē vsu tria maximi momenti sunt obseruanda. Primùm topica non solùm parti thoracis anteriori, sed etiam posteriori sunt admouenda. Deinde ea debent eligi remedia, quæ vim penetrandi maximam habeant,nã in penitiori sede affectio subsistit. Postremò omnia,quæ in pulmonis,thoracis,hepatis,vētriculi,vteri,& renũ phlegmone,aut alia consimili affectione potanda propinantur,actu calida esse debēt, quoniam actu frigida digestioni,quæ per poros insensibiliter agitur, aut per sudorem manifestè a natura tentatur,impedimento esse possent. *Præsidia pectoralia.* *Tria notãda in vsu prædictorum.*

sent. Hæc de præcipiti destillatione finienda satis superque dicta sint.

Incipiens pulmonũ inflãmatio non admittit repellentia.

Nunc ad incipientẽ pulmonũ inflammationem redeo, in qua quidem inhibenda repellentia medicamenta aliarum inflammationum more valde suspecta esse monebat Galenus lib. 11. meth. med. c. 17. hæc enim si thoraci applicarentur, vitiosum sanguinem ab extimis ad intimas partes propellendo inflammationem vtiq; augerent. Quapropter repellentium loco tutius erit vitiosum sanguinem in vniuerso corpore redundantem à pulmonibus auertere, tùm per manifestas, tùm etiã per latentes, & obscuras euacuationis species: & idcirco sectio venæ internæ, seu mediæ dextri cubiti, lenita prius aluo, primũ, potissimumque est auxilium huic operi destinatum ex Galeni sententia lib. 13. meth. med. c. 11. Cæterùm ab hoc opere nunc abstinendum duo persuadent, uirium imbecillitas, & prægressa sanguinis missio. Propterea cum ad idem opus perficiendum spectet venarũ, quæ in sede sunt, per hyrudines apertio, atque sine tanta virium deiectione id fieri possit, ad hoc præsidium quamprimum confugiendum etiam atque etiam hortor: hæc enim venæ sectio non fluxum iam, sed fluxurum humorem respicit: Inter hæc remedia numerantur etiam scarificationes per sycias, cruribus, coxis, & natibus affixas: imò Celsus lib. 4. c. 7. & Paulus lib. 3. cap. 20. vbi hoc in casu venam secare non audebant, quòd per vires non liceret, thoraci vndique cucurbitulas cute priùs incisa admouebant, eo sanè consilio, quò sanguinem ad pulmones impetuosè fluẽtem, fluxurumq; ad externam cutem euocarent, auerterentque. Huc etiam spectant manuum, brachiorum, dorsi, crurium, & pedum assiduæ, repetitæque frictiones, veluti & vincula sactis arctè vincientia extremos artus post ipsas frictiones.

Sectio venæ non admittitur.

De operibus autem, quæ inflãmationi iam factæ, & consumatæ digerendæ sunt destinata, nihil in præsentiarũ dicendũ puto, tùm quoniam inclinata iam est dies, tùm etiã quia si dabitur tempus pro vario morbi progressu, varia in posterum præsidia excogitanda erunt.

Præsidia tollẽdæ febris.

Sed iam tempus est, vt ad præsidia febri tollendæ oportuna deueniam, inter quæ primum obtinent locum refrigerantia, quæ febrem respiciunt, & euacuantia, quæ a febris causa, bile nimirùm, ac pituita indicantur: obstructio verò, & adstrictio, quæ perspiratum impedire possent, non adeò vigent, vt a refrigerantium, & euacuantium operibus Medici consilium auertant. Vt igitur bilis vnà cum pituitoso humore semiputri concoquatur, simulq; naturalis calor temperetur.

Recipe Syrup. Violati
Syrup. de Endiuia
Syrup. de gliciriza ana vnc. mediam
Aquarum Endiuiæ
Violarum
Acetosæ
Cicerbitæ ana vnc. vnam
} Misce

Hoc loco notandum est nonnullos grauissimos etiam viros huiusmodi serapia ex eo reprobare, quòd in bilem facilè commutentur, ac proinde biliosæ febris causam augere possint. Verùm difficultas hæc nullum nobis in præsenti facessit negotium, quoniam in febrem nunc incumbimus ardentem quidem siue tertianam continuam, nō tamen exquisitam, sed notham. Huic accedit, quod dulcia syncera in bilem facilè quidem transmutantur, sed mixta cum aquis, & humoribus refrigerantibus, non æquè facile in bilem abeunt: vnde Hipp. Lib. 4. de rat. vict. text. 5. in eiusmodi febribus aquam cum mulsa tanquam victum tenuissimum, & refrigerantem imperabat. Ob hāc eandem causam Galenus mulsam synceram, sine aqua non probat, multa tamen aqua perfusam instituit. Ad hunc etiam refrigerandi scopum ex vsu erunt externa remedia v. g. *Probātur serapia cō tra aliorū sententiā.*

Recipe Cerati Santalini vnc. vnam
Succi Endiuiæ
Succi lactucæ an. vnc. mediam
Acetositatis Citri drach. duas } Misce

Quo mane, & vesperi ante cibum illinatur hepatis regio: idque medicamentum thoraci etiam applicandum esset, nisi incipiens pulmonum inflammatio reclamaret.

De potu autem aquæ frigidæ, qui à Galeno Lib. 4. de rat. vict. tex. 12. in curandis hisce febribus vsque adeò comprobatur, tùm quia bilis feruorem extinguit, tùm quia huius etiam beneficio bilis euacuatur, nihil proponere audeo, quoniam vbi virium robur non adsit, tale remedium ab eodem Galeno Lib. 9. Meth. c. 5. reprobatur, quemadmodum, & materia nondum concocta hoc idem præsidium tamquam valde suspectum excludit. Addo quòd aquæ frigidæ liberalior potus non a quacunque biliosa febre indicatur, sed a vehementi, & exquisita, nisi viscerum obstiterit inflammatio.

In reliquis ad pharmaciam spectantibus non immorabor, quandoquidem aluus soluta, sæpiusq; sponte excitata aliam non requirit per medicamenta euacuationem, præsertim in hac virium imbecillitate; Si tamen in posterum aluus ipsa resisteret, præparati aliqua ex parte homores deturbandi essent, vel syrupo rosato solutiuo, vel manna, vel medulla casiæ cum tamarindis atque consimilibus, a validioribus enim, & acrioribus abstinendū Auicenna, Aetius, & Hippocrates etiam 4. de rat. vict. tex. 6. præcipiunt. Nunc autem satis erit intestina clystere abluere non solùm detergente, ne dysenteria superueniat, sed etiam refrigerante partes, & temperante, vt ex ptissanæ ordeaceæ colatæ libra vna, & sacchari rubri vncia vna, sine sale, vel ex lacte, aut consimilibus liquoribus. Quòd si facilè euomere posset, vomitorium aliquod ex aqua hordeacea tepida, cum modico vel aceti, vel syrupi acetosi simplicis magnopere mihi arrideret: propterea quòd bilis os ventriculi petentis indicium ex eo manife-

stum

ſtum eſt, quòd os perpetuo amareſcat. Et hæc de pharmacia dicta ſufficiant quoad fabrem; cauſa verò morbifica in eiuſmodi ægrotantibus commodè etiam interdum educitur per ea, quæ vrinam mouẽt, quale eſt radicis graminis, apij, petroſellini, & fœniculi decoctum. Sudore quoque aquæ dulcis balneo tempeſtiuè adhibito, hoc eſt, apparentibus ſignis coctionis cum virium robore, peccans humor vtiliter euacuatur, quamuis hæc in præſenti locum non habeant.

Chyrurgicum ſupereſt euacuationis inſtrumentum, quòd ad venæ ſectionem pertinet: de hoc autem antea egimus, deſtillationis, & pulmonum inflammationis cohibẽdæ occaſione, quare nunc ſat eſt dixiſſe, quòd ſi per vires liceret iterum cubiti vena eſſe ſecanda; quatuor enim inde commoda maximi momenti ſequerentur, bilis, nempè vel putreſcentis, vel ad putredinem paratę eductio; caloris febrilis remiſſio; tranſpiratio facilior, nec non humorum ad viſcera, in quibus focus putredinis ſubſiſtit impetuosè affluentium refrænatio. Verùm quia vires ſanguinis miſſionem è maximis venis non permittunt, ad aliud conſimile auxilium, ſine virium tamen deiectione (vt antea diximus) eſt recurrendum: vt videlicet ſanguis ex emorrhoidibus per admotas hyrudines ad vncias quatuor circiter detrahatur, vel (quod magis arridet) cucurbitulas cum ſcarificatione, cruribus, coxis, & natibus affigendas curemus tranſacta exacerbationis hora. Neque, dum hæc aguntur, dimittenda ſunt alexi pharmaca, ſiue bezzoartica remedia, quæ venenatę, malignæque putredini à tota ſui ſubſtantia aduerſantur, vt lapis bezzoar, citri, ſemina, cornucerui vſtum, margaritæ, boliarmeni orientalis lutei coloris, infuſum ex aqua violacea, vel rutæ caprariæ. Ommitto nunc theriacam, mitridatum, & confectionem Dyacinthos, vt quę nimium calefaciant. Hęc pro Illuſtriſſima Muliere dicenda videbantur, in quibus enarrandis ſi lõgiorem fortaſſe quam par eſſet, ſermonem habuerim, vt æqui, bonique conſulatis etiam atq; etiam rogo, quemadmodum & Deum Optimum Maximum mente ſupplici precor, vt laboribus hiſce noſtris, ne irriti ſint, aſpiret.

Appendix.

VT conſultationi huic nuper habitę cum celeberrimis in Vrbe. & & Orbe viris, hęc, quę mox ſcribentur addiderim, illud potiſſimum me hortatum fuit, quòd certò ſciam ex omnibus, quę in hac hiſtoria continentur, obſeruationibus, diligentique ſpeculatione, cõplura ad eam medicinę partem, quàm theoricam appellant, necnon ad praxim ſpectantia, vt è carcere deprompta medicinę ſtudioſis nõ minus vtilia, quàm iucunda fore. Hęc autem trium erunt generum; alia namque ad affectuum cognitionem, alia ad pręnotionẽ, alia denique ad curandi methodum pertinebunt. Quòd igitur ad febris Illuſtriſſi-

lustrissimam Mulierem infestantis ideam, & dolorem attinet, obijciebant aliqui argumenta huiusmodi.

Primum quia sicut malignos appellare consueuimus homines, qui aliud (vt aiunt) habent in ore, & aliud in corde, ita & febres malignæ nuncupantur, quarum ferina symptomata morbi essentiæ, calori scilicet febrili minimè respondent: cum ergo febris, de qua nũc agitur symptomata sæua satis insigni febrili calori viscera exurenti apertè respondeant, maligna censeri non debet. Confirmatur quia morbi maligni non solent decrescere, aut remitti saltem ante eorum vigorem, quare cum hæc febris statutis quibusdam horis remittatur, maligna non appellabitur. *Obiectiones.*

Alterum vero est de lateris dolore, quia Doctissimi Consultores ex eo asserebant notham esse pleuritidem, hoc est, musculorũ costalium externorum inflammationem, quod præter febrem continuã, lateris dextri dolor, & spirandi difficultas cùm tussicula quadam aderant, & parte laborante extrinsecus pressa, dolor excitabatur, ergo pleuritis notha.

Confirmatur, quia si esset peripneumonia, vt ego dicebam, tria potissimum haberemus signa, primo pulsum mollem, cũ tamen in hac ægrotante durus appareat, secundo maxillas rubore suffusas deprehenderemus ob vaporum copiam, qui ab inflammationis, & ebullitionis loco extolluntur: huius vero ægrotantis faciem vniuersam subalbidam, & pallescentem quauis hora nos cernimus. Tertio cruentum, aut rubro colore infectum sputum excerni solet, vt docet Gal. lib. 2. de loc. aff. c. 9. & lib. 2. prognos. 47. quod quidẽ hactenus hoc in morbo non fuit obseruatum, quare his deficientibus signis non videtur esse peripneumonia, sed notha pleuritis.



Hæc autem, & alia id genus argumenta facilè solui possunt. Primum vero, quod spectat ab febris ideã ita soluitur, quia maligni nomen Hyppocratis, & Galeni doctrina varium est: interdum enim idem significat quod ferinum, magnum, perniciosum, siue pestiferũ, & sic Hyppocrates lib. 2. de morb. vulg. sec. prima non procul a principio febres, autumnales, quibuscum cardialgia ferinaque symptomata coniunguntur, minus malignas appellat, quod tempori familiares sint; malignæ igitur febres ab Hyppocrate censentur, quæ sunt perniciosæ, & prauæ, licèt maligni morbi dici propriè nequeant, qui temporis consuetam constitutionem sequuntur. Huiusmodi autem febres a putridis communiter dictis interdum differunt quia ab excellenti putredine ortum ducũt, vt notat Galenus 6. epid. com. 2. tex. 29. cuiusmodi est febris nunc proposita. Nõnunquam etiam maligni affectus nomine Hyppocrates, Galenus, & veteres alij morbos eos intelligunt, qui, si propriam essentiam, & symptomata, spectes, vt plurimùm mites quidem videntur, perniciosissimi tamen & magna ex parte lethales sunt, quos, propriè loquendo, mali moris veteres vocaue- *Solutiones.*

cauerunt: ac proinde Hyppocrates 6. de morb. vulg. sec. 2. tex. 34. febres malignas paruis appellare visus est, quod propria essentia, symptomatumq; natura (licet non omnium) paruæ videantur, periculosæ tamen admodum sint, cum in illis symptomata (si quæ sæua appareant) febris magnitudini non respondeant, cumque & in externis, & internis partibus nullus calor mordax percipiatur, vbi habet Hyppocrates faciem malam, hoc est, summè extenuatam in eiusmodi paruis febribus longè maius vitæ periculum portendere, quàm in manifestè magnis: quoniam in his symptomatis causa intemperie magnitudini accepta refertur, in illis autem venenatæ, malignęque causæ naturæ nostræ a tota substantia aduersanti, ac delitescenti. Ex quibus hunc in modum declaratis vnicuiq; innotescere potest, præsentem febrem malignam iure appellari posse secundum alterum huius nominis significatum.

Confirmatio quoque labescit facile, nam, licet febris hæc interdũ ita remitti iudicetur, vt nonnihil Illustrissima ægra quiescat, non tamen ipsam febrem suaptè natura remitti censendum est, sed ipsius dumtaxat exacerbationis declinationem fieri. Quamobrem hinc deceptionis occasio erat, quia illi, qui aderant, comparantes statum pręsentem declinantis exacerbationis quietiorem cum statu eiusdem acerbiore, ægram melius sese habere, febremq; declinare falso existimabant. Huiusmodi euentus quamplura extant exempla apud Hyppocratem multis in locis, sed præsertim dum lib. 1. epid. sec. 3. in prima historia Philiscus adducitur, qui febre corripiebatur tam acuta, & maligna, vt die sexta obierit, & tamen secunda inclinante die cuncta symptomata remittebantur, necnon tertia die manè, & vsque ad meridiem visus fuit immunis a febre. Nota

Secundum vero argumentum, quod spectat ad lateris dolorem, facile diluitur si priùs consideremus quid sit pleuritis exquisita, & notha quiduè sit peripneumonia.

Notãda. Pleuritis idest lateris compunctio exquisita, vt omnes fere arbitrantur, est inflammatio membranę costas cingentis, vel musculorũ illi continuorum in parte interna. Pleuritis autem notha est musculorum externorum lateris inflammatio, interdum vero dicunt pleuritidinem falso putatam esse dolorem cum insigni spirandi difficultate, ac cum febre procedentem a copia crudorum succorum, qui in vacuum thoracis locum, aut in pulmonem repentè se ingerunt, membranamque subcingentem distendunt, & vias spiritus intercipiunt.

Nos autem cum Hyppocrate in lib. de loc. in hom. tex. 91. pleuritidis, siue morbi lateralis nomine pulmonum alterius dumtaxat lateris inflammationem intelligimus; peripneumoniæ autem nomine pulmonum secundùm vtramque partem inflammationem esse affirmamus, quod pauci adnotarunt. Quamobrem semper in hac fui sententia, vt lateris dolores magna ex parte ad pulmones pertineant,

raro

raro autem ad membranam illam costas subcingentem, cum in pluribus præsertim corporibus post obitum dissectis ægrotantium, qui communiter accepta pleuritide periisse iudicabantur, non membranam hanc affectam fuisse, sed pulmones obseruauerim vna cum sua membrana laceratos, & corrosos. Sed vt ad institutum redeã ingenue fateor Illustrissimam mulierem nõ laborare musculorum costalium inflammatione, vt alii censebant, nam cum diligenter obseruarem laborantem hanc decubitum in partem affectam facile sustinere, non posse autem in latus oppositum cubare, certo prænunciabam sedem affectam internam esse pulmones nempe vna cum membrana illos circumcingente. Ex dolore namque graui, sed non punctili cum stertorosa, & difficili respiratione, atque pulsu magno, lãguido, & cũ multiformi inæqualitate facile intelligebam pulmones inflammari.

Neque obstat quod de tribus signis deficiẽtibus afferebatur in medium, quoniã incipientes morbi omnia statim signa manifeste haudquaquam exprimunt, licet horum vnusquisque, simul atque inuadere cęperit, huiusmodi speciem habere videatur, qualem eius generis maximus, & consumatus iam habet: incipientes. n. a consumatis sola magnitudine deficiunt, quemadmodum Gal lib. de morb. temp. c. 1. exemplo ab inflammatione petito aperte declarauit. Vt autem ordine retrogrado procedamus, quod ad excreta attinet, quamuis in hoc affectu non semper ab initio aliquid inter tussiendũ ex pulmone excernatur, plerumque tamen per morbi incrementum, ac vigorem, cruentum ex eo detruditur, quoniam illud est, quod tenue ex inflammato loco tandem exudat, & excernitur.

Neque etiam inter huius morbi initia tanta in loco inflammato ebullitio excitatur, vt vaporum sublatorum copia malæ rubore coafficiantur.

De pulsu autem in hac Illustrissima laborante peculiaris est ratio a nemine fortasse hactenus perspecta. Peripneumonia. n. laborantium pulsus ideo molles euadunt, quoniam pars inflammata, pulmo videlicet, suapte natura humida, mollis est, & laxa, vt Gal. etiam placuit lib. 4. de caus. pulsc. c. 12. At cessante hac causa, rationi consentaneum est, effectum quoque inde pendentem cessare. Quod hic locum habuit, quandoquidem dissecto cadauere, reperti sunt pulmones pene tabefacti, & exsiccati, præsertim quoad partẽ eorum sinistrã. Etenim licet secundum propriam eorum substantiam in summam maciem, siccitatemq; dextri quoque pulmones ob eãdẽ causam incidissent, multa tamen ascititia humiditate suffusi ob inflammationem a sanguine pituitoso ea in parte inceptã, molles, & flaccidi apparebãt: imo coruptio quædã in membrana pulmones subcingente eiusdẽ dextri lateris manifeste cõspiciebatur. Partes igitur internæ, vt prædicebam, afficiebantur non autem externæ, nisi alio quodam leuiore, & peculiari affectu. Est verò euidens atque in propatulo, vt arbitror, pulmones tantam

K immo-

immoderationem, ficcam, tabidamque affectionem hanc tam breui temporis ſpatio, quo mulier ęgrotauit, minime contraxiſſe, ſed multo antea, tum ex naturali quadam ad ipſam propenſione, accedente ſenili ætate, tum etiam ex vniuerſa victus ratione prægreſſa, quippe cum animi, & corporis laboribus vigiliis, & frequenti ieiunio pietatis cauſa ægrotans dedita maxime eſſet.

Cur verò inflammationis huius aliqua ſigna ſuperius a me allata, ſitis nempe, ſpirandi difficultas, & tuſſicula manifeſte apparerent: alia autem, nempe pulſus mollis, malarum rubor, & ſputum cruẽtum inflãmatione inchoante deliteſcerent, ea ratio adduci poteſt, quod hæc vnum duntaxat morbũ peripneumoniam videlicet ſequebantur, illa verò non ſolum huius incipientis morbi ſoboles erant, ſed, & deſtillationis, & febris, & anguſtiæ cuiuſdam vaſorũ ad pulmones pertinentium, qui quidẽ affectus iam inſignes erant, & patentes. Atque de difficultatibus ſpectantibus ad huiuſmodi ægritudinis cognitionem hæc dicta ſufficiant.

Diuerſa opiniones. Sed longe maior orta fuit inter nos controuerſia de morbi futuro euentu. Nam alii iudicium ſuſpendentes aſſerebant ægrotantem non in præcipiti, ſed in ancipiti periculo verſari: nihilominus de futura ſalute alacriori animo ſperabant quam de morte timerent.

Propria ſententia. Alii verò mulierem hanc ſanandam eſſe audacter prænunciabant Hypp. authoritati innixi Aph. 2. aph. 33. aiebant enim Aegrotantem mente conſtare, beneque ſe habere ad oblata, quorũ quidem ſententiæ nequaquam adhærere poteram, quod iam diu mihi exploratum eſſet, duo illa ſigna ab Hypp. loco citato adducta, nempe mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bona quidem in quouis morbo eſſe, ſed non neceſſario ſalutaria, quandoquidẽ in lethali morbo, quem ibi non excludit Hypp. ſalutem pertendere nequeunt. Quidam ſane ſunt morbi, qui mentem ſtatim perdunt, nec tamẽ ægrum ſemper interimunt: alii verò ſunt, in quibus mens fere vſque ad mortem illæſa ſeruatur; Quare duo iſthæc ſigna in quouis morbo bona quidem ſunt, & his oppoſita mala: verum hęc non ſemper lethalia, illa verò non perpetuò ſalutaria ſunt exiſtimãda: ſed ne videamur verba potius reſpicere, quam rem ipſam attendere, omittamus noſtram hanc illius Aphoriſmi commentationem, & per illud verbum bonũ, ſalutare, & per malum, lethale ſubaudiamus: vtcunque enim ſit Hyppocraticus ille ſermo mortem potius, quam futuram ſalutem prædicendam nobis perſuadebat, quandoquidem Illuſtriſſima Mulier nec bene ſe habebat, ad oblata, nec mente conſtabat, vt mihi diligenter, & ægram, & aſtantes interroganti innoteſcebat: nam (quod ad ſecundum attinet ſymptoma) quam maxime conquerebatur de appetentia abolita, & turbata, verum obedientię cauſa vim ſibi ipſi inferebat, vt oblata ſibi alimẽta expeditius ſumeret. Vnde Mulieres, quæ aſſiſtebant, deceptæ Medicis referebant Mulierem Aegrotantem cuncta,

quæ

quæ illi offerebantur, alacriter sumere; & hinc colligitur quam maxime accuratum oportere medicum esse in perquirẽdis omnibus, quæ ad laborantes spectant. Quod autem mens in hac patiente turbata, & læsa esset, duo præcipua inter alia signa id demonstrabant: alterũ, quia morbum sane grauissimum nõ percipiebat, nisi satis ignauiter, signũ profectò mentis laborantis euidẽtissimum, vt Hyppocrates testatum reliquit 2. Aph. aph. 16. alterum mentis aberrantis signum ex eo facile intelligebatur, quod in præcipuis animi moribus ægra sibi ipsi, dum bona fruebatur valetudine maxime dissimilis erat, signum quidem in genere malorum maximi momenti apud Hyppocratem in lib 1. progn. & in lib. pariter primo epidem.

Duo etiam in genere excretorum, sudor nempe tentatus, & vrinæ multæ maxime deterrebant me, quibus tamẽ tanquam iudicatoriis, salutaribusque signis alii magnopere fidebant. De sudoribus sic sentiendum putabam. Cum enim sudores non erumperent in diebus decretoriis (quoniam 4. 5. & 6. confuse apparebant) cumque ex toto corpore nõ procederent, sed ex superioribus duntaxat partibus, cumque demum exigui, ac fere frigidi, & sine vlla morbi alleuiatione prorumperent, inutiles prorsus a me censebãtur ratione, quotidiana experientia, & Hyppocratis auctoritate 1. Progn. 22. *Quid sentiendũ de sudoribus.*

De vrinis autem, quæ in fine quartæ diei multa copia prodire cœperunt vsque ad septimam exclusiue, non minor surrexit inter nos difficultas: aiebant enim alii excretionem hanc criticam esse, ideoque salutarem, quod quidem mihi rem ipsam intimius perscrutanti nulla ratione persuadere poteram, propterea quod vrinæ tales nullum coctionis rudimentum præseferebant, neque signum aliquod præcesserat, quod naturam coctionem aggredi indicaret: nõ enim in die decretorio, neque in morbi vigore, sed in primo potius augumento moueri cœperunt, & sine aliquo successu: quæ omnia euacuationẽ hanc symptomaticam, inutilemque esse prænunciabant. Præterea spontaneæ euacuationes criticæ in morbis præsertim acutis affatim fieri solent, breuique temporis spatio finiuntur, vt ratio, rerum euidentia, & grauissimorum auctorum testimonia docent. His accedit, quod huiusmodi vrinæ flãmeæ, & passæ magna ex parte obseruabantur, quas quidem ęstus febrilis corporis, humorumque molem colliquãtis vim denotare proditũ est: alias enim fere albæ, & tenues fuissent. Etenim cum vitio renum vi maxima ex omni corpore serum prolicientium, assidueque profundentiũ multa excernitur vrina, ea fere alba, tenuis, & sine hypostasi cernitur, vt fusius in tractatu nostro de vrinis explicauimus. Et quoniam humorum colliquationem alii non concedebant obiicientes Hyppocratem nullam aliam obseruasse colliquationem, nisi viscerum, & partium solidarum, quæ tam breui temporis interuallo in proposito casu locum (vt aiebant) habere non poterat: ideo pręter Hyppocratis loca tunc allegata, in quibus humorum col- *Difficultas de vrinis.*

Nota

liquationis aperte fit mentio, nūc etiam placet clarioris doctrinæ gratia colliquationis ordinem paucis explicare.

Ordo colliquationis.

In cunctis propemodum affectibus colliquantibus, primo spiritus, & sanguis in venis, & arteriis minoribus contentus collabitur, secūdo autē humor ille, qui veluti ros singulas corporis partes irrigat, tertio quorū substantia ex concreto humore constat, vt adeps, deinceps caro, dum autē longius procedit, etiam partes solidæ attenuatę diffluūt, quales sunt venæ, arteriæ, nerui, ossa, & reliqua dura. Id, quod sane innuere etiam videtur Gal. ipse lib. 1. de febribus c. 2. & 3. necnō 5. Meth. Med. Igitur qui humorum negant colliquationem, naturæ ordinem quoque negare videntur.

Alia quoque ratione vrinę huiusmodi malę mihi videbātur, nempe, quia inæquales erant, & distantes diuersis temporibus: huiusmodi autem vrinę ex eo fortem in corpore tempestatem, ac seditionē significant, quoniā contrarios iugiter morbos sequuntur, & harum meminit Hypp. Aph. 7. aph. 33. licet non me lateat Gal. aliam commentationem citato Aphorismo dedisse. Sed de vrinis hactenus.

Alias quoque deiectiones, quę frequentes erāt, & multæ cum aliis consultoribus probare non poterā: intelligebam. n. deiectionem multam ante concoctionē potius esse signū impatientię morbi, quam fortitudinis expultricis facultatis. Multa etiā alia signa malę huius morbi fortunę adducere possem, quę breuitatis causa non recensebo. Duos tamen hyppocraticos sermones huc spectantes in memoriā reuocare non displicet; quorum alter est Aph. 48. 4. sect. In febribus non intermittentibus si exteriores partes frigidæ fuerint, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale est. Hic fere casus erat. Alter est Aph. 50. eiusdem 4. sect. Quando in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium accidit, lethale est, quod nimirum, & cerebrum, & instrumenta spirationis lęsa esse significent, quibus subinde febris accedit cōtinua, quę per se sola satis est efficax, vt vires corporis prosternat. Et licet aliquādo spirandi difficultas crisim antecedat, humoribus per partes thoracicas sursum sublatis sine tanta pernicie, hic tamen ægra debili existente ante omnem peccantis humoris concoctionem mortem minabatur. Spirandi quippe difficultatem hanc omnes, & Medici, & astantes nouerant, delirium autem (vt ita dixerim) tacitum non omnes: quamuis n. nec absurda loqueretur, nec temeraria moliretur: nihilominus quia (vt antea dictum est) morbum grauissimum, acutissimumque fere nō sentiebat, atque sibi ipsi in singulis propemodum dissimilis erat, mētem ęgrotare facile intelligebatur. Atque de dubiis ad præsagia pertinentibus hęc dicta sint satis.

Dubitatio de opere chyrurgico.

De tertio autem proposito ad opera medica spectante, in quæstionem vertebatur, num inhibendę destillationis gratia, e qua suffocationis periculum (vt dicebam ego) impendebat, phænigmo ex thapsia, siue synapismo, aut huiusce generis dropaci aliquo, vel in syncipite inustio-

inustionibus more Hypp. redundantes in cerebro humiditates exiccare, simulque intus existentes foras trahere expediret: quod quidem non solum magnopere probabam, sed quamprimum prestandũ summis rationibus contendebam: verebar.n.quam maxime futuram aliquam precipitem fluxionem humorum cerebro insidentium, & a calore febrili colliquatorum. Obiiciebant autem. Si futuram times capitis excrementorum a calore febrili fluxionem; cur sinapismum excalfaciendi facultate præditum capiti admouendum proponis? nõ ne valentius hoc excrementa capitis liquabit, quam febrilis calor? Non vrget (respondebam) argumentum, quandoquidem liquati a medicamento humores, foras proliciuntur etiam, indeque fluxionis impetus cohibetur. Cuius operis consimilis illustre extat exemplum apud Galenum 5. Meth. Med. cap. 14. qui pro inhibenda acri destillatione dropaci ex thapsia vtitur: rursus instabant Gal. hoc in opere ab Alexandro increpari. Ad quam quidem obiectionem responsum volui: vniuersam medicorum scholam hac in re aduersus Alexandrum Galeni partes tueri: quoniam maius vtique commodum videbatur comparari ægræ ex destillationis inhibitione, tum propter eius extionẽ, tum etiam propter reuulsionem, quam incommodum ex admoto calido medicamento, vel etiam intense calefaciente; licet acris esset destillatio, & a calida cerebri intemperie ortum duceret: atque nisi præceps, & imminens periculum prauidisset, tali vtique non esset vsus medicamento: quemadmodum facile est intelligere apud eundem Gal. 6. de sanit. tuen. cap. 9. vbi reprobat medicamentum, quod ex thapsia, & sinapi paratur, cum ex calida capitis intemperie fluxio fiat, quoniam hic graue periculum non imminebat. Quòd si tali vtitur medicamento Galenus in fluxione calida, ab intemperie cerebri pariter calida pendente; tanto vtilius, ac securius in fluxione potius frigida a refrigerato, humectatoque cerebro profecta tale nos vsurpare possũmus medicamentum, quod promptissime, nec admodum vehementi ardore liquatos serosos humores è cerebro, & capite largiter trahat, euocetque. In hac tandem controuersia, & opinionum ambiguitate conclusum fuit, me quidem presente, sed nõ consentiente presidium hoc in sequentem diem distrahendum, quòd iam inclinata esset dies, & futura instaret accessio. Vnde statim discessi nõ amplius rediturus; verum hora quinta circiter sequentis noctis summis precibus accersitus Illustrissimã Mulierem inueni anxiosam, valde siticulosam, huc, illucque inquietam se iactantem, cuius extrema refrigerata non amplius recalescebant, difficile, & cum stertore respirabat, prompte tamen loquebatur. Quibus omnibus exacerbatis symptomatis preceps destillatio (quantum ego potui coniicere) ita impetuose accessit, vt præclusa impeditaque spiritus via, temporis breuissimo momento præfocata perierit.

Determinatio cum solutione argumentorum.

Hanc autem historiam longioribus demonstrationibus, atque

inanioribus ambagibus posthabitis, nunc enarrare aggrediebar, non quidem ostentationis gratia, neque ad doctrinæ auram captandum, nec etiam, vt consocios, consultoresque viros alioquin doctissimos (licet a placitis meis toto cœlo dissentirent) calumniarem, & maledico dente carperem, sed vt ingenue faterer quod sentio. Scio enim multa a peruulgatis opinionibus, & vsitatis magnorum Auctorum sententiis esse in Arte nostra discrepantia, & a celeberrimis Viris in disceptationem non pauca vocari intelligo: Artisque nostræ generalia etiam præcepta ab omnibus citra controuersiam recepta nodo non carere. Cum nihil fere tam clarum sit, quòd nullam obscuritatem habeat: tam certum, quod in quæstionem, disputationemque verti non possit: præsertim cum coniecturis magna ex parte ducamur. Quare euentum cognoscere promptum quidem est, sed euentus causam coniicere difficillimum; non igitur tacito odio, nec occulta simultate hæc scribebam, sed vt nonnullas Auctorum nostrorum generales præceptiones ad praxim pertinentes, ex hoc euentu illustrarem.

De imminuta oculi sinistri visione pro Perillustri, ac admodum Reuer. Patre Bartholomæo Blondo, Consultatio XXVII.

Affectus, & sedes affecta. IMminuta visio primi generis symptoma, actionis nempe visoriæ facultatis, morbum veluti causam proximam interiorem in Perillustri, ac admodum Reuer. Aegrotante consequitur, hic autem est duplex, in via scilicet, & in aucta magnitudine. *Morbus duplex.* Ita enim in sinistro oculo solaris luminis meatus obstruitur, qui in tunica ragoide habetur, vt proprium visus instrumentum non amplius cum ambiente aere iungatur.

Hyppochysis quid sit Qui quidem affectus hyppochysis, siue suffusionis speciem quādā proxime æmulatur, est.n. humorum effusio quædam inter corneam, & crystalloidem concrescens cum quadā pigri etiam humoris in cornea iuxta pupillam concretione, vt visu deprehenditur. Rursus cum cornea ea parte, qua pupillæ è directo opponitur vesicæ instar extuberet, veluti aqueo humore repleta, auctæ magnitudinis morbus in ea intelligitur. *Oculi pustula.* Quem affectum Auic. vesicam, Celsus pustulam, Græci phlictænam appellare consueuerunt. In quo quidem affectu, materiā *Sedes affecta in oculi pustula.* inter corneæ tunicam primam, & secundam cōtineri ex eo cognoscitur, quòd pustulæ color niger apparet: nam si inter tertiam, & quartā insideret, alba cerneretur pustula: hanc sane differētiam Aetius, & Auic. perbelle agnouerunt, licet in assignanda huius differētiæ causa dissentiant. *Causa efficiens.* Causa vtriusq; affectus efficiens, humor pituitosus partim serosus, partim etiam crassior, & pinguior citra vllam controuersiā censendus est: qui è cerebri excremento mutato per venas, & arterias intra craneū magna ex parte in oculum prolabitur. Cerebro nimirum

alias

alias a primordiis naturæ temperato ad calidum non nihil inclinante, vt ex mentis perspicacitate, atque ex ingenii prẽstantia vna cum multis aliis eiusdem ordinis signis facile constat; nunc autem tum ex immodicis animi, & corporis laboribus, sollicitudinibus, vigiliis immoderatis, atque piis, Christianisque exercitiis sine vlla fere quietis intermissione, nec non ex longa ob multa incommoda perpessa valetudine refrigerato, humectatoque plura in dies in hoc viscere collecta excrementa atque ad oculum sinistrum præcipitata, huic totius mali occasionem præbuerunt. Nec solum caput per essentiam (vt ex dictis constat) patitur, verum etiam per consensum tum ab vniuerso corpore biliosa quadam cacochimia Laborante, tum præsertim ab hepate iusto calidiore, a quo sublati vapores in caput præ nimia copia a cerebri infirmo calore cum superari non possint procreandis excrementis materiam continuo subministrant: vnde mirandum non est, si aurium tinnitus, & capitis torpor quidam cum grauis ponderis cuiusdam sensu Reuerend. Laborantem ita premant, vt per incessum vacillet, claudicetque. Hæc eadem cerebri excrementa, quæ ad artus collabuntur, articulares illos dolores ex interuallis quibusdam concitant. Sed præter enumeratos præsentes oculi sinistri affectus duos, corneæ scilicet pustulam, & suffusionem quandam, tertius adhuc superest eiusdem oculi morbus non leuis momenti; hic autem est, qui a Grẽcis ophthalmia (hoc est oculi vitium) dicitur; ophthalmos enim græce, oculum nobis designat. Est igitur ophthalmia oculi inflammatio secundum eius tunicam adnatam, seu coniunctiuam. Quod quidem vitium ex eo nostri lippitudinem vocant, quòd oculus sic affectus, lachrymis, & sordibus obducatur, nam apud Grẽcos limi, apud nos lippitudo, nil aliud, quã oculorum sordes lacrymarum instar significat. Porrò autem morb. hic non est continuus, sed per interualla repetens oculum acerbè affligit; Vt ex agnatæ mutato in rubrum colore, dolore insigni, lachrymis, & sordibus apparet. Vnde inflammationem hanc humidam ex fluxione esse satis constat; quæ cum a causa nunc interna oriatur, nõ notha, sed vera, legitimaque est lippitudo; confluxus autem huius morbi causa duplicem in hoc Laborante originem habet, vna est vniuersus corporis habitus, & caput præsertim; vtrumq. enim, quod, & copia superuacuum est, & qualitate molestum transmittit. Altera est partis nempè oculi laborantis imbecillitas, morbosus calor, & dolor prægressæ inflammationis soboles, vnde pars affecta suscipiende fluxioni maximè opportuna euadit. Humorem autem, qui in oculum influit, huius tertij affectus causam interiorẽ, biliosum esse, multa sunt, quæ aperte ostendunt; lachryma acris, & rodens, corporis habitus biliosa potius cacochimia affectus, quam plethora. Aetas, & temperatura biliosa. Nec minus ex his, quę præcesserunt id percipere possumus: nam, & animi curæ graues, & sollicitudines, inedia longa,

Affectus causa antecedẽs, et procatartica.

Affectæ partes cerebrũ coafficiẽtes.

Lippitudo tertius affectus.

Ophthalmiæ, et lippitudinis nomenclatura.

Ophthalmiæ signa & differẽtiæ.

Ophthalmiæ causa

Humoris fluẽtis species.

Frigidum caput calida etiam excrementa transmittere valet.

vigiliæ, atque medicamẽtorum calidorum vsus pro debellando priore affectu ab humore magna ex parte pituitoso pendente præcesserunt. Nec obstat quòd caput ex accidenti refrigeratum, calidum, acremq; humorem a feruido iecinore susceptum in subiectos oculos effundat, tùm per venas, tùm etiam per arterias, eęque sunt, vel reconditæ, & interiores, vel euidentes, & externæ causæ. Addit, & Auicennas materiam a cerebro descendere, vel per membranas extra, vel intra cranium. Quòd autem per venas, & arterias tam internas capitis, quam externas humor è cerebro in subiectas partes effundi possit, affirmat Gal. etiam lib. de ocul. pluribusq. in locis. Interdum etiam humor in oculi substantia concrescit, ob alimenti proprii vitium, parte vel a natura, vel postea imbecilla existente, indeque ęgre concoquente: sed talis tunc materia fere pituitosa semper apparet. Quod quidem in oculo magis, quam in aliis corporis partibus locum habere videtur, quod scriptum reliquerit Arist. 31. par. probl. Oculum omniũ corporis partium infirmisimum esse. Aliquis autem iure hic dubitare posset, num per neruorum opticorũ patentes satis meatus, fluxio hęc in oculum nunc laborantem ferri posit; pręsertim cum aliqui huius nostræ ætatis Medici, hique primæ clasis arbitrentur, cerebri in oculos fluxiones per iam dictos neruorum ductus fere semper tendere. Hanc profecto assertionem in proposito saltem casu nunquam admittere possum: nam præter quam quod, & Græcorum, & Latinorum, & Arabum plurimi huius transitus non meminerint, sed per venas potius, arterias, & membranas tam interiores, quam exteriores capitis fluxiones in oculos irruere non inuiti admittant; & recte quidem (quantum ego puto) si fluxio in hoc laborante, ex alto per opticos in oculum erumperet, vtique affectus, alteri quoque oculo iam communicaretur, cum horum duorum neruorum vnicus sit consensus. Hic enim (vt omnibus compertum est) etsi a diuersis cerebri partibus ortum habeant, alter a dextra, alter a sinistra; dum tamen descendunt, in medio fere itinere inter se ita coeunt, vt mutuo coalescant; postea diducuntur, & dispartiti ad suum vterque oculum distribuitur: ita vt horum neruorum connexione tantus sit oculorum mutuus consensus, vt male affecto vno oculo, alter quoque (si longius malum protrahatur) facillime coafficiatur. Quare rationi consentaneum magis videtur fluxionem hanc per venas, & arterias in oculum ferri, sicut enim oculi membranæ partim a membranis cerebri, partim ab ipso cerebro ortum ducunt, ita venæ omnes oculi a cerebri venis, & arteriæ ab arteriis, & nerui a neruis proxime defluunt. De dignostica satis. Igitur ad medendi methodum deueniendum: Quam quidem ad tria capita referam. Primum præteritorum. Alterum præsentium. Tertium futurorum. De primo. Spectatis inter morbi initia signis suffusionis incipientis, quòd rerum falsæ quædam imagines oculo sinistro obuersarentur, cum

Oculi excrementa citra fluxionem.

Infirmissima pars est oculus.

Dubitatio de fluxionis spatio.

Opticorũ neruorum consensus.

Oculi partiũ origo.

Curatio.

eiusdem

eiuſdem oculi obſcuritate manifeſta. Necnon etiam ophthalmiæ viſis præludijs circa eundem oculum. Atque cum his cognita totius corporis habitus biliosa quadam cacochimia hepatis iuſto calidioris vitio. Victus ratio in primis præſcribenda erit ſalubris, morbo nempè, & cauſæ contraria, hoc eſt tenuis, & refrigerans quòd ophthalmia à calida fluxione proueniat. Proinde imperandum illi etiam erat ne manducaret, ſed ſorbitionibus duntaxat vteretur, ne maxillæ inter manducandum agitatione, oculum moueret; nam membra per motum recipiunt influxus a cerebro, & a toto etiam prouenientes, & licet ſuffuſio incipiens victus rationem calfacientem ſiccantēque potius, & attenuatoriā requirat ex Pauli, Aetij, & Celſi doctrinis: hic tamen maior vtiq; habēda eſt ophthalmiæ veluti affectus vrgentioris ratio: eſt enim lippitudo præceps magis, & acutior morbus ideoq; minus dans inducias; præter quàm quod, & doloris, quem excitat, occaſione, humores tùm è capite, tùm etiam ab vniuerſo corpore ad oculum affectum promptiſſimè euocātur. His accedit quod niſi iecur calidius iuſto, & refrigeranti victu, & medicamentis pariter refrigerantibus emendetur, vtriuſque affectus morboſi cauſa augebitur ſemper; ſuffuſionis nimirum, & ophthalmiæ; huius quidem ob humorū acrimoniam; illius verò ob vaporum in caput eleuatorū copiam, qui quidem cum ab infirmo cerebro ſuperari non poſſint, refrigerati tandem in pituitoſa ex cremēta abeunt: quo ſanè nomine refrigerantium vſus hic maximè probatur, ea tamen lege, & cautione ne excrementa pituitoſa multiplicentur. Singula autē ad hanc victus rationē ſpectantia iam antea præſcripta, nunc recenſere ſuperuacaneum puto. Niſi quod quies, & abſtinentia, veluti prima omnium in hoc caſu (Celſo auctore) pertinaciter obſeruanda conſuluimus. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet, aluo prius lenita melle roſaceo ſoluente, ſectaque vena media cubiti è directò labo rantis oculi poſiti, dein repetita die ſequēti ſanguinis miſſione ex vena eiuſdem brachij exteriore humerali appellata, cucurbituliſque cū ſcarificatione in occipitio affixis, partium pariter infernarum frictionibus imperatis, necnon etiam vinculis ipſis artubus auerſionis gratia; atque acrioribus, bilioſiſque humoribus non ſemel tantū per ventris deiectionem eductis interdum rhabarbaro, nonnunquam pillulis aureis, lucis, & conſimilibus iuxta Galeni præceptū Lib. 13. Meth. Med. c. 22. cui, & Trallianus maximè in hoc cōſentire videtur. Cæterùm malo præ ſui contumacia adhibitis hiſce præſidijs non cedente nec potu, nec aquę dulcis balneo pluries adminiſtrato deliteſcēte; vt fluxioni, vel retrahendæ, vel comprimendæ ſtrenuè incumberemus quamprimum inter ſecundam, & tertiā vertebram cauterium excitandū curauimus; prius tamen ſubtus aurē affectæ partis duabus hyrudinibus appoſitis, necnon excitato ea in parte vlcere per veſicatorium admotum. Quibus remedijs ophthalmia tandem ceſſauit, nec

Victus rō. *Obſeruat.* *Obiect.* *Solutio.* *Medicamētorum ratio.* *Venę ſectio.* *Cucurbitula occipiti affixa, frictiones & vincula.* *Purgātia medicamenta.* vesicatorium.

Hepar refrigerantia. nec amplius redijt. Non minor deinde cura gerenda erat, vt iecur impensè calidum refrigeraretur, ne huius visceris causa lippitudo in posterum repeteret; proinde conseruarum tùm violarum, tùm etiam rosarum frequenti vsu, simulque iusculis alteratis, & aquis stillatitijs refrigerantibus sæpius propinatis, ac cum abstinentia huic calidæ hepatis intemperantiæ occurrendum erat; vnde ad seri caprini vsum quoque deuenissem, si ventriculi imbecillitas non reclamasset. De præteritis satis: *Præsẽtia.* nunc ad præsentia venio. Duo nunc vrgent affectus, nempè capitis grauitas, & affecti oculi suffusio, quæ in dies magis, magisque progreditur, cum quadam corniformis tunicæ excrescentia, superficiaria tamen: *Capitis grauitas. Suffusionis causa.* Prioris causam interiorem, & proximam acceptam ferendam arbitramur humori pituitoso cerebri membranas grauanti, ac distendenti, nec non vaporibus à iecinore continuò sublatis, & tandem refrigeratis, tristem illum ponderis cuiusdam sensum efficientibus. Posterior autem ex frigidis, & crassis, seu lentis succis ortum duxit: vt ex iam antea prælibatis satis constat. *Conscendentiũ vaporum signa.* Continuum interim vaporum ab hepate in caput ascensum significant dolores quidam punctorij, modò hãc, modò illam capitis partem exercentes. De præsentibus hęc paucula sufficiant. *De futuris præsagia.* De futuris modò agamus. Suffusio autem hæc, licet multis iam ab hinc diebus initiũ sumpserit, non vsque adeo hactenus concreuit, quin incipiens adhuc lippitudo iure dici possit, ideoque sperandũ, vt digeri possit iuxta Galeni decreta in fin. Lib. 14. Meth. Med. cui etiam consentiũt quę scribuntur a Celso Lib. 6. cap. 6. præterea si suffusio hæc iam confirmata, & concreta esset, eius vtique est conditionis, vt ex arte recteque *Suffusio, q̃ cõpuncta visionis recuperãdæ spem non adimit.* compuncta, visio recuperari possit, quandoquidem altero oculo conniuenti, alterius pupillam dilatari conspicimus. Quæ autem suffusiones citra manus administrationem curari valeant, & quæ chyrurgiã requirant, a Paulo Lib. 6. c. 21. scriptum reperitur. De pustula verò sic sentiendum puto; cum profunda non sit, sed superficiaria tantùm, *Pustula curatu facilis.* ab eodemque pituitoso, serosoque humore originem ducat, curatu facilem fore non diffido. Illud solum difficultatem aliquam mihi facere videtur, quod laborans hic oculus a teneris ferè annis altero imbecillior semper fuit, vt ex ipsius ægrotantis ore accepi. Verùm *Regio calida cur morbũ minus contumacem efficiat.* sumpto argumento a motu, & quiete causæ morbificę sub Cælo hoc Romano calidiori quidem curatu facilior cum reddatur affectus, tutius morbum fore salubrem sperare possumus: regio enim calida, vt latitudinis pororum causa materiam morbificã mobiliorem, & minus pertinacem reddit, ita vt sponte etiam ad aluum sæpè moueatur, qui *Vt alui fluor lippiẽti bonus ita & suffusione petẽti.* quidem motus quantum habeat momenti ad morbi huius solutionem Hyppocrates Aphor. 6. aphor. 17. scriptum reliquit, vbi habet, lippientem alui profluuio deprehendi bonum. Ergo, & suffusione laboranti ob eandem pariter causam alui fluor superueniens salubris existimãdus. Cęterùm quoniam suffusio hęc a materia pendet craffiore,

siore,lentioreque non nisi tẽporis longiore spatio digeri poterit, præsertim cum hyems iam instet. Sed curationem iam aggrediamur. Imperata in primis victus ratione calida temperate,& sicca, tenui,& attenuante,quòd materia morbifica aquosa pituitosaque sit,ob id ieiunio,& abstinentia summa,præscripta, rigorosè obseruanda,vbi in morbo hoc diuturno per vires liceat, vino interdicto saltem diebus aliquot,aere ad calidum arte, vt igne vel idoneis suffitibus alterato, omnibusque alijs sumendis,& admouendis calfacientibus,& moderatè siccantibus rectè institutis: quatuor sese offerunt scopi, in quos opus omne dirigendum. Primus concoctio humoris peccantis,frigidi nempè crassi,& lenti, vt melle rosato,oxymellite simplici, Syrupo stæchados cum duplo aquarum fœniculi,Maioranæ, aut Betonicæ, pluribus diebus continuis propinatis. Secundus præparatæ iam materiæ purgatio, vt pilulis de hyera cum agarico, de tribus cum Rhabarbaro, cochijs, lucis, & agarico trochiscato iterum atque iterum repetitis. Tertius in auertentibus præsidijs scopus est positus, hæc autem erunt,præter repetitas sæpius purgationes,clysteres acriores, balani,partium extremarum frictiones, vincula dolorifica, fotus ex aqua calente,vesicãtia cruribus, & brachijs admouenda, nec non etiam(malo non cedente)phænigmo, & cauterio,si præceps fluxio deprehendatur,in coronali, aut propè aures vtendum erit, cucurbitulæ quoque non solum cruribus,coxis, natibus, & dorso cum incisione affixæ,sed etiam occipitio eiusdem sunt ordinis. Cauterium autem quia paucis ab hinc diebus inter primam, ac secundam vertebram fuit excitatum,in multos dies apertum seruandum, etiam atque etiam hortor, quippe quod auersionem egregiè moliatur. In hunc vsum etiam apophlegmatismi ab Hyppocrate maximè probãtur,vt qui non solum à capite, & ab oculis reuellant, verùm etiam, & caput,& oculos satis commodè expurgent, propterea masticatorium ex mastice,& ocularijs medicamentis cum cera confectum magnoperè profuturum speramus. Errhinis autem non nisi mitissimis, & cautè admodum vtendum,valida enim laborantibus oculis valde mihi suspecta semper fuere,quoniam ob meatuum ad nares,& oculos pertinentium propinquitatem, & consensum, capitis præsertim repleti,excrementa ad oculos præcipitare interdum solent, post quæ omnia si mali incrementum coerceri non possit,ad reflectendos quã tum fieri possit vapores,qui à feruido iecinore, & a toto corpore suscitati assiduè in caput,& oculos efferuntur. Alterum in crure dextro cauterium inurendum, maximè necessarium arbitror. De venæ sectione in his duobus affectibus ab vna eademque causa pendentibus, suffusione videlicet, & pustula seu vesica hunc in modum statuendũ puto, licet Arabes venam secare in hoc affectu ex eo formidare videantur, quoniam quam maximè verentur, ne per hanc euacuato sanguine, cerebrum refrigeratum magis humorem aquosum largius

Tempus.

Curatio. Victus ratio.

Humoris præparatio.

Auersio.

Masticatorium.

Errhina.

Cauteriũ in crure.

De venæ sectione in suffusione.

gius cumulet, ac in oculum transfundat (quod si de larga sanguinis detractione intelligatur, cum illis non inuitus consentio) auersionis tamen gratia sanguinem pauca copia suffusione laborantibus mittendum, nemo negare debet; proinde Celsus in curando hoc affectu sanguinem ex vena frontis, vel ex naribus mittendum consulit, additque venarum temporalium sectionem, vt, qui per eas defertur vapor intercipiatur. Quamobrem aliquam hic, vel per sectam sinistri brachij venam, vel per hæmorrhoides sanguinis missionem vtilē futuram non dubito, vt etiam calidis postea fomentis, suffusio resoluenda tutius digeri possit.

Obiectio. Si quis autem obijciendo immensam hanc præsidiorum syluam improbaret, quippe quæ institutam medicationem morbo fortasse grauiorem reddant; huic responsum volo, *Responsio.* medicamenta hic enumerata, non eo consilio esse præscripta, vt omnia cumulatim ad vsum deducantur, sed vbi facilioribus, a quibus est semper incohandum, affectus non cedat, ad fortiora ordinatim deueniatur; quæ quidem diligentia si in vllo præter naturam affectu curando adhibenda est, profectò in oculorum vitijs tractandis accuratissima est debet: etenim, vt visus reliquis sensibus præstat, quia multas rerum differentias monstrat, ita & oculus reliqua sensuum organa longè antecellit, vt non immeritò animi sedem, & maxima anima indicia in oculis existere multi arbitrentur, præter quàm quod magnam partem ad vitæ simul vsum, & dulcedinem conferant oculi nostri Celso Auctore Lib. 6. vnde summa quoque cura tuendi sunt; quapropter haud quaquam mirari oportet si in Asia, Syria, & Media ocularij Medici præstantissimi omnium censeantur. *Oculi præstantia.* Sed de tertio scopo satis superq; dictum sit. Quartus ad medicamenta spectat oculum, & caput roborantia, iugiterque materiæ reliquias tergentia, & dissipantia partim assumpta, partim admota, corpore tamen toto, atque adeo capite ipso exquisitè euacuato. *Digerētia medicamenta.* De assumendis, opiata, electuaria, & pulueres probantur, vt

Recipe Conseruæ Anthos	drach. I.		
Conseruæ Rosarum	drach. ij.	} Misceantur.	
Specierum Diamarg. calid.	scrup. I.		

Vel

Recipe Mithrydatij	drach. s.	
Specierum aromatici rosati	scrup. I.	} Misceantur.
Spicæ Nardi	scrup. s.	

Vel

Recipe Conseruæ Betonicæ	} an. drach. I. s.	
Conseruæ Rosarum		} Misceantur.
Confect. Hamach	drach. I.	

Ligni decocti quō parandū. Ex his interdum vnum, modò alterum, aliàs, & tertium hora somni exhibendum, vt cum cibi vapore medicamenti vis in cerebrum, & ocu-

& oculos rapiatur. Interim verò, vt capitis, & oculorum excrementa prorsus dissipentur, atque hæ partes roborentur, ligni indici decoctū per triginta, aut etiam quadraginta dies epotum cum simplicibus tamen ocularibus paratum, maximè opportunum fore nō dubitamus, præsertim si hoc tempore sudor prouocetur, capite tamen, & oculis ab incalescentia defensis. In hunc igitur modum parabitur.

Recipe { Ligni Sancti torniti drach. 2. s.
Salsæ Pariliæ drach. s.
Radicis Sassafrass. drach. 2.

Infundantur per diem, & noctem in aquæ communis libris quatuor, dein bulliant ad consumptionem medietatis, in fine adde ad ebulliendum eufragiæ, chelidoniæ, verbenæ, fœniculi, betonicæ singu lorum pugillum vnum, colentur, & percolati vnciæ sex, vel septem in aurora propinentur.

Super eisdē fragmentis abiectis herbis effunde aquæ communis lib. 12. & facta per horas duodecim infusione, bulliāt ad cōsumptionē quartæ partis, in fine ad ebulliendam radicis altheæ (emollitionis gratià) drach. 2. fœniculorū drach. 2. coletur, & vsui seruetur pro potu quotidiano. Cum qua etiam vinum (quod inclinante morbo non denegatur) attemperari vtiliter potest. Inter ea verò medicamenta, quę extrinsecus adhibentur, caprioli, vel perdicis, aut galli fellis ad balneū mariæ elambicati gutta vna, vel altera affecto oculo singulis sex horis infusa mirificè proderit. Aqua stillaticia leonelli. Collyrium ex felle capræ vetusto cum modico vini, & melle, & aqua mellis stillaticia primas ferè partes in hoc opere obtinere existimatur. Sed duo præ cæteris in hunc vsum collyria maximè probamus. Alterum, panis ex tota farina cum rutæ, chelidoniæ, eufragiæ, betonicæ, & fœniculorū pulueribus, melle addito paratur, qui excoctus, & recenter ex furno extractus in partesq; dissectus intra vasa duo stannea, vel argentea concluditur, inde aqua quædam colligitur, quæ guttatim in affectos hunc in modū oculos instillata mirificè conducit. Hoc aūt sæpius fælici cū successu citra noxam vllam expertum est pręsidium. Alterum.

Topica medicamenta. *Collyria præstantissima.* *Generosum collyrium.*

Recipe { Foliorum Violæ albæ m. 1.
Sem. Raphan. hortensis drach. 1.
Ammoniaci drach. s. misceantur, & pul-

uerata macerentur horis 24. in aquæ fęniculorum lib. 1. Dein bull. vnica leui ebullitione, colentur, & percolato adde succi fœniculi depurati vnc. vnam, Balsami optimi vnciæ quartā partem. Hic autem liquor manè, & vespere instillatus, corpore (vt decet) prius exactè euacuato, non solum præfatum vitium tollit, verùm etiam antiquas oculorū ægritudines ita detergit, & dissipat, vt cataractam etiam citra ferrum mirabiliter auferat. Dum hæc administrantur, ad propositū scopū explendum capiti quoque exsiccantia, roborantiaq; medicamēta sunt admouenda, ea tamen lege, vt id citra calorē insignem præstent.

Qua-

Quare lixiuium parari poterit ex simplicibus cephalicis, & ocularibus, siccantibus quidem sed non impensè calfacientibus pro capitis ablutione bis saltem in hebdomada vesperi; in quo quidē opere tria sunt obseruanda, videlicet, vt contra communem morem, caput ita in occiput declinet, vt oculi sursum aspiciant. Saponis loco amygdalę amaræ tritæ vsurpandæ: & ne calidioribus pannis, neuè nimia commotione caput plusquā par sit incalescat. Deinde capite probè exiccato, ceratum nūc præscribendum commissuræ coronali admoueatur.

Obseruanda in capitis lotione.

Recipe { Carnium conchilliarum exactè contusarum vnc. 4.
Thuris vnc. s.
Mirrhę electę drach. 2.

Ceratum capiti admouendū.

Cum oleo masticino quantum sufficit paretur ceratum sincipiti admouendum, continueque gestandum. Hoc enim citra calorē non solum cerebrum siccando roborat, sed etiam superuacaneas humiditates trahendo euocat; ideoque mirum in modum in hoc affectu curādo benefacit; quippequi, & oculi vitio proprio, & per consensum a cerebro foueatur. Quod si adhuc fluxionis ad oculum reliquiæ deprehendantur, ad intercipiendam fluxionem ceratum ex bolo armena, mastice, & gummì arabici portiuncula paretur, atque ad parui scuti formam super corio extēsum, & temporali arteriæ tenaciter affixum magnopere conducturum certò scimus. Tot mihi dicenda occurrebant pro tanti viri sanitate recuperanda, quæ vt salutaria contingant D. O. M. vehementer precor.

Ceratum temporali arteriæ applicādum.

De Capitis destillatione cum tussicula quadam, iugiterque de febre ad Hecticam tendente, cum virium motricum imbecillitate, & corporis summa macie pro Perillustri, & Nobilissima D. Lisa de Bon Compagnis Romana, Consult. XXVIII.

QVoniam, & membrorum omnium, & symptomatum Nobilissimam Iuuenem multis ab hinc diebus grauiter infestantium originem ex natiuo eius temperamento pendere arbitramur, ab hoc propositæ consultationis exordium sumere opportunū fuerit. Hoc autem (si iecur, & totius corporis habitum spectemus) calidum vtique censendum erit: nam, & membrorum omnium per probam valetudinem promptitudo, ac celeritas ad motum, & cum rubore calor, & venarum amplitudo, necnon ventris deiectiones biliosæ, lotiūque flauum, & biliosum, caloris excessum palam ostendunt, siccitati quidem coniunctum, vt ex totius corporis naturali gracilitate patescit. Cerebri pariter caliditatem commostrant oculi magni perlucentes, & valde mobiles, ingenij, ac sensuum omnium perspicacia, atque ex eo quòd calidorum vsu caput maximè læditur: huic autem cerebri caliditati insignem copulatam esse humiditatem demonstrant somni profundiores, & longiores per sanitatis statum, & excremento-

rum

rum per aures, os, & nares frequens copia. Igitur a feruido iecinore sublati continuè calidi vapores in cerebrum, ibique præ nimia visceris huius humiditate in pituitosam materiam commutati excrementis hac in parte cumulandis materiam continuè subministrant: quæ deinceps per asperam arteriam in partes spirituales præcipitata, tussiculam illam excitant. Quæ etiam venas subeuntia, vt pote per quas (scribente Hyppocrate) cerebrum non rarò expurgari solet, sanguinem conspurcando ita vitiant, vt membra non nisi ægrè admodum alere possint, vnde Atrophia, & corporis vniuersi macies, & virium imbecillitas præsertim motum voluntarium efficientium, quæ quidem non solum alimenti vitio, sed instrumentorum quoq; fluxionē suscipientium laxitate minus promptè munia sua obire possunt. Ab eisdem etiam pituitosis excrementis, vel etiam citra obstructionem putrescentibus, quòd (scribente Galeno) obstructio, & prohibita trāspiratio celeris quidem putredinis causa sit, sed non necessariò ad omnem putredinem requisita, febris illa putrida intermittens excitata fuit, quæ per multos antea dies correpta fuit, sine tamē algore, & horrore, quoniam materia tenuis erat non admodum frigida, neque confertim concitatoque motu à venis extrudebatur. Cuius quidem febris per multos dies ab ægrotante neglectæ, dissimulatæque occasione spiritibus primùm accensis, dein humoribus, ac tandem partibus solidis Hectica febris accessit. Cuius quidem duo extant propria signa: perpetuò enim sibi similis est, ita vt nec principium, incrementum, vigorem, nec remissionem habeat, neq; febricitare se percipiat. Et licèt post assumptum cibum non efferuescat, ob id Hecticæ suspicio non excluditur: quandoquidem siue hecticis post cibationem inęqualis accessio contingat, quia arida hecticorum caliditas, humidam nutrimenti substātiam exhalare faciens augeri videatur, vt Gal. 1. de diff. feb. similitudine accepta calcis viuæ, quæ aqua profunditur autumat: siue quia a cibo sumpto membra incalescunt; quoniam quod nutritur alimētum sibi assimilat, vt Auerrhoi placet 4. Colect. Quo fit, vt intendi, augerique calor Hectica laborantis appareat: siue vnà cum Principe Galeno, & Auerrh. subscribente dicamus Hectica laboranris calorem ab assumpto cibo non secus augeri, atque vt augumentatur flamma propter olei iniectionem, & frixio fartaginis cum super eam aqua effunditur; vtcumque certum est, & a nemine hactenus obseruatum non omne corpus Hectica febre affectum ita disponi, vt ab assumpto cibo semper ob commemoratas causas incalescat: quandoquidem vbi eò non deuenerit Hæctica febris, vt solidas partes impensè exiccauerit, ac tabe confecerit, post cibationem, nec modo iam dicto exacerbatur calor, nec vllum febris incrementū apparere potest. Huic accedit quòd membra aliàs substantificè siccata (vt dici solet) nunc ob assiduam capitis fluxionem multa humiditate extranea referta ab ingesto alimento, non ita confertim alteran-

rantur, vt calidum vaporem in vniuersum corpus, concitato motu, effundere valeant. Quare in eadem persistimus sententia Nobilissimam hanc Iuuenem febre Hectica nunc laborare, licet a pastu non excandescat efferuescatque calor: quinimò pulsus nunc frequens, paruus, & debilis non nihil ad duritiem tendens Hecticam hanc in tabem abire significat, si non solum Gal.1.de diff.febr. sed, & rerum euidentiæ credimus.

Cuius quidem causam non solum reiiciendam putamus in putridam febrem multis diebus progressam, verum etiam in calidam intemperiem ipsius hepatis, quod cor in consortium secum trahit; nec non etiam in ipsos pulmones, qui licet humidiores cum sint hecticã non gignant, male affecti tamen, vt in empyemate, in Ptysi, vel etiã excrementorum multitudine oppressi, quod fortasse vitium locum hic habet ob assiduam a capite fluxionem in partes thoracicas; seu quouis alio modo ægrè dispositi eatenus hecticam efficere possunt, quatenus inspiratione ipsa cor pro naturæ præscripto refrigerare haud facilè possunt, nec expiratione expellere fuliginosa, quæ retenta calfaciunt cor, vniuersumque corpus, & inde hectica comparatur, accedentibus præterea mœrore, ira, tristitia, & alijs huiuscemodi animi perturbationibus, quę quantum habeant momenti ad suscitandam in corporibus præsertim calidioribus, ficcioribusque febrem hecticam, & quotidiana experientia, & Galeni auctoritate rationi consentiente Lib.3.de Pręsag.ex pul. facilè est vnicuique intelligere. Quibus omnibus vnum adhuc symptoma, idquè minimè contemnendũ accedit; nimirum diminuti menses, qui non solum copia deficiunt, sed etiam in ordine, & tempore peccant, quippe qui interdum tempus debiti circuitus anticipent, & paulò post cessent, dein cum quodam nixu redeant, ita vt tentata excretio dici possit. Huius vitij causam interiorem acceptam ferendam putamus vitio ipsius sanguinis, qui ab immenso iecoris calore exustus, atque admodum crassefactus, per venas, quæ vtero committuntur, vix permeare, atque foras extrudi possit.

Et quoniam ex menstruo diù retento vterus incalescit, & reliquo corpori calorem impartitur, haud mirari oportet si, & vterus in Nobilissima Aegrotante molestum illum pruritum, vlcerosumque sensum quendam experiatur, & corpus vniuersum plus iusto feruescat, indeque fortassis etiam febris hæc hectica foueatur. Quæ omnia, cum hunc in modum sese habeant, vera, legitimaque curationis ratio erit, vt destillatio, vel finiatur, vel imminuatur, vel saltẽ a thorace in alias partes deflectatur; hectica febris refrigerantibus, humectantibusque superetur, menses pro viribus educantur, ad tandem corpus reficiatur. Verùm enimuerò propositos scopos attingere, idque, quod optamus plenè assequi posse difficile admodum arbitror, tùm quoniam calidum hepatis, totiusquè corporis temperamentum,

mentum, omnium ferè malorum cauſa, illi connaturale eſt ſeminis enim, & naturæ vitia vix vlla ars corrigere poteſt; tùm quoniam deſtillationes valdè contumaces eſſe ſolent in ijs, qui oblongum collum, anguſtumque thoracem, nec non latos humeros habent; talis autem capitis, colli, & pectoris vitiata figura in Nobiliſſima propoſita Aegrotante deprehenditur. His accedit, quòd menſibus deficiẽtibus morbi in mulieribus non modò fouentur, ſed noui in dies ſuſcitãtur. Omitto nunc, quod hectica febris quando eſt cũ ſiccitate, hoc eſt quando tabẽ ſibi iungit, vt facilis eſt cognitionis, ita & difficilis curationis, præſertim in calido, ſiccoque laborantis temperamento. Cæterùm quoniam ex Hypp. Areteus piè admodũ præcipit, vel etiã morituros non eſſe præſidijs rationi cõſentientibus deſerendos, præſertim cũ Hypp. ſæpius audiuerimus dicentem ſe multos præter ſpẽ curaſſe, quod & quotidiana experientia obſeruamus, alacri animo ea omnia ſcribenda ſunt præſidia, quæ cõmemoratis, tùm morbis, tũm ſymptomatis tollendis opportuna videbuntur, ac præſertim cum res agatur cum iuuene, iuuentuti enim omnia ferè ex voto ſuccedere ſolent. Præterea illud etiam futuræ ſalutis ſpem aliquam nobis polliceri videtur, quòd generoſa præſidia præcipuè, maximeq; vrgẽti morbo, nempè hecticæ febri curandæ deſtinata hactenus ob temporis anguſtiam minimè tentata fuere, vt aquæ dulcis lauacrũ, & lac ipſum. Ad quæ auxilia, vt quamprimum deueniatur, primùm de ſanguine mittendo cogitare debemus; nam licet virium imbecillitas, & hectica febris, quæ ad ſiccitatem iam tendere videtur, reclament, nec ſanguinis abundantia id apertè indicet, quia tamen vix tutò generoſa auxilia adminiſtrari queunt, niſi aliqua ſanguinis detractio antecedat, hac non largam, & abundantem, ſed parcam admodum, magnoperè collaturam arbitramur, præſertim ſecta malleoli vena, aut cruribus ſcarificatis; quod quidem præſidium pro reuocandis menſibus ſine virium deiectione alijs probè omnibus a Medicis anteferri, nemo, eſt qui ignoret; ſed vt id tutius agatur, aluum prius leniendam conſulo per accommodata cacochimiæ pharmaca, cholagoga, phlegmagoga, & melanogoga, qualia ſunt ſyrupi roſacei cum rhabarbaro, atramentum caſſiæ nigræ, diacatholicum cum drach. vna cõfect. Amech ſine diagriddio, vel manna cum agarici infuſo diſſoluta cum decoctione cordiali, in qua præbullierint foliorum ſenæ Orientalis drach. duæ. Neque alia deinceps opus erit purgatione, quod antea non ſemel tantùm præpurgatũ fuerit corpus; hæc vna igitur ad deturbandas excrementorum reliquias ſat erit. Ad hæc cauteria duo, vnũ in nucha infixũ deriuationis a capite, & a thorace auerſionis gratia; alterum in crure dextro ſubtus genu, tùm ad euocãdos menſes, tum etiam ad reuocandos vapores in caput conſcendentes maximam opem allatura non dubitamus. In hunc vſum etiam frequentes cruriũ, & coxarum frictiones, necnon ligaturæ, & pedum lotiones ab omni-

bus iure optimo non solum probantur, sed maxime commendantur.

Quo etiam tempore pro expurganda superuacanea materia cerebrum exercente errhyna medicamenta ex vsu erunt; quale est, quod ex betæ succo depurato ad vncias duas, & aquæ maioranæ vnciis sex cum sacchari, vel mellis modico paratur. Quemadmodum, & Apophlegmatismi huiusmodi.

Recipe	Melanthii	drac. sem.
	Betonicæ	drac. 1.
	Seminis coriandrorum	scrup. 4.
	Masticis	drach. 3.

Ceræ q.s. & fiat confectio pro masticatorio.

Cæterum ad siccandas humiditates cerebri, vnde fluxio continuo pedet, in vsu quamprimum medicamenta habenda sunt, tum interna, tum externa, quæ citra calorem exiccandi facultate polleant, iugiterque cephalica sint. Sunt autem huiusmodi.

Recipe	Conseruæ Rosarum	vnc. 2.
	Conseruæ Betonicæ	vnc. 2.
	Coriandrorum præparatorum	vnc. s.
	Syr. ros. de rosis siccis q.s. fiat electuarium.	

Cuius vncia media exhibeatur tribus horis ante prandium, & totidem hora somni. Interim bis, vel semel saltem in hebdomada caput lauetur lixiuio ex vitis cineribus parato, in quo præbullierint rosarum aridarum folia, betonicæ, quercus, myrthi, & rubi folia.

In qua quidem lotione tria sunt obseruanda; nempe, vt lixiuium moderate calidum ad maiorem penetrationem ex alto in caput cadat; & saponis loco Agarici frusto pro fricando capite vtatur; atque caueat ne pannis nimium calidis caput contrectetur, exicceturque. In eundem vsum etiam administrandi erunt pulueres capitales leuiter exiccantes, quales erunt.

Recipe Rosarum Aridarum.
Myrtillorum.
Betonicæ.
Vernicis.
Seminis Coriandrorum ana drach. sem.

In puluerem tenuissimum redigantur, quorum portiuncula aspergatur supra syncipur ad commissuras anteriores, capite ea in parte prius deraso, atque vel melle, vel Oleo mastichino illito, vt pulueres tenaciter hæreant, & tertio quoque die saltem repetendum erit idem medicamentum pulueribus prioribus detersis, remotisque. At vero pro conciliando somno, quem a vaporibus calidioribus in cerebrum illatis, paucis ab hinc diebus satis moleste interrumpi intelligo, nullum accommodatius remedium nunc mihi proponendum occcur-

occurrit Diacodionis recentis confectione in tabellis ad vnciam mediam dormituræ propinanda; cuius quidem vsu non solum somnus placide conciliabitur, verum etiam capitis destillatio, quæ noctu matris molesta esse solet, firmabitur. Sed præ cæteris ad lactis asinini vsum quam primum tanquam ad sacram ancoram confugiendum: hoc enim tam generosum præsidium, vt decet de more administratum, & febrem hecticam euincere, & corpus vniuersum humectare, refrigerare, simulque reficere valebit: neque destillatio ipsa eius est contritionis, vt ab hoc consilio nos auocare debeat. Et quoniam aeris nunc inclementia incipit remitti, summopere necessarium puto, vt iuuenis Nobilissima vesperi duabus horis ante cœnam quotidie sese totam aquæ dulcis tepidę balneo paulominus horę spatio immergat; ita vt simul, & lacte, & lauacro diebus pluribus continuis vtatur. Si autem forte fortuna lac non probe in eius ventriculo conficeretur, sed in nidorem corrumperetur, quemadmodum non rarò accidere solet iis, qui calidioris sunt hepatis, bile nimirum per meseraicas in ventriculum transfusa; lactis propositi loco, iuris pulli gallinacei more nostro parati vncias sex, vel octo horis quatuor, vel quinque ante prandium non minori fructu sumere poterit. Quod quidem hunc in modum parare solemus.

Recipe Sacchari Ros. vnc. 4.
Sacchari Viol. vnc. 2.
Carnium testudinis nemoralis contusarum vnc. 3.

Ponantur in ventre pullæ prius per dies aliquot nutritæ hordeo in lacte excocto, elixetur pulla in sufficienti quantitate aquę donec carnes contabuerint, & in fine adde ad tantisper ebul. fol. lactucæ, hysopi, cichorei ana pug. vnum, radicis farfaræ vnc. 2. coletur, & vt diximus exhibeatur. Dum hæc peraguntur ad remittendum immensum totius corporis morbosum calorem, illitiones ex cerat. refrig. non sunt omittendæ, vt

Recipe Muccaginum seminum psilii.
Muccaginis seminum Citoniorum.
Muccaginis seminum Maluarum ana vnc. 1. s.
Butyri recenti loti.
Olei Violacei loti ana vnc. 1.
Ceræ Albæ q. s. fiat Vnguentum.

Quo tepido cum lactis muliebris modico, mane, & vesperi ante cibum tota illinatur dorsi spina; dein statim hepatis regio pariter illinatur cerato santalino, cichorei succo, cum aceti rosati modico liquato. At quoniam nullum quamuis percelebre præsidium quicquam vtilitatis præstare potest, nisi par victus ratio omni sollicitudine, industriaque retineatur, de qua nunc paucis agendum. Cum igitur transacto præsenti verno æquinoctio aer clementior futurus sit, hoc quam primum Cœlum mutabit, seseque ad tabias transferat oportet, ibique

per totum futurum mensem maii vitam commode (Deo fauẽte) degere poterit. Somnus pro viribus concilietur, lotionibus, suffitu huic operi accommodatis, & papaueris albi lacte aqua violacea extracto statim a cœna sumpto, vel diacodionis recentis confectione superius commemorata. Corporis, & animi quies omni industria quæratur, retineaturque. Aluus lubrica singulis diebus seruetur clysteribus citra caliditatem emollientibus. Quod ad alimenta spectat, sorbitiones prę cæteris in vsu sunt habendæ: & ex his, quæ commode alant, facile conficiantur, refrigerandi, humectandique vi præditæ sint, & pauca gignant excrementa: inter quas primum locum obtinent ptissana hordeacea cum modico citoniorum succo, oua sorbilia, pulli gallinacei iuscula, in quibus carnes contabuerint: cancrorum fluuialium, & testudinum nemoralium carnes in lacte bubulo elixæ, & eius generis aliæ. Si quatuor, vel saltem tribus vicibus in die naturali cibetur ægra, parciusque cœnauerit, valde vtile futurum non dubitamus. Vinum pręualidum ex eo suspectum habetur, quod, & caput feriat, & vniuersum corpus vehementer excalfaciat: pauciferum tamen, probeque dilutum aqua cum mica panis excocta, in virium, & ventriculi gratiam tutò concedi potest semel saltem in mensa; in reliquis verò potionibus aqua ex cochlearum, & testudinum carnibus per alambicum vitro extracta vtilissima semper erit. Inter edulia etiam, quę multum, & commode nutriunt, pedes suilli, & veruecis exacte elixi, butyrum, & lactaria cum saccharo mixta maxime conueniunt. Sed præ cæteris tũ ad hoc, & multa alia, tum ad roboranda simul præcipua viscera, confectio hæc nostra non ignobilem obtinet locum inter alia huiusce generis. Hæc autem est.

Recipe
- Carnium capi.
- Carnium testudinis elix. ana vnc. 2.
- Amygdalarum dulcium.
- Pinearum.
- Auellanarum ana vnc. 1.
- Seminum figidorum minorum ana dr. 1.
- Margaritarum
- Santalini albi, & rubri, & citrini ana dr. s.
- Conseruæ Borraginis.
- Conseruæ Rosarum ana vnc. 1. s.

Sacchari albissimi dissoluti in aquis rosarum, & violarum q. s. fiat confectio in morsellis in vltima mensa deuorandis. Vnum autem alicuius momenti non est silendum, videlicet ante cibum immediate ius paruæ pullæ omni pinguedine semota ad vnc. 5. vel 6. hectica laborantibus vtiliter propinari, quo solidæ partes humectentur. Sic coementarii aqua parietem aspergunt priusquam calcem, aut coementum admoueant, vt paries tenacius, ac firmius incrustetur. Non me latet nonnullos in hunc vsum aquam immediate ante

te ante cibum potandam imperare, quibus subscribere non possum, quippe qui pro comperto habeam ratione, & Hyppoc. & Gal. auctoritate aquam per se ineptam esse ad solidas partes humectandas. Illud etiam addam, & finem dicendi faciam, quod ad extinguendam sitim, qua Nobilissimam Aegrotantem magnopere sollicitari audio, aquam hordei hunc in modum paratam maxime conducturum speramus.

Recipe Aquæ Hordei mundi lib. 1.
Syr. Violati.
Syr. Citoniorum simplicis.
Syr. Nenupharini.
Syr. de acredine Citri ana vnc. sem. misce.

Quæ quidem potio sitienti quauis hora vtiliter concedi poterit. Hæc pro sanitate reparanda Perillustris, & Nobilissimæ Iuuenis dicta sufficiant. Faxit Deus sua clementia, vt prospera, & salutaria illi contingant.

De Cordis motu concitato, quem improprie Palpitationem vocant pro Illustrissimo D. Fabio Vrsino, Consult. XXIX.

AFfectus præter naturam, quo Illustrissimus hicce Iuuenis paucis ab hinc Mensibus tantopere solicitatur, motus est cordis, & arteriarum præter naturam, hoc est maior, frequentior, atque concitatior iusto, qui noctu magis inter dormiendum Illustrissimum D. ita fatigat, vt expergefactus tantisper de eius vita magnopere dubitet. *Morbi Historia.*

Affectus hic cordis palpitatio appellatur quidem, sed improprie: etenim palpitatio proprie dicta nullius facultatis est opus, vt Gal. vbique prædicat. Motus autem hic symptoma est in genere functionis deprauatæ facultatis motricis ipsius cordis a re præter naturam molesta irritatæ. Huius rei firmissimum est argumentum ab aliis, vel dissimulatum, vel non obseruatum, quod in hac accessione arteriæ etiam simul cum corde vniformiter mouentur. Quo circa affectum hunc vna cum Gal. Lib. 4. Aphor. 65. Cardiogmon, hoc est motum palpitationi consimilem rectius appellare nobis licebit; Cuius quidem causæ interiores, & proximæ plures enumerari solent, quas breuitatis causa hic consultò omittam, eamque duntaxat adducam quæ in hoc Illustrissimo D. locum habere mihi videtur. Ea autem est, flatus quidam crassus, & nebulosus, ab hypochondriis in cor sublatus, quem cum præ imbecillitate Cor dissoluere, aut arcere nequeat, modo dilatatur, modo contrahitur in se se, quia ad eius quod infestat expulsionem stimulatur, & concitatiore hoc motu id ipsum excutere contendit, donec liberum habeat motum, vel *Affectus.* *Affectus causa interior proxima.*

omnino deficiat. Vnde interdum huiusce generis affectus syncope consequitur.

Causa interior antecedens. Huius autem tetri, calidique vaporis causam hepati Illustriss. D. calidiori, ac frigidiori ventriculo, vnde crassa prodeunt excrementa hypochondriorum viscera obstruentia, acceptam ferendam putamus. Hi autem praui halytus dum iugiter cum sanguine, & copiosiores, & concitato motu in cor suscitantur, illud mordentes exitumque quærentes, hunc vt antea dicebamus inordinatum motum efficiunt. Cordis autem in Illustrissimo D. imbecillitatem frigidam temperiem consequentem non equidem in connatum temperamentum reiiciendam putamus, cum Iuuenis sit optimo habitu præditus, & calidi a natura cordis; sed in multa, eaque grauissima errata, atque præsertim in animi sollicitudines ac perturbationes, quibus adhuc etiam excruciatur.

Præsagia Quod ad morbi huius futurum euentum pertinet, animus inclinat, cum hic Iuuenis adhuc sit, affectusque minime frequens, vires admodum firmæ, posse fieri, vt opportunis præsidiis, & congrua victus ratione ab hac molestia liberari possit, si pre ceteris prospiciatur, ne praui succi, vnde tetri vapores prodeunt, quos ex nidorosis præsertim eructuationibus deprehendimus, in visceribus colligantur. Quod quidem haud difficile assequemur, si ante alia errores in victu accuratissime deuitauerit, ac præsertim a frigido potu, a venere, atque ab animi sollicitudinibus grauioribusque curis deuiauerit. Cætera, quæ ad victus rationem spectant lubens prætermitto, quod sciam Clarissimo Medico, qui Illustrissimi D. curam gerit notissima esse. Pro quo etiam scopo obtinendo viscera intemperata omni studio erunt corrigenda. Scopus, qui priori succedit eò spectat, vt flatus, tetrique vapores in visceribus, ac præsertim in hypochondriis subsidentes, a corde auertantur. Quamobrem præscripta victus forma omni solertia, & cura retinenda, attenuante videlicet, ac incidente ad calidum quidem vergente sed moderate, aluus subducatur cum mellis ros. solut. vnciis quatuor, ac drachmis duabus Diaphœniconis in decoctione cordiali, in qua foliorum senæ Orientalis cum modico Cinnamomo bullierint drach. duæ, dissolutis. Dein præparentur pituitosi, & melancholici humores; ac apparati de more purgentur pharmacis, & præparantibus, & purgantibus phlegmagogis, & melanogogis. Secunda, vel tertia die ab incepta humorum præparatione secetur vena iecoraria brachii dextri, sanguisque mittatur ad vncias quatuor. Eadem die hora vna ante cœnam rursus sanguinis vnciæ tres, vel quatuor mittantur ex vena basilica brachii sinistri, auersionis seu reuulsionis gratia. Purgatione peracta, sine qua viscera attemperari nequeunt, ad roboranda viscera, cor nimirum, & ventriculum tantisper refrigerata, nec non ad iecur impense calidum attemperandum.

Curandi ratio. 1. scopus. *2. scopus.* *Leniens medicamentum.* *Præparatio purgatioque. Venæ sectio.*

Con-

Recipe
Conseruæ Rosarum.
Conseruæ Florum Cichorei.
Conseruæ Florum Borraginis.
Conseruæ Florum Buglossæ an. vnc. 1.
Specierum Triasantalorum.
Specierum Diamargariton frigidi.
Specierum Diatrionpipereon an. drach. 1.
Syrupi de Cichorio.
Miuæ Citoniorum Aromaticæ.
Syrupi de Corticibus Citri an. vnc. 1. sem.
Specierum Diambræ.
Specierum Diamoschi dulcis an. scrup. 1.

Conditum egregium Auctoris ad roborādum cor, & ventriculum frigidum, & iecur calidum.

Misceantur pro conficiendo Electuario, cui adde foliorum auri purissimi num. decem. Cuius quidem drach. sex, vel vncia media præbeantur duabus saltem horis ante prandium cum vno, vel altero vini albi generosi haustu decem diebus continuis.

Linimentum pro corde.

Quo quidem tempore, vt propositum roborandi viscera scopum facilius assequamur, topicis etiam medicamentis vtendum erit. Quapropter linimentum pro cordis regione ex Theriacha mediæ ætatis Vino albo generoso liquata cum croci modico quam maxime probo.

Linimentum Auctoris pro vētriculo.

Pro ventriculo autem, ceratum, seu vnguentum ex Olei de Nuce Moschata drach. vna, & Olei Caryophyllorum drachmis duabus cum specierum Diambræ scrup. duobus, & ceræ quantum sat sit paratum nulli alio cedit. Iecoris verò regio illinenda pariter erit simul cum aliis mane, & vesperi linimento hoc. Recipit autem. Vnguenti Santalini recentis aqua Plantaginis sæpius loti, vncias tres, succi Cichorei depurati vnciam vnam, & mediam. Succi plantaginis vnciam mediam. Aceti Rosati drachmas sex, addita cera fiat linimentum.

Tertia præcautionis ratio. Auertentia auxilia.

Cum his, quæ viscera roborant, medicamentis etiam prauos succos vna cum tetris vaporibus sanguini commixtis a corde auertentibus vtendum. Vt Clysteres molliores; acriores namque iecur infirmant. Pilulæ etiam de lapide lazuli cum Agarico trochiscato huic operi maxime sunt accommodatæ. Frictiones quoque mane, & vesperi ante cibum partium infernarum, lotiones, & artuum ligaturæ dolorifice, cucurbitulæ paruæ plures cruribus, coxis, & natibus sine scarificatione affixæ in eundem scopum feruntur: quemadmodum, & repetita sanguinis detractio ab hæmorrhoidibus per hyrudines ad id summopere conducet, hac præsertim Autumnali constitutione; licet inter huius medicationis initia cubiti venam bis seccandam esse consuluerimus. Quanto enim maiorem in numerum particulares sanguinis detractiones auxeris, tanto maiorem reuulsionem effeceris. Gal. Lib. de Curandi Rat. per venæ sec. cap. 12. Ab his sane venis

misso sanguine præter auersionem a corde, (quod quidem per immoderatum illum motum humores ad se auocat,) & ab hypochondriis deriuationem, atræ.s. bilis sanguini confusæ euacuationem etiam assequemur. In quem vsum etiam inustum in crure saltem dextro sub genu parte interiori cauterium maximam opem allaturum non diffidimus.

Quibus omnibus peractis si molestum, & formidandum symptoma hoc non redeat, ab omni medicamento erit abstinendum per totam hyemem futuram, seruata tamen victus ratione congrua, nisi quod leuis quædam semel in Mense purgatio cum syrup. de Polipodio Magistri Augustini maximi vtique vsus esset. Verumenimuerò huic peractæ medicationi malo minime cedente, iterum corpore purgato sanguis detrahatur per cucurbitulas cum scarificatione partibus infernis adhibitas. Deinde tale decoctum sine mora exhibeatur.

Decoctum admodum potens.

Recipe
- Acetosæ, Agrimonii, Asplenii.
- Boraginis, Buglossæ, Mellissæ, Pentaphili.
- Cichorei, Pimpinellæ, Menthæ an. folia 2. vel 3.
- Santalorum Rubrorum, & Citrinorum.
- Ligni Sassafras minutim incisi an. drach. med.
- Coriandrorum pug. vnum.

Ponantur omnia in ventre pulli columbini turrini exenterati, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ cichorei stillaticiæ secundum artem, dein coletur, & percolati vnciæ octo cum syrupi de cichorea cum Rhabarbaro vncia vna, & cum syrupi de mentha, & de corticibus Citri singulorum vncia media in Aurora propinentur quindecim saltem diebus continuis, interposita interdum leui purgatione cum pilulis suprascriptis. Quo tempore vsus repetatur conditi nostri superius descripti ad roborãdum cor, & ventriculum. Posthæc aduentante vere in omnem cautionem duo adhuc egregia præsidia vsurpari poterunt: lauacrum nempe aquæ dulcis, & seri caprini largiori copia potus de more propinatus. Quibus omnibus administratis præsidiis Dei Optimi Maximi auxilio Illustrissimum hunc Iuuenem ab hac molestia liberatum iri non diffidimus. Nec terreat nos Gal. sententia Quinto de Locis affectis, nimirum, quòd graui hoc affectu correpti ante senectutem, omnes morte præueniantur. Quandoquidem id intelligit Gal. cum causa huius mali cõtinens, & proxima in corde perpetuo continetur, vt vel aquosus humor vberior, quam pro naturæ præscripto in cordis capsula contentus, vel crassa viscidaque materia tenaciter cordis substantię impacta, aut tuberculum. Quę quidem hic nobis nullum negocium facessunt, quòd totius mali causa in Illustrissimo Laborãte (vt antea dictum est) tetris vaporibus in cor aliunde elatis accepta feratur. Huic accedit, quod accessio hæc, & dilucida habet interualla, & breui tempore perdurat. Accessionem appel-

Lauacrũ & seri caprini potus.

Obiectio, et obiectionis solutio

locor-

lo cordis motum illum præter naturam, deprauatum nempè, magnum frequentem velocem, & inæqualem. Quo circa non possum non valde admirari, cur plerique insignes Medici, & antiqui, & necterici cordis palpitationem hanc impropriè dictam, motum cordis paruum tardum, & rarum esse prædicent, cum totum oppositum, & ratio, & quotidiana experientia apertè suadeant. Sed de his hactenus. Tot proponenda occurrebant pro Illustrissimo D. ab hoc affectu, & à grauioribus hinc imminentibus periculis vindicando. Deum immortalem ex toto pectore precor, vt prospera, salutariaque illi contingant. *Dubitatio*

De lapide Vreteris sinistri capiti tenaciter infixo, pro Perillustri D. Settimia Cencia Nobili Romana, Consultatio XXX.

DOlor in renis sinistri loco fixus, grauis stabilis, & paruo loco circumscriptus, qui octo abhinc diebus Nobilissimam Mulierem fatigabat, lapidis sinistrum renem exercentis certissimum erat indicium; si a dolore cū positu sedis affectę argumentum valet. Amplius, fęmoris è directo compatientis renis stupor, & corpus vsque adeo pigrum, vt dorsi spina vix inflecti possit, nec non nausea ferè continua, & ab assumptis cibis vomitus hoc ipsum luce meridiana clarius ostendebant. Nunc autem ex dolore pariter cum situ facilè deprehendimus renem non amplius, sed vreteris caput esse affectum, & calculo cruciari. Propterea quod dolor, qui nunc infestat non est, vt antea grauis, hoc est cum cuiuspiam rei grauis loco incumbētis sensu, qualis dolor a calculo quiescente in renis substantia suboriri solet, quòd exiguo admodum sensu pars hęc prędita sit, sed acerbus admodum, pūctoriusque; siquidem vreteres ipsi cum neruosæ sint substantiæ, exquisite sentiunt. Qui quidem dolor per quædam interualla magis etiam exacerbatur, quando videlicet nonnihil diducitur commoueturque. Pręterea dolor nunc a renis loco, quem antea exercebat, ita declinat, vt si pars extrinsecus prematur, dolor magis irritetur. Dubitatur autem, cur doloris causa adhuc permanente, neque fœmoris stupor, neque vomitus, neque dolor grauis, sed acutus nunc persentiantur. An quia ren calculo oppressus subiecta vasa, venam nempe cauam, & arteriam magnam, vel etiam neruum dorso incumbentia premit, quibus vasis mediantibus crura renibus consentiunt. Qui quidem renes, tùm dorso, tùm costis nothis annectuntur: vreteres autem hosce limites egrediuntur; quare hi à calculo etiam pressi vasa dorso incumbentia non æque facile comprimere valent. Cur verò mali causa adhuc vigente, & nausea, & vomitus nunc delituerint? An quia renes ventriculo mediante peritoneo, vnde membrana oritur, qua induuntur ventriculo consentiunt? Quem quidem consensum vreteres non æque manifestum habent.

Affectus prçter naturam.

Calculi renis indicia.

Calculi vreteris caput exonerantis notę.

Pulcherrimumquęsitum.

Responsio

Quęsitum alterum.

Resp.

Causę calculi.

habent. At verò doloris grauis in acutum permutationis causa antea explicita fuit. De lythiasi, tùm renum, tùm vesicæ causis internis pauca habeo quæ proponam. Constat enim apud omnes humorem crassum, & calidam renum intemperiem lythiasis causam esse, hanc quidem effectricem, illam verò materialem, quibus quidem, & tertiam longa obseruatione, certior ipse redditus addere soleo eamq; potissimam, vitiatam nimirum renum, & vreterum a primo semine conformationem, angustiam nempè meatuum horum. Hinc factum esse arbitror, quod vitium hoc omnium maximè hæreditarium sit.

Præsagia. Quæ autem de futuro in Nobilissima hac Muliere euentu prænosci possunt, hæc sunt: cum multa eaq; generosa præsidia a peritissimo Medico curam Nobilissimæ Mulieris gerente, hactenus sine aliquo successu tentata fuerint, magnoperè formidandum ne calculus hic mutuo assiduoque arenularum adhæsu in tantam molem augeatur, vt inuincibilis, inexpugnabilisque reddatur, ita vt, & propter dolores vigilias, & febrem, (qua nunc etiam corripitur) tandem pereat, quòd Deus immortalis auertat. Meam autem suspicionem hanc augent, & ætas inclinans, & antiqua, ac ferè illi connata hoc incommodum patiendi consuetudo, & virium robur nunc satisfactum. Quibus, & illud quam maximi momenti accedit, quòd arenulæ, quas continuo cum vrinis copiose excernere consueuerat, nullæ, vel paucæ admodum nunc obseruantur, quas quidem, easq; perexiguas per alterum duntaxat meatum vrinarium procedere arbitramur. Nihilominus cum Dei Optimi Maximi auxilio in dies obseruemus complures à maximis etiam desperationibus euadere, impiumq; sit, & a charitate Christiana alienum, vel etiam morituros deserere, inceptam à Clarissimo Viro curationem, vt alacriter prosequamur magnoperé hortor. In qua quidem gerenda illud vnum me consolatur, quòd generosa medicamenta, impensè nimirum calida, comminuendo excludendoque calculo opportuna, compluribus suspecta; huic tutò administrari poterunt; quòd Nobilissima hæc Mulier frigidi cum sit temperamenti neutiquam caloris renum vitio, obnoxia fuit nephriticis passionibus; sed potius ob hæreditariam quandam propensionem, vt antea dictum fuit. Sed iam tempus est, vt medendi Methodum aggrediamur.

Meth. Medic.

Victus rō. Curationis igitur ratio quatuor opera requirit hoc ordine disponenda. Primum ad victus rationem pertinet, quæ modicè calfacere, attenuare, incidere, & abstergere debet. Tenuisq; sit, oportet. Quocirca cruditates omnes præ cæteris sunt vitandæ; vt potè quæ augendo calculo materiam subministrent.

Symptomata corrigentia. Secũdum opus ad medicamenta pertinet, quæ, & dolorem quamprimum mitigare, & somnum conciliare maximè sint idonea. Dolores enim assidui, & vigiliæ præter quam quòd vires deijciant, & febrem excitent, cruditates etiam procreant; vnde calculus incre-

mentum suscipere potest.

Quæ autem ad hoc spectant, duorum sunt generum: alia enim extrinsecus applicantur, vt inunctiones, fotus, cataplasmata, & insessus. Hæc enim dolorem sedant. Quemadmodum, & Anodini clysteres iniecti. Alia verò sumuntur, vt Theriaca noua ad scrup. duos cum Philonij Romani scrupulo. Quod quidem pharmacum non solum dolores sedat somnumq; conciliat, sed etiam, & viscera omnia roborat, & flatus discutit, a quibus dolores non raro promoueri solent: simulque etiam vrinam mouet. Igitur pro rei necessitate ex interuallis vtiliter repeti poterit.

Dolorē sedātiū somnumq; cōciliātiū genera duo.

In tertio præsentis curationis ordine, quàm primum euacuandum purgandumque erit corpus vniuersum. Idque triplici consilio. Primùm, vt Vretica sumenda pharmaca in penitiora vasa promptius se se insinuent. Secundò ne recrementa ad vasa vrinaria secum alliciant. Tertiò, vt redundantes in visceribus praui succi à renibus ad intestina deflectantur. Quibus, & duo alia egregia commoda accedunt, quæ euacuationis dūtaxat per venæ in cruribus sectionem sunt propria. Quippe quod, & a renibus affectis plenitudine quadam doloris occasione nullo non tempore laborantibus deriuatio euacuatoria fiat; & reuulsio simul sanguinis in partem fluxuri ad inhibendam inflammationem. Primum igitur vomitu, mox clysteribus aluum supra infraque euacuandum magnopere hortor.

Tertium opus. Euacuationis cōmoda.

Deinceps cum virtus Nobilissimæ Mulieris sit valida, nec plenitudine laboret, cum Hypp. & Gal. venam ad malleolum è regione renis laborantis sine mora secandam indubitanter teneo. Post hæc leuis quædam purgatio repetenda erit: modo ex floris cassiæ cum Oleo amygdalino dulci extractæ vncia vna, & Terebinthinæ claræ vncia media, cum drachma vna glycirrhizæ pulverizatæ Vinoq. albo potenti insuccatæ. Modo bolo parato ex Terebinthinæ vncia media cum benedictæ simplicis drachmis duabus, quatuor saltem horis ante cibum deuorando.

Purgantia medicamenta idonea.

Quarta, postremaque curationis ratio tota referenda est in morbi, nempè in via causam internam proximamque effectricem, hoc est in calculum ipsum. Licet placuerit Galeno calculum, vel in renibus, vel in vesica morbum in numero aucto appellare. Quod quidem nunquam mihi arrisit, cum calculus neutiquam viuentis corporis pars dici possit. Notum enim est, ac omnibus compertum, morbum partis corporis viuentis affectum esse. Sed, vt ad pensum redeam, calculus hic omni solertia & accurato studio comminuendus est, comminutusque vel etiam integer in vesicam detrudendus. Quod quidem opus medicamenta efflagitat calfacientia (moderatè tamen) incidentia, extenuantia; nec non meatus vrinarios emollientia, aperientia, abstergentia, vrinamque mouentia. Quorum alia sumuntur, alia vero extrinsecus applicantur. Lapidem comminuentia

Dubitatio in Galenum.

Comminuẽtia calculi medicamenta. tia medicamenta a qualitatibus manifestis in duplici sunt differentia:alia enim mitiora cum sint facultate sua tenuem substantiam non pertrãscendunt, vt amara omnia. Acetum, Oxymel, Betonica, Capillus veneris, saxifragiæ radix, Fraxini,& Scolopendriæ radices, Pentaphilum,& eius generis complura. Alia verò valentiora viribus suis ad vesicam vsque perueniunt, ita ut lapidem etiam in vesica non admodum induratum comminuere valeant. Vt Apium, Calamẽtum, Pulegium, Bdellium, costi Radix, Cucumeris siluestris radix, Cicer nigrum,& eius decoctum, Raphani semina, Piper, & eius fortis multa alia. Inter quæ Vitrum vstum,& sanguis hircinus, vt decet præparatus, Quæ autem hoc ipsum a tota substantia præstant, hęc omnium efficacissima censentur, Lapis Iudaicus. Lapis Lyncis. Cinis leporis secundum Artem præparatus. Cicadæ alis,& pedibus abscissis. Scarabæi, Lumbrici terrestres,& huiusmodi alia.

Quibus omnibus maxime omnium præstant Cantharides, quarũ vna duntaxat sine pedibus,& alis in puluerem redacta, & ex vino albo potenti data mirificè calculum non solum è renibus, sed etiam è vesica (vbi non sit admodum confirmatus) excludit. Cæterum quoniam medicamentum non omni vacat culpa, vsurpandum non est, nisi maxima vrgente necessitate. Ex his autem simplicibus varia cõposita conficiuntur, inter quę in quotidiano vsu sunt, veluti omnium præstantissima, iustinum, lithontripum, & Electuarium de lepore combusto. Sed ante hæc,& diuretica omnia iubet Hippocrates. Bal-

Lauacrũ. neo aquæ dulcis, Inunctionibusq; laxantibus, ac mollientibus meatus, nec non fotibus vtendum. Decoctum autem pro lauacro paretur ex aqua dulci in qua radices petrosellini, fœniculorum, lini semina, Malua Althæa, Parietaria, Anethum, Chamæmeli flores,& id genus alia præbullierint, Quod quidem decoctum si ex hydræleo cum simplicibus enumeratis paretur, tanto efficacius erit. Item inter ea, quæ admouentur medicamẽta tria maximi valoris mihi magnopere pro

Topicamedicamẽta cæteris validiora. bantur. Primum sanguis vulpis calidus renibus illitus. Alterum Oleum scorpionis cum minima cantharidarum in puluerem redactarum portiuncula pariter illitum. Tertium quod Recipit succi cæpe, succi petrosellini, succi apij, succi fæniculi an. Vnc. quatuor, cum mica panis fiat Cataplasma pro renibus. Linimentum etiam ex adipis gallinæ, œsipi, olei scorpionum singulorum vncia media, cum olei chamæmeli, Anethi, & liliacei singulorum drachmis sex cum cera fiat illitio ad renes. Porrò autem a lauacro, & ab illitionibus præscriptis sicyæ affigantur, vt lapidem transmittant, à renibus incipiendo, procedendoque ad inguina per obliquam iliorum positionem. Ad hæc dum lauacro vtitur, eorum aliquid, quæ vrinam mouent illi propinetur, quale hoc erit.

Recipe

Recipe	Seminum Raphani		
	Seminum Genistæ an.	dr. 3.	*Medicamentũ vrinã ciens.*
	Seminum Bardanæ	dr. 2.	
	Croci	scr. med.	
	Sacchari	vnc. 1 cum dim.	

Puluerizentur omnia, cuius pulueris pars altera detur manè ieiuno ventriculo ex vino albo, altera pariter vesperi ante cibum quib. omnibus administratis, calculo non cedente, sed parti, quam prius occupauit, pertinaciter inhærescente. *Med. probatissimũ ad calculũ comminuendum.*

Rec.	Quatuor seminum communium frigidorum	an. dr. 1.	
	Ossium dactylorum		
	Cerasorum		
	Mespilorum an.	scr. 1.	
	Lapidis Iudaici		
	Lapidis spongiæ an.	gr. 3.	*Egregium med. frangendo calculo opportunum.*
	Lithospermatis,		
	Radicis Glycyrrhizæ, an.	scr. med.	
	Seminis Altheæ		
	Seminis violarum albarum an.	gr. 5.	

Misceantur omnia, & in puluerem tenuissimum redigantur, cuius drach. vna manè, & vesperi duabus horis ante cibum cum decocti Asplenij vncijs quatuor, & vini albi potentis vnciis duabus propinetur. Dein interposito horæ vnius spatio, nobilissima patiens, vel in ædibus propriis schalam ascendendo, descendendoque vel curru concitato motu se exerceat.

Huius sanè affectus signorum omnium sindromem, atque integram omnibusque numeris absolutam curationem per capita explicuit Hippocr. 6. de morbis vulgaribus sectione prima Comm. 6. Hęc in grauissimo, & pene desperato casu dicẽda occurrebant quę Deus Optimus Maximus in salutem nobilissimę Mulieris dirigat, magnopere deprecamur.

De Vesicæ calculo pro Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinali Terranoua. Consultatio XXXI.

ILlustrissimũ, ac Reuerendiss. D. Lythiasi vesicę laborare ex multis argumentis luce clarius innotescit. Nam continue in vrinam ita propellitur, vt parum, & sæpe cum non leui dolore circa vesicæ ceruicem meiere cogatur, vrinæque stillicidio diuexetur. Huic accedit, quod vrinam ferè semper subcruentam emittit: certum sanè indicium, quod vesicę calculus vrinæ impetu commotus quasi proditurus subiectas partes nonnihil dilacerando, cruẽtum quippiam euocat, quod vrinę confusum hanc ipsam subcruentam reddit. Prȩterea cum paucis abhinc diebus nephriticis doloribus laborauerit, ratio- *Vesicæ lythiasis signa.*

ni consentaneum est calculum antea renibus conceptum in vesicam nunc excidisse, totiusque præteriti mali causam interiorem, & proximam effectricem esse.

Calculi differẽtia. Porro autem, cum vesicæ calculi magnitudine, substantia, figura & situ varient: vnde, & varia symptomata suboriuntur: calculũ præsentem, & exiguum, & salebrosum, seu asperum esse hinc intelligimus, quoniam vaga atque oberrans titillatio quædam cum acri dolore pubis, & perinæi regionem continuo fere fatigat. De causis calculi, tùm in renibus, tùm etiam in vesica nihil dicendum puto: duæ enim ab omnibus censentur; materialis vna, crassa nempe viscidaque materia: altera effectrix, calor nimirum immoderatus.

Calculi causæ.

Præsagia. De futuro præsentis affectus euentu paucis dicam quid sentio. Vt enim lapis in vesica cõfirmatus induratusque solo Chirurgico opere, lythotimia nimirum deturbatur, ita & calculus exiguus vagus, & oberrans, qualis hic est, solis medicamentis lapidem frangentibus, vrinamque valenter cientibus citra incisionem (vt spero) tempore educi poterit.

Curationis ratio. Nobis igitur de calculo hoc atterendo cogitantibus, statim victus ratione præscripta tenui, attenuante, atque incidente, emolliente Clystere primùm iniecto, blando cathartico regionem primam, communesq; vias expurgare tentauimus; eo sanè consilio vt medicamenta vretica propinanda expeditius maiora vasa subire, atque in renes, & vesicam penetrare possent.

Venæ sectio denegata. A venæ sectione abstinendum ex eo iudicauimus, quod neque plenitudo, neque fluxionis, aut inflammationis motus, neque dolores seu cruciatus insignes, neque febris vlla negotium nobis facesserent.

Curationis scopus præcipuus. Ergo reliquum nunc est, vt remedia calculo atterendo, excludendoque idonea sine mora adhibeantur. Quæ quidem eo efficaciora esse debent iis, quæ ad renum calculum excludendum eliguntur, quo hic ab ore, per quod sumuntur longius abest.

Medicamẽtorum calculũ extrudentiũ triplex genus. Hæc autem in triplici sunt differentia. Alia enim sumuntur, extenuantia nimirum, incidentia, abstergentia, emollientia, meatusque relaxantia, necnon vrinam impetu mouentia, tùm manifestis; tùm etiam occultis qualitatibus in calculum operantia. Alia extrinsecus applicantur, vt illitiones, seu linimenta, cataplasmata, & insessus seu lauacra. Tertij generis sunt, quæ per fistulam argenteam (catheterem appellant) inijciuntur. Horum autem omnium, quæ varia, ac pene immunera a scriptoribus recensentur, selectiora, tutiora, & longo vsu mihi Medicinam facienti probata magis, hic tantum proponenda duxi.

Cautio in vsu diureticorũ obseruanda ex Gal. 5. de simp. Med & 10. Comp. Med. In quibus præscribendis oportet nos eam cautionem seruare, vt nimium calida, & acria diuretica declinentur. Horum enim frequenti immoderatoque vsu calculus nimis cogeretur indurescereturque. De assumen-

assumendis igitur pro atterendo, excludendoque calculo.

Ad excludendū calculū remedium Auctoris probatum.

Recipe
- Decoctionis cicerum rubrorum cum
- Radicibus Asplenij, & Altheæ — vnc. sex.
- Vini albi potentis, & subdulcis — vnc. duas.
- Aquæ extillatæ ex cæpis albis.
- Succi Limonis recenter expressi an. — vnc. mediam.
- Sacchari albissimi pulueri zati — drach. duas.

Misce, & fiat potus tribus saltem horis ante cibum exhibendus. Hoc sanè medicamentum nulli fortasse alio in hoc opere cedit. Ad idem etiam maximè valet medicamentum, quod recipit Terebinthinæ ignis, vel solis vi siccatæ, & in puluerem redactæ scrupulos duos, Lapidis Iudaici, vitri vsti, seminum genistæ an. scruplum vnum Terebinthinæ claræ, & liquidæ drachmas tres. Misce fiat bolus, quem capiat quatuor horis ante cibum, & statim superbibat vncias quatuor aquæ saxiffragiæ, & duas Vini albi potentis cum sacchari albissimi drach. vna. Interim illinantur singulis sex horis pubis, & perinæi partes hoc linimento. Recipit autem Pinguedinis cuniculi, Pinguedinis anseris, Olei scorpionum, an. vnciam vnam, Succi parietariæ depurati, Vini albi potentis, an. vnc. mediam. Misceantur, & fiat linimentum, superadditis drachmis duabus Lapidis Iudaici cum prædictis alijs probè subacti. Sanguis etiam vulpis, & hirci calens, tùm per fistulam argenteam iniectus, tùm etiam pubi, & perinæo illitus maximam vim habet ad calculum atterendum in vesica; modo hic vetustate non obduruerit. Cum his quoque remedijs clysteres emollientes, fotus, & insessus non dimittantur. Quorum omnium extrinsecus admonẽdorũ efficacissimum erit lauacrum huiusmodi.

Illitio.

Balneum egregium.

Recipe
- Florum Chamæmeli, Meliloti, Anethi.
- Abrotani, saxifragiæ, foliorum caulium.
- Senecionis, Parietariæ, Asplenij.
- Maluarum, Altheæ, radicum petrosellini.
- Fœniculi, Anonydis, violarię — an. m. tres.
- Seminis milij solis leminis lini — an. vnc. duas.
- Fęnu græci, Anisi, Ameos — an. vnc. vnam.

Bulliant omnia insimul in sufficienti quantitate hydrælei, vel aquæ dulcis, in qua prius exactè excocta fuerint capita duo vereecis, & vsui seruetur pro lauacro. Probatum quoque multis est Balneum sulphureum ex aquis naturalibus. Sed dum vtitur lauacro hoc potionẽ hanc si sumpserit, mirifice conducturam speramus.

Recipit autem radicis enulæ vnciam semis, granorum Alkekengi vncias duas, Baccarum iuniperi vnciam vnam, Glycyrrhize drach. sex. Omnia tusa bulliant in Vini albi vncijs nouem ad consumptionem tertiæ partis, collaturæ adde sacchari finissimi drachmam vnã, & calida hæc potio exhibeatur. Vel recipe pulueris leporis præparati, sanguinis hircini præparati an. scrup. ij. vitri vsti puluerati scrupulum

lum vnum, Vini albi potentis, aquæ saxifragiæ an. vncias tres. Misce,& exhibeatur priusquam è Balneo ægrediatur. A Balneo statim, Emplastrum ex gummis Amoniaco, Bdelio, Sagapeno, dissolutis in aqua saxifragiæ, & Oleo scorpionum, additis pulueribus Lapidis Iudaici,& sanguinis hircini præparati, pubi, & perinæo applicetur. Quæ omnia repetenda sunt iterum atque iterum, ne allatarum sordium continuo adhæsu,calculus in vesica augumentetur. Nunc autem cum exiguus sit, & è renibus sua rudimenta contraxerit, ac Perillustrissimum, Reuerendissimumque Virum vigentis adhuc ætatis exerceat; sperandum fore, vt præscriptis (vt decet) administratis remedijs excludi possit. Quod Deus Optimus Max. concedat ex toto pectore precamur.

De Tumore præter naturam insigni, pro Nobilissimo Iuuene quodam Germano, Consultatio XXXII.

Bubonis signa. DOlor, Tumor subdurus,& calor cum rubore in inguine sinistro, glandularum illic existentium inflammationis certissima sunt signa; quam quidem inflammationem Bubonem propriè appellare possumus: laxarum enim partium, seu glandularum (quas Græci adenas vocant) inflammatio bubo à Galeno dici solet. Hunc autem, qui septem ab hinc diebus Nobilissimum Iuuenem ita fatigat, vt per incessum claudicet, venereum bubonem appellare nobis licebit, quòd ex venereo congressu cum Muliere Lue Gallica infecta subortus fuerit. *Bubonis venerei nota.*

Causa antecedens. Hinc antecedens causa innotescit, videlicet humoris contagiosi ex venereo contactu in venis concepti. Vnde causa pariter interior, & proxima, sanguis nempe corruptus, & infectus innotescit. De futuro affectus huius euentu pauca occurrunt dicenda, quandoquidem cum huiusce generis tumores, vel digestione, vel abscessu, vel induratione finiantur, hunc per abscessum finitum iri ex eo sperandum, quia iam cutis ea in parte rubescit, moliorque in summa tumoris parte deprehenditur, licet reliquæ circunsitæ partes duriores tangantur, & quoniam Nobilissimus Patiens Iuuenis est robustus admodum, & optimo præditus habitu, sperandum fore, vt viginti dierum spatio plus minusue ab hac molestia liberetur. Quòd, vt succedat ex voto quāprimùm præscripta illi victus ratione tenui, & in reliquis omnibus temperata, omni studio tentandum tumorem hunc discutientibus dissoluere, leuioribus primum, dein (si opus fuerit) valentioribus. *Causa proxima. Præsagia. Curationis ratio.*

Leuiora discutiētia. Primi generis erunt, vel linimenta ex Olei Liliorum vncia vna, & Olei chamæmeli vncia media. Vel Emplastro de meliloto cum Emplastro de mucilaginibus singulorum partibus æqualibus, addito Olei Liliorum quantum sat sit pro formando Emplastro. Quod si

tumor

tumor his non cedat medicamentis, ad secundi generis discutientia, valentiora, nempè deueniendum. Ac primum quidem. *Valentiora discutientia.*

Recipe
- Emplastri Diachylonis ireati vnc. 2.
- Terebynthinæ claræ liquidæq; vnc. mediam.
- Olei Liliorum fæculentioris drach. 6.
- Fiat ceratum.

Secundo ad idem maxime valet Ceratum ex Diachylone magno cum Olei Irini q. s. & Croci modico. Quod si neque ad suppurationem deuenerit tumor, neque commemoratis discutientibus cesserit, fortiori remedio in hunc modum vtendum erit. *Emplastrū egregiū discutiens.*

Recipe
- Ammoniaci, Bdelij, Opopanacis, in aceto diss. an. vnc. 1.
- Terebynthinæ Lotæ vnc. 1. cum di.
- Florum chamæmeli, sambuci an. pug. med.
- Pulueris Ireos vnc. med.
- Olei Chamæmeli q. s. & fiat Emplastrum.

Sed obijciet forte quis. Si præludia apparent aliqua tumoris ad suppurationem tendentis, cur discutientia medicamenta præscribis? *Obiectio.* Quoniam aptior, tutior, & iucundior sanationis via hæc per digestionem. *Respōsio.* Huic accedit, quòd huiusce generis tumores sæpe, ac præsertim sub hoc Cœlo Romano, inter initia suppurationem dissimulantes, tandem in duros, scyrrhososque tumores abeunt.

Quo circa, si præhabitis medicamentis non discutiatur, contumacioremque se se declaret, alacriter ad medicamenta valenter maturantia confugiendum. Quale hoc erit,

Rec.
- Foliorum Maluæ, Violariæ an. manip. 2.
- Radicum Altheæ lib. med.
- Capitum Liliorum alborum vnc. 4.
- Coquantur, & contundantur addendo
- Farinæ tritici, vel hordeaceæ q. s.
- Olei communis, Butyri an. vnc. 3.
- Pinguedinis porcinæ vnc. 2. cum dim.
- Vitellorum ouorum nu. 2.
- Fiat Emplastrum.

Emplastrū valēter maturans.

Quando vero ad integram maturationem deuenerit, quam febres, & dolores præcedere solent, aperiendus erit. Dein sordidum Vlcus detergendum, primo mitioribus, postea valentioribus medicamentis. Cauum carne implendum. Plenum autem cicatrice obducendum erit. *Aperti tumoris curatio.*

De repellētium vsu ne verbum quidem; quandoquidem ab ignobilioribus partibus ad præstantissima viscera, neque fluxum iam humorem, neque fluentem repellere licet ex Galen. præcepto vero consentiente 13. Meth. Med. cap. 5. nec non Lib. 3. de Compen. Med. cap. 2. Vt enim cerebrum ad glandulas, quæ iuxta aures, & in cer- *Repellentia, cur suspecta.*

M uice

uice sitæ sunt,& cor ad eas, quæ in alis sua transfundunt recrementa, veluti ad laxiores infirmiores atque ignobiliores partes, ita & ventris viscera, ac præsertim iecur ad eas, quæ in inguinibus sunt. Propterea tantum abest, vt ab huiuscemodi glandulosis partibus humor repellendus sit, quod potius ad has ipsas omni studio auocãdus sit. Quamobrem in parotidibus ipsis incipientibus etiam parti tumenti cucurbitulam affigendam præcipit Gal. Quam quidem cucurbitulam tumori huic affigendam non propono ad humorem atrahendum, quoniam nec tardiorem, nec contumaciorem tumorem hũc video, quippe quod infra septimam ab initio diem satis manifeste extuberet. Nihilominus placida medicamenta euocantia ob id minime improbarem, quales sunt fotus ex Oleo, & aqua calentibus, vel ex decoctione fænugræci, seminum lini, violariæ, maluæ, altheæ, liliorum, & consimilium. Hactenus de topicis medicamentis tumoris causæ proximæ (quam coniunctã appellant) excludendæ opportunis dicta sufficiant. Reliquum verò nunc est, vt causæ antecedẽtis deturbandæ rationem paucis explicemus, si prius admonuerimus humorem venereo contagio fædatum influentem hoc tempore nequaquam Arte euacuandũ esse, ne naturæ motus artis opera impediatur: sed ne Nobilissimus hic Iuuenis ab hoc dubone venereo in morbum Gallicum incidat, interiectis aliquot diebus vitiati humores, tum venæ sectione, tum medicamentis purgantibus, pro humorum, & corporis natura institutis educendi erunt.

Trahẽdus humor.

Causæ antecedentis tollẽdæ ratio.

Quibus peractis ad maiorem cautionem, si aliqua luis venereæ suspicio subesset, vt ligni guaiaci decoctũ arte paratum diebus aliquot sumat, etiam atque etiam hortor. Tot mihi dicenda occurrebant, pro Nobilissimi Iuuenis valetudine recuperanda. Faxit Deus, vt prospera illi contingant.

De Vulnere ex morsu Viperæ pro Domino Francisco Saluccio Pharmacopola, Consultatio XXXIII.

ANte quam præsentem cõsultationem aggrediamur, Clarissimos Viros, qui ante me dicturi sunt rogatos volo, vt omni dicendi breuitate contenti, remediis potius quam verbis in casu tam præcipiti agere velint, ne nobis id contingat, quod in adagio est positum. Dum Romæ consulitur, saguntum expugnatur: quinimo in ea sum sententia, vt (annuentibus Clarissimis Viris) dum consulimus, omni studio, & sine mora venenum iam vulneratæ parti communicatum extrahere tentent assistentes, tum cucurbitula cum flamma maiori vulneri affixa, locis prius circunstantibus scarificatis, quo plus sanguinis infecti extrahatur; tum gallinæ podice vulneri applicato: sed, vt ad institutum deueniam, morbus de quo nunc agimus continui est solutio, vulnus nempe in manus sinistræ parte carnosa magis ad car-

Affectus.

ad carpum accedente ex viperæ morsu contractum, dum pro conficienda Theriaca viperas audacius pertractabat. Vulnus autem hoc comitantur, dolor in parte punctorius, ac vehementer mordicans, coloris non solum affectæ sedis, sed totius corporis mutatio, ardor quidam insignis, grauesque molestiæ laborantē hunc ita fatigant, vt modo frigore insigni, modo feruore afficiatur. Ita vt, & morbus, & morbi causa, tum interna, tum externa, & sedes affecta ita pateant, vt nulla hic sit opus inquisitione. *Symptomata.*

Quo circa statim ad Medendi Methodum me conferam. Tria hic sunt, quæ indicant. Venenum eiaculatum, vt morbi causa proxima. Pars affecta. Atque morbus ipse: vulnus videlicet, quibus, & symptomata accedunt. Primum sui ablationem indicat. Tollitur autem partim cucurbitulis superius commemoratis, vel etiam inustione non admodum profunda, quod locus neruosus sit; partim, & simplicibus, & compositis medicamentis topicis. Qualia sunt. Allium, cæpa, sinapi, flammula, gentiana, scordium, diptamum, stercus caprinum, fermentum, & eius generis alia simplicia. Compositorum autem præcipua sunt. Emplastrum ex allio, cæpa, & Theriaca simul contusis cum fermēto melle, & sale. Sed quod magnopere profuturum speramus, emplastrum est huiusmodi. *Met. med. Indicātia tria.* *Topica simplicia.* *Topica cō posita.*

Rec.	Galbani, Sagapeni.	
	Opopanacis, Assę fętide.	
	Myrrhę	an. vnc. mediam.
	Piperis, Sulphuris.	an. drach. 2.
	Stercoris columbini.	
	Stercoris anatis	an. vnc. 2.
	Calaminthę, mentastri	an. man. 1.

Gummi Vino dissoluātur, & addito melle, & Oleo antiquo fiat emplastrum, quod sæpe, ac sæpius permutetur.

Inter hęc extrahentia medicamēta. Theriaca rosaceo mixta in vulnus indita, vt cucurbitulę instar exugat, valēterque virus ipsum ab alto extrahit, vt quę non modo epota, sed etiā extrinsecus admota, pręsentaneum remedium existat. Totius ergo extractionis compēdium ad omnes morsus venenatos ex Pauli sententia est. Vulnus exugere, syciam cum multa flamma adhibere, vicinasque partes scalpello exasperare, & exulcerata adurere. Nam virus vna cum sanguine, & spiritu hunc in modum extrahitur. Columbi etiam, vel gallina discissa salubriter imponitur. Cęterum illud vnum minime silēdū puto, quod ad vstionem pertinet, videlicet Vlcus adurendum non esse, nisi inter affectus initia priusquam virus interiora subeat. *Medicamentū valenter extrahens.* *Totius operis extractionis cō pendium.* *Cautione tatu digna.*

Aliter enim venenum introrsum agitabitur: admouenda tamen sunt emplastra, quæ virus enocent, exiccent, & vesicas inducant. Et hęc de extrahendo veneno totius morbi causa, quod erat primum propositum.

Pars affecta quomodo tractanda.

De parte autem affecta tractanda ita sentio. Licet pars hunc in modum affecta interdum amputanda sit, vnde vinitor a vipera morsus, falce demorsum digitum cum fælici successu sibi ipsi amputauit. Alter in vno manus digito ab aspide compunctus, eius radice iuxta palmam vinculo ligata, digitum totum abscindendum curauit, sicque sanus euasit Gal. teste tertio de Loc. affect. nihilominus cum pars vulnerata manus nempe sectionem recusare videatur ob graue periculum, quod ab hac sectione impendet: præsidiaque extrahendo veneno opportuna quamprimum affectæ parti adhibita fuerint, & nunc etiam sine intermissione adhibeantur, sperandum fore, vt sine hac tam periculosa totius membri amputatione, Deo immortali adiuuãte, ab omni periculo euadere possit. Atque præsertim si propositis iam antea, quam consultationem hanc iniremus, & nũc proponendis remediis cordi veluti parti secundario affectę, cui venenum perpetuo insidiatur, sine mora occursum fuerit, non solum his quæ sumuntur, vt Theriaca, puluis cancrorum fluuiatilium, Gentiana, succus foliorum fraxini, & huiusmodi alia. Inter quę hoc nobis maxime probatur.

Remedia cordi prospicientia.

Rec.	Lapidis magnetis	scrup. 4.	Misce.
	Pulueris Gentianæ	dr. 1. cum dim.	
	Theriacę	drach. 1.	
	Vini Albi optimi	vnc. 9.	

Medicamenta cordialia externa temperata sit oportet.

Cuius media pars detur quamprimum ante cibum, & altera sex abhinc horis pariter ante cibum, repetaturque medicamentum singulis sex horis. Extrinsecus autem cordis regioni, & fotus, seu Epythemata, & illitiones admoueantur. Vt illitio ex Oleo de seminibus, aut de corticibus citri, Epitemata autem cordialia sint tepido calore actu, & potentia prędita. Calidorum enim immoderato vsu succi vitiosi a toto ad viscera, & ad cor pręsertim traherentur. Impense verò frigida ex eo suspecta sunt, quia a venis, & arteriis externis minoribus ad interna maiora vasa, sanguinem venenata labe infectum summa cum Aegrotantis pernicie propellere possent; Temperata igitur omnia eligantur. Theriacam autem excipio, quæ vel Vino, vel Oleo ex corticibus Citri liquata, & cordis regioni illita, mirifice cordi prospicit, quo minus venenatam auram admittat, idque prętare creditur, non solum manifestis qualitatibus, sed bezoartica sua facultate: sicque parti, & primario (nempe vulneratę) affectæ, & secundario, cordi videlicet erit occursum. Interim infestantis doloris ratio est habenda. Quare linimentum hoc pro mitigando dolore idonem erit. Recipit autem Buthyri recẽtis, Olei violati ana vnciam vnam. Oui candidi nu. vnum, Croci grana septẽ. Misce pro linimento. Emplastra etiam in hunc vsum parantur ex radicibus Altheæ, malua, violaria, absynthio, camęmelo rosis, meliloto, fui fure, vitellis ouorũ, croco, Oleo rosaceo & chamæmelino. Sed ratio, veterũ auctoritas, & quotidiana experiẽtia me

Dolorem mitigãtia

tia me

tia me docuerunt nullum esse præstantius præsidium ad mitigandos dolores hoc in casu, simulq; ad extrahendum venenum, animalibus per dorsum discissis, actuq; calentibus parti vulneratæ applicatis, quæ cum refrixerint amoueantur, & alia, vt gallinæ, galli, aut columbæ iterum atque iterum applicentur.

Quòd verò ad morbum attinet, nempe ad vulnus ipsum illatum animaduertendum est, ex eo tempore, cum crustæ (seu igne, seu adurentibus medicamentis inductæ fuerint) decident, ne vlceris ora coalescant, & cicatrice obducantur. Sed (si fieri potest) in longum tempus prorogentur, quò virosa materia semper effluat; nō autem intus contineatur, & ad intima se insinuet. Id autem perbellè præstabunt allium syluestre detritum, aut cæpa, vel salsamentum omne vlceri inditum. Vbi verò præfinitum tempus præterierit vlcus ad cicatricem perducendum. De venæ sectione atque de medicamentis purgantibus non habeo quod proponam, quòd certo sciam, hæc opera (inter morbi præsertim initia) ob id valde formidanda esse, quoniam humores ab extimis corporis partibus ad intimas deturbent. De victus ratione. Cibus sit ptisana, lactuca, portulaca, acetosa, pimpinella, Citri, Arancia poma, pulli gallinacei cum lactucis excocti, & eorum iuscula. Potus sit, vel aqua hordei, vel vinum valde dilutum.

De sanguinis per os profusione pro Perillustri D. Polisena Siluestria a Montealto, Consultatio XXXIV.

SAnguinis per os eruptio, symptoma nempe in excretis toto genere præter naturam in Perillustri hac Muliere morbum consequitur in via apertionem videlicet alcuius venæ in ipsis pulmonibus. Etenim sanguis, qui bis, teruè cum tussi effluxit copiosus, tenuis, floridus, nulla eius parte grumosus, citra vllam impetuosam violentamq; causam affatim excretus, & cum spuma nusquam delitescente, affectum vna cum sede affecta clarè ostendunt. Quod autem arbitrentur alij doctissimi Medici sanguinem hunc è capite prodire, quoniam Mulier hæc Illustris capitis dolorem quendam cum grauitatis sensu sæpe perpetiatur; non conuincit: quandoquidem nec faucium titillationem aliquam persentit, nec vllus in sanguine excreto grumus obseruatur, neque si nares valenter etiam emungantur sanguinis signum vllum apparet. *Affectus vna cum sede affecta.* *Signa.* *Sanguinis a capite defluxi notæ.*

Apertionis autem venæ in ipsis pulmonibus causam referendam putamus in pulmonum, eorumque vasorum laxiorem, molliorem q; substantiam ob continuam fere a capite in subiectas partes destillationem, neutiquam tamen acrem seu salsam; accedente tussi, quæ licet violenta non sit, frequentia tamen, & assiduitate laxiores venas si non disrumpere, earum orificia saltem aperire potuit. *Venę pulmonũ aperte causa.* *Destillat. causa.*

Destillatio autem hæc non aliunde proficiscitur, quam a cerebri

humida, frigidaque intemperie, vt ex proprijs signis innotescit: quæ breuitatis causa hic non recensebo. De affectu hoc, jugiterque de affecta sede abunde disseruit Galenus cum pluribus in locis, tum 4. de Loc.aff.cap.5. Et Lib.5. Meth. Med.capit.8. Nec non tertio de causis symp. cap.2. Curationis primum consilium quamprimum dirigendum est in venarum oscula reserata, vt sine mora occludantur, simulque in destillationem inhibendam; quæ quidem opera duo præstanda erunt omni studio medicamentis, tum sumendis, tum admouendis. Inter quæ primum locum obtinent duo a nobis sæpius comprobata remedia. Quorum primum est, quod recipit Conseruæ rosarum vnc. tres. Conseruæ betonicæ vnc. vnam. Boli armenæ. drach. duas. Seminum Hyosciami albi drach. vnam. Syrupi ros. de rosis siccis q. s. & fiat Electuarium, cuius vnc. media exhibeatur vesperi hora somni. Alterum est. Diacodion in rotulis cum bolo armena assidue in ore detinendum. Ad idem etiam maxime valet Theriaca recens, hoc est, quæ vnum non transcendat annum quinque horis ante prandium drach. vnius pondere data. Interim capiti prospiciendum inunctionibus, pulueribus cephalicis, syncipiti iuxta coronalem admotis, vel etiam cerato, & eius generis aliis siccantibus, nec non fluxionem infrænantibus, sed ante omnia aluo lenita, vel melle ros. solut. cum manna, vel leniente clystere, auersionis gratia secanda est vena communis vtriusque brachii: vnde sanguinis vnc. quatuor ab vtroque latere eadem die detrahantur. Quo tempore vtendum erit victu mediocriter quidem tenui, sed nonnihil crasse faciente. Propterea iuniorum animalium partes extremæ in aqua chalybeata elixæ maxime probantur.

Met. med.

Victus ratio.

Quemadmodum, & ptisana hordeacea cum amylo ex iure, in quo plantaginis folia præbullierint parata. A Vino prorsus abstinendum, & eius loco aqua chalybeata vtendum. Ab omni, tum corporis, tum animi immoderato motu cauendum. Somno potius, quam vigiliis indulgendum. Aer frigidus potius, quam calidus inspirandus: modo superuacanei humores pulmones, thoracicasque partes non repleãt. Qua quidem victus ratione vna cum commemoratis præsidiis vtendum erit primis hisce diebus, donec tempus prȩterierit suspicionis nouæ sanguinis excretionis. Tunc enim, vt Illustris hæc mulier ab hac destillatione tussim assiduam excitante liberetur, atque ab imminenti periculo nouæ sanguinis erupitionis, & pulmonum vlceris tuta reddatur, omni diligentia incumbendum erit toti corpori expurgando, cerebro roborando, quo minus superuacanea producat excrementa, atque producta saltem a pulmonibus ad alias partes demittat. Vtrum autem propositi scopi expleri possint quis dubitare posset, quod omnis sanguinis excretio (præter eam quæ mulieribus statutis mensibus accidit) semper mala periculosaque sit, scribente Hypp. tertio Aph. 25. Præterea destillationes omnes sub hoc Romano Cœlo pertinaces

Altera curationis ratio.

Præsagia

ces semper esse solent. Nihilominus cum Nobilissima hęc mulier primum adhuc senium nō attingat, seque totis viribus medicorum prę-ceptis obtemperaturā polliceatur, neque effectus hic sit inueteratus, destillatioque minime sit salsa, de futura recuperanda sanitate minime diffidendum. Vt igitur propositum negotium prospere, & ex voto succedat præscripta victus ratione tenui extenuante (moderate tamen) & calfaciēte, ac siccante, iterum purgandum erit corpus pilulis de hyera cum Agarico, & cochiis simul, præhabita humorum peccātium, pituitosorum nempe, præparatione. Quæ etiam pilulæ si per totam hyemem bis in mense propinentur, maximam inde vtilitatē Nobilissimam Aegrotantem percepturam non dubitamus. Quibus peractis ne cerebrum in posterum tot excremēta colligat exiccandum, roborandumque erit internis, & externis auxiliis. Proinde præscribendæ confectionis vsus valde opportunus erit. *Victus ratio altera.* *Cerebrum roborātia medicamenta.*

Recipe
- Conseruæ Rosarum.
- Florum Rorismarini.
- Florum Saluiæ an. vnc. duas.
- Conseruæ Betonicæ vnc. vnam.
- Ligni Aloes.
- Spicænardi an. dr. mediam.
- Syr de Stechade q.s. fiat electuarium.

Cuius drac. sex exhibeantur tribus saltem horis ante prandium. Cum hoc Theriaca, sed non recens, aut Mitridatica confectio dormituræ Aegrotanti vtiliter dabitur. Quo tempore dimittenda non erunt topica medicamenta cęphalica calfacientia, & siccantia moderate capiti iuxta coronalem adhibenda. Quod si his non obstantibus cerebrum adhuc recrementa noxia accumulauerit, (quod ex durante destillatione deprehendetur) vt hæc ipsa a partibus Thoracicis ad alias deflectātur, & clysteres molliores tertio saltem quoque die, & pilulæ de Agarico ex interuallis, & pedum lotiones summo mane, & huiusce generis alia auersoria auxilia vsurpanda erunt. Inter quæ inustum Cauterium inter primam, & secundam vertebram, vel saltem in altero brachio magnopere conducturum haud dubium est. Quemadmodum, & radicis chinę, cum ligno visci quercini decoctum, herbis cephalicis additis viginti saltem diebus de more datum, tum ad reliquias excrementorum dissipandas, tum etiam ad cerebrum, & pulmones roborandum maxime omnium opportunum remedium fore iudicamus. Verumenimuerò si hisce omnibus administratis præsidiis commemoratorum affectuum soboles adhuc superessent, aduentante vere proximo caput stillicidio aquarum Thermalium sulphure, & alumine, vel sale etiam medicatarum submittendum etiam atque etiam hortamur. Et hæc pro Perillustris Mulieris valetudine dicta sufficiant. *Auersoria medicamenta.* *China decoctum.*

De Muliebri profluuio pro Nobilissima Matrona Romana, Consultatio XXXV.

Vterini fluoris causa. VTerini Fluoris Nobilissimam hanc Matronam quatuor ab hinc mensibus sollicitantis causam interiorem continentemque non aliunde prouenire arbitramur, quam ab excrementitio humore pituitoso in ventriculo cumulato, ob vitiatam eiusdem coctionem, frigidæ humidæque intemperantię non a natura, sed propter errata quę dam perpetrata contractæ vitio. Etenim exeuntium qualitas, & substãtia humoris pituitosi naturam præseferunt. Nec vlla de vtero quęrimonia subauditur. Ventriculum autem frigida humidaque intemperie laborare, & tarda coctio, & acidi interdum ructus, & appetẽtia, quæ coctionem longe superat, cumulate indicant. His accedit, quod omnia alia viscera satis probe valent.

Curationis scopi. Quapropter, vt Nobilissima Matrona ab hac molestia liberetur, & ab imminenti sterilitatis periculo præcaueatur, tria omni accurata diligentia sunt præstanda. Nimirum, vt pituitosorum excrementorum generatio, tum proba victus ratione, tum ventriculi attemperatione inhibeatur: necessario autem geniti, & dissipentur, & ab vtero ad alias partes auertantur: ac tandem vterus siccetur, & roboretur, ne æque facile superuacanea admittat. Quæ quidem ad hunc, perinde atque ad quandam sentinam profluere solent.

Præsagia Quos quidem scopos obtinere non admodum difficile erit; iuuenilis enim ætas, saluberrimus a natura habitus, & affectus minime inueteratus, negotium hoc ex voto successurum pollicentur: præsertim cum præsidia generosa etiamnum explorata minime fuerint.

Victus ratio. Quod, vt facile assequamur necessum est in primis victus rationem tenuem, extenuantem, moderateque siccantem Nobilissimæ Matronæ continenter obseruandam præscribere. De qua quidem pauca mihi ducenda supersunt, quod complura non minus docte, quam eleganter a Doctissimis Viris adducta fuerint. Igitur (quod ad exercitium attinet) vitam sedentariam in Nobilissima hac Laborante magnopere damnamus, quemadmodum, & immodicum exercitium, concitatioresque motus. Exercitium autem temperatum ante cibum maxime ex vsu illi erit: sed præ cæteris, partium superiorum exercitationes frequentes, frictionesque magnopere commendantur. Vt rarò Vinum adeat horror. Aluo non fluente, alternis saltem diebus, vel prunis solutiuis in prima mensa deuoratis, seu mercurialis decocto epoto, vel clystere ducatur. Cibos coctu difficiles, cruditatesque omnes deuitet. Parce admodum bibat. Sitque potus Vini rubelli pauciferi, & subadstringentis: in quo aurum seu ferrum candens

dens extinctum fuerit, vel aqua ferrata attemperetur. A cibo cydoniis Vino excoctis, & saccharo tectis vtatur, seu coriandris saccharo conditis.

Mox, vt aliis scopis satisfacere valeamus, opere pretium erit totius corporis, ac præsertim ventriculi pituitosa recrementa apparare, & apparata expurgare medicamentis pituitosæ cacochymiæ emendandæ idoneis. Quo in casu inter purgantia medicamenta omnia ex hyera, & Agarico sunt huic operi maxime opportuna. Vt verò vasa medicamentis sumendis peruia magis reddantur, sanguinis è vena iecoraria brachii dextri detractionem non improbarem, a primo nempe, vel a secundo syrupo. Purgatione finita, ventriculo roborando, calfacientibus, & siccantibus stomatichis, & internis, & externis quamprimum studendum erit. Quorum paucula quædam in gratiam exempli hic proponam. Inter ea, quæ sumuntur drachma media Mastiches molliter contusi, ex ouoque sorbili immediate ante cibum mane, & vesperi deuorati mirum in modum vētriculum infirmum roborat, fluoremque vterinum sistit. Ad idem maxime valet medicamentum mihi valde familiare nunc præscribendum. *Purgatio.* *Ventriculus roborādus.* *Vsus mastiches.*

Rec.	Conseruæ Rosarum antiquæ	vnc. 3.
	Nucis moschatæ	drach. 1.
	Specierum Diatrionpipereon.	
	Specierum Aromatici rosati	an. scrup. 2.
	Santalorum omnium	drach. mediam.
	Ligni Aloes	scrup. 1.
	Miuæ Citoniorum Aromaticæ q.s. & fiat Electuarium.	

Auctoris medicamentū stomatichū.

Cuius vncia media detur duabus horis ante prandium septem diebus continuis. Quo tempore ceratum corio exceptum hic describendum supra ventriculi regionem gestabit.

Rec.	Mastiches	vnc. mediam.
	Caryophyllorum.	
	Nucis moschatæ.	
	Zedoariæ.	
	Ligni Aloes	an. scr. 1. cum dim.
	Specierum Diambrę	scrup. 1.
	Olei mastichini	vnc. mediam.
	Terebinthinæ q.s. & fiat ceratum pro stomacho.	

Ceratum pro stomacho.

Quibus peractis ad auocanda ab vtero ad alias partes recrementa tria valde profutura præsidia occurrunt. Diureticorum vsus. Interposita, repetitaque purgatio ex Rhabarbaro; atque decoctum ligni guaiaci ea lege, & arte paratum, vt excrementorum in vniuerso corpore redundantium reliquias dissipare, sudorem, aut vrinam mouere, idcoque auertere, simulque etiam ventriculum, & vterum firmare valeat. Est autem huiusmodi.

Ligni sancti decoctum.

Recipe
- Ligni guaiaci torniti vnc. vnam.
- Radicis sassafras drach. duas.
- Santalorum omnium drach. vnam.
- Infundantur in aquæ chalybeatæ lib. tribus.
- Horis duodecim. Deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis aquæ, atque in fine adde ad ebulliendum
- Foliorum Plantaginis, Menthæ, Matricariæ, Artemisiæ, Fœniculorum, Capillorum veneris an. pug. vnum.
- Sumach, radicis petrosellini an. drach. vnam.

Cauteriũ. Colati vnc. septem, vel octo exhibeantur in aurora, & sudor molliusculè prouocetur. Idque viginti saltem diebus continuis præstandum. Quo tempore auersionis gratia, cauterium cruri dextri parti interiori sub genu candenti ferro, vel caustico affixum, non possum nō summopere cum Clarissimis Viris collaudare. Sed (vt antea dicebam) auersio, quæ fit, & per sudorem, per vrinæ, ac stercorum vias non est contemnēda. Quemadmodum, & quę per vomitum facilem fit, maxime probatur. *Auersio non contemnenda.*

Vterũ corroborãtia. De vterum roborantibus medicamentis, qui tertius erat nobis propositus scopus, liberè dicam quid sentio. Fotus, linimenta, & pessaria ex rebus siccantibus adstringentibusq. a Doctissimis Viris proposita certè non improbo; Verumenimuero magis mihi arrident insessus ex aquis Thermalibus ferreis aluminosis, & aliqua ex parte sulphureis; vel ex aquis earundem facultatum Arte paratis. Sicuti quoque, & suffumigia siccantia adstringentiaque. Quæ quidem dum in vsu habētur, si bolus ex Mithridatij drach. media cum Trociscorum de charabe scrup. vno deuorandus dabitur, multo efficacius (quod intendimus) præstabunt. Hęc dicta sufficiant in gratiam Nobilissimę huius Matronę, cui Deus concedat optatam valetudinem.

De Dentium dolore pro Illustrissimo atque admodum Reuerendo D. Abbate Reario, Consultatio XXXVI.

Doloris causa. IN proposita Consultatione breuis admodum ero, quòd Clarissimi Doctores, qui ante me dixerunt omnem (vt dici solet) lapidem mouerint. Dolorem, quo Illustrissimus Abbas per interualla quædã acerbissimè secundum dentes plures inferioris maxillæ lateris dextri tractatur, non aliunde oriri, quam ab intemperie calida cum humore bilioso, vnicuique satis testari possunt, tùm doloris species; acerbissimus enim est, tùm vrgente dolore facies solito calidior, tùm oris amaritudo, tum etiam ætas, temperamentum, & præcedentes causæ externæ. Quod autem dubitant Clarissimi Viri, cur videlicet dentes compatientes nec colorem, nec substantiam etiamnum permutauerint, vno excepto qui perforatus apparet, id propterea euenit, quoniam affectus is in neruis dentibus substratis consi- *Partis affectæ signa.*

stit;

ſtit; Quod ex doloris vehementia ſatis intelligitur.

Quocirca tota præcautionis (de qua præcipuè nunc agimus) ratio in eo poſita eſſe videtur, vt tùm victus ratione, tùm feruidioris hepatis attemperatione biliosorum humorum generatio inhibeatur, & neceſſario geniti ad inteſtina, vel vrinæ vias, ſeu ad cutim ipſam auertantur, ſimulque caput, & maxillæ ita roborentur, ne huiuſcemodi excrementitios humores ſuſcipiant. *Curationis ſcopi.*

Quod quidem, vt obtineatur, (modo Illuſtriſſimum Laborantem ſe medicorum præceptis obtemperaturum polliceatur) non admodum difficile erit: quandoquidem nec dentium ſubſtantia eſt immutata vno excepto, nec vitium hoc ætati, & temperamento diſproportionatum eſt. Igitur victus ratione præſcripta cauſæ morbificæ oppoſita, corporeque (vt decet) præpurgato, & per venæ ſectionem euacuato, vt hepatis feruor pro viribus attemperetur, hoc tempore quo iam calores inſtant, ſeri caprini ita depurati à caſeo, & butyro, vt aquam ſubſtantia, & colore referat, libræ ſaltem tres mediæ horæ ſpatio ab Illuſtriſsimo Viro ſumantur, oportet, horis ſaltem quinque ante prandium, ſucci cichorei depurati vncijs tribus primo cyatho additis. Veſpere autem duabus horis ante cœnam in aquæ tepidæ balneo horæ paulominus ſpatio ſe immergat: quod quidem lauacrum dolorem etiam (quando vrgeret) maximè demulcere valet. *Preſagia.* *Victus rō.* *Hepatis feruor emēdādus.*

De medicamentis, & auxilijs auerſorijs ita decerno, quæ vrinam mouere poſſunt, vt melonum ſemina, petroſelini, fœniculiq; radices, Aſparagi, & conſimilia ſimplicia cibis immixta ſummopere laudantur, quemadmodum, & pilulæ, tùm aureæ, tùm de hyera Nicolai, tū etiam de Agarico Meſue ex interpoſitis interuallis deuoratæ, vim maximā habent ad auocanda a partibus ſupernis ad infernas cuiuſq; generis recrementa. In quem vſum etiam maximè commendantur pedum ex aqua calente lotiones manè, & veſperi repetitæ. *Auerſoria auxilia.* *Vrinam mouētia.* *Pilulæ.*

Cauterium quoque in dextero crure paulo ſubtus genu excitatum, diuque apertum conſeruatum incredibilis in hoc opere emolumenti futurum, nemo eſt qui ignoret. *Cauteriū.*

Cæterùm ad roborandum caput nullum præſtantius, faciliuſq; remedium nunc occurrit capitis eiuſdem lauacro ſemel in hebdomada lixiuio dulci, ex vitis cineribus cum roſis, violis myrtillis, & ſantalis rubris cum modico Agarico parato. Sicque pro roboranda maxilla affecta, decoctum ex eiſdem nunc commemoratis ſimplicibus in aquæ ferratæ, & Vini rubri oligophori ſubad ſtringētis partibus æqualibus paratum ore continendum mirificè proderit. Hæc autem de præcautione dicta ſufficiant. Reliquum nunc eſt, vt duo, vel tria præſidia hic præſcribamus, quæ dolorem (ſi in poſterum vrgeret) quamprimum mitigare valeant, licet præſentis conſultationis propoſitum totum in præcautionem dirigatur, quorum primum erit. *Caput roborantia.* *Maxillas firmantia medicamenta.*

Recipe

Medicamentũ dolorem sedans primum.

Recipe
- Succi superuiui.
- Succi solatri an. vnc. duas.
- Lactis vaccini vnc. nouem.
- Olei rosati onphacini vnc. vnam cum dim.
- Opij, Croci an. gra. tria.

Misceantur, & linteo exceptus liquor tepens maxillæ dentium dolentium sæpius sępius applicetur. Alterum.

Alterum.

Recipe
- Medullæ pomorum dulcium excoctorum vnc. 2.
- Furfuris aceto macerati vnc. 3.
- Olei rosati omphacini vnc. 1.
- Croci scr. medium.
- Opij gr. 2.
- Misce, & fiat Emplastrum loco dolenti applicandum.

Tertium, & expertum.

Tertium.

Recipe
- Vini albi potentis vnc. 4.
- Radicis hyosciami albi dr. 2.
- Bulliant ad consumptionem tertię partis.
- Dein colletur colaturę adde aceti nigri vnc. 1. s.
- Vernicis dr. 1.
- Iterumque bulliant vnica leui ebullitione.
- Colatum ore contineatur.

Medicamentum pro dente perforato implendo.

Dentis autem perforati cauitas impleatur Theriaca cum pyrethro, nigellę, & aquę ardenti commixta.

Quibus omnibus administratis remedijs Deo immortali adiuuante dentium dolorem hunc cessurum non diffidimus.

De Calculi renum, & vesicæ suspicione pro Perillustri Domino Horatio Spada Brixelliensi, Consultatio XXXVII.

Nihil in Arte prorsus notum

QVoniam nihil in Arte Medica vsque adeo clarum est, quod dubitandi occasionem aliquam non præbeat; haudquaquam mirandum est, si doctissimi Viri in præsenti consultatione in varias, pene que opposítas sententias distrahantur. Alij enim arbitrantur Perillustrem propositum laborantem renum calculis laborare, tùm quoniam nephriticis affectibus multis abhinc annis sollicitatus fuit, arenulasque vnà cum vrinis antea excreuit, & nunc etiam excernit (fallax sanè coniectura) tùm quoniam diebus elapsis post corporis vehementem concitatumque motum turbidas, & cruentas vrinas minxit (infirmum profectò argumentum) quandoquidem immoderato exercitio renes interdum vsque adèo excalfiunt, vt eorum vasa dilatentur reserenturque vnde sanguis vna cum vrina profundatur,

Renũ calculi fallax coiectura.

sine

ſine tamen notabili dolore: Vbi verò ſanguis è renibus cum vrina delabitur ob calculum partes lacerantem, in eius motu, acerbiſsimi tunc ſuboriuntur dolores; præſertim cum renum cauitatem, vel vreteras ſubit. Refert autem Perilluſtris Patiẽs nullum dolorem expertum fuiſſe in commemorata cruentæ vrinæ excretione. Hæc igitur argumenta minime me impellunt, vt credam Virum Perilluſtrem renum calculis laborare, cum nullum in hoc ſignum appareat eorũ, quæ ab Hippocrate, & Galeno Lib. ſexto de M. Vul. ſec. prima Com. 5. enumerantur affectum hunc conſequentia; videlicet dolor grauis in fine lumborum, fixus, paruoque loco circunſcritus. Vomitus primum pituitoſus, dein æruginoſus. Doloris incrementum ab aſſumpto cibo, qui vel poſt vomitum, aut ventris deiectionem miteſcit. Fœmoris, & cruris è directo renis compatientis torpor, ſeu ſtupor quidam. Nec non teſtis eiuſdem lateris dolor. Quorum nullum in propoſito Patiente (vt diximus) obſeruatur; vnde calculi renum ſuſpicio omnis excluditur.

Alij verò argumentis ſatis apparentibus audacter aſſerere videntur Perilluſtrem hunc virum veſicæ lythiaſi laborare. Quorum argumenta hæc ſunt. Dolor aſsiduus cum rei cuiuſpiam grauis ſenſu perinæi loco incumbentis; qui dolor ab externo etiam obiecto locũ illum premente exacerbatur. Egerendi interdum cupiditas in lotio reddendo. Vrinæ curſus nonnunquam tantiſper impeditur quidem, ſed prorſus non ſupprimitur. Quæ quidem ſymptomata veſicæ lythiaſis timorem non leuem mihi quoque profectò incuterent, niſi vnum alium præter naturam affectum, in Perilluſtri Viro obſeruarẽ, a quo omnia hæc commemorata vitia oriri poſſe neminem latere arbitror. Affectus autem eſt perpetuus ferè teneſmus; cuius quidẽ cauſam in venas hæmorrhoidales internas magnopere turgentes cum aliqua inteſtini recti exulceratione citra omnem controuerſiam referre debemus. Hæmorrhoides enim duplicis ſunt ſortis: aliæ enim externæ ſunt, propaganturque a venæ cauæ ramis; aliæ interiores, quę a ſplenis, & menſenterij venis propagantur, quæ hæmorrhoides cæcæ dicuntur, quando prætumidæ quidem ſunt; ſed ſanguinem non reddunt, neque conſpiciuntur, niſi ano deſcendẽte, vel immiſſo ſpeculo, quales in præſenti Patiente deprehenduntur; internæ nimirum, valde tumentes vuis conſimiles, quæ morę a nonnullis appellari conſueuerunt, quòd moris conſimiles cernantur; Hæ autem quatenus acri, atrabilarioque ſanguine ſunt refertæ, & diſtentæ, inſignem ea in parte dolorem excitant, ob exactum partis illius ſenſum ſphyncteri muſculi neruis mediantibus; vnde aſsidua illa egerendi cupiditas, ſine tamen fœcum excretione; quatenus autem repletæ admodum ſunt, & duræ eam partem premendo dolorem illum grauem perpetuo efficiunt, modò maiorem, modò minorem, prout plus minuſuè turgẽt; qua etiam ratione veſicæ ceruicem inteſtino recto conſentientem

Veſicæ lythiaſis dubie coniectura.

Teneſmi cauſa.

Hemorhoidum differentia.

Symptomatũ cauſa.

premen-

premendo, angustãdoq; vrinę cursum interdũ remoratur. Et quoniã anus, & vesica inter se cohærēt, mutuoq; cõpatiuntur; hinc fit, vt tristis quidã sensus in pudendo interdum excitetur; pars enim hæc vesicæ maximè consentit. Ergo symptomata iã dicta vesicę lythiasim nõ necessariò concludunt. Quod autem Perillustris vir in reddenda vrina deijciendi iugiter desiderio interdum tentetur (lapidis in vesica signum) non vrget; etenim cum frequenti tenesmo molestetur, fortuna interdum fert, vt inter mingendum cõsueta pariter egerendi propensione sollicitetur. Præterea in vrinæ expressione aliquo cum conatu ob meatus angustiam ab intestino recto prætumido subiectas partes premente comparatam, ano simul etiam non nihil commoto, irritatoque, tenesmus suboritur, isque non semper, quòd hæmorrhoides illæ internæ non semper ęquè turgeant. His accedit, quòd si in proposito Patiente vesica calculo laborante, vrinæ tenues, subalbidæ, & crudæ prodirent, sabulosum (hoc est argillosum quid luto consimile) deponerent, præsertim si lapis grandior esset: quod quidem intelligere voluit Hipp. Aphor. 4. Aph. 79. vbi habet. Quibus in vrina arenosę sunt subsidentiæ his vesica calculo laborat. Quem qui dem Aph nullus (absit arrogantiæ nomen) ante nos interpretatus est. Pruritus, & tensio crebra pudendi: insignis sub mictionis finem dolor: nec non stillicidium assiduum patientem hunc grauius cruciarent. Quorum signorum nullum hic integrè obseruatur: & si quæ sint his fortè similia, hæc non a lapide, sed ab internis tumentibus hęmorrhoidibus Tenesmum efficientibus proficiscuntur. Cuius quidem rei illud euidentissimum est argumētum, quod Perillustris Vir paucis duntaxat ab hinc diebus mala hæc experiri cępit, quo nimirũ tempore hęmorrhoides, & ex hęmorrhoidibus tenesmus cęperunt.

Lapidis vesicę coniectura.

Tenesmi causa vna

Argumēta vesicæ lythiasim excludentia.

Quo circa recta curandi ratio tota in eo sita erit, vt sanguinis ad sedis venas fluentis impetus coerceatur, qui iam fluxit, & venas illas distendit omni Arte, & studio detrahatur, affectæ partis dolor sedetur, atque intestini recti vlcusculum illud detersum prius (vt decet) ad cicatricem perducatur. Neque autem huiuscemodi scopos a nòbis expleri posse breui etiam tempore minime desperandum; quandoquidem res agitur cum Viro, licet in ętate inclinante constituto, robusto tamen, atque corporis habitu firmo admodum a natura conformato. Morbus præterea neque propria essentia, neque partis affectæ pręstantia magnus dici potest. His accedit, quod affectus hi pręter naturam non sunt inueterati, non contumaces, seu mali moris, neque etiamnum explorata sunt remedia malis hisce curandis opportuna. Inficias tamen non ibo ani vitia curationem difficilem recipere: quia sedes affecta cum exquisite admodum sentiat, acriora, & austera remedia ęgre admittit: item recrementorum transitu mordaci valde irritatur. Accedit, quod loci humiditas, & caliditas putredinem facile accersit. Quin, & nullum certum determinatumque tempus adhiben-

Curandi ratio.

Progn.

Ani vitia cur difficillima curatũ sint.

hibendorum remediorum nobis concessum est; quod plerumque tempore minime conuenienti, ęgrotantes ad deijciendas fœces concitantur. Omnem tamen difficultatem superatam iri non diffidimus, quoties Perillustris Vir Medicorum præceptis totis viribus obtemperauerit.

Et quoniam nullum quantumuis efficacissimum, & generosum remedium quidquam emolumenti afferre potest, nisi recta vitæ ratio ad vnguem obseruetur, hanc primo loco paucis absoluam. Sit igitur tenuis, refrigerans, & subadstringens. Ea propter Prissana ex hordeo perusto prius, dein in iure partium animalis extremarum ex aqua chalybeata parato probe excocto, optimum illi alimentum erit. Quorum etiam animalium, vt hædi, vituli, veruecis, & capi extrema cum cichoraceis, & plantaginis folijs excocta inter alia edulia maxime commendamus. Potus sit aquę ferratæ, in qua santalorum rubrorum portiuncula prębullierit: Vinum enim ob loci inflammationem, quę futura timetur, suspectum habemus. Ab omni, tum animi, tum corporis motu cauendum. In summa a quiete, & parco cibo curatio exordienda est. Somnus omni Arte, & studio procurandus: quo circa, vt perillustris Vir, qui de vigilijs admodum conqueritur, Diacodionis in rotulis vnciam mediam dormiturus capiat, summópere comendamus. Aluus si non respondeat, singulis diebus clystere molli, & blando sollicitanda erit; ne retentæ, induratęque fæces locũ exasperent. Cætera autem ad victus rationem attinentia lubens prætermitto, quòd pro comperto habeam hæc, & alia eruditissimo Medico perillustris Viri curam gerenti notissima esse. *Victus rō.*

Quòd ad opus attinet Chirurgicum, quam maximè probo consilium, vt aluo lenita, quamprimùm sanguinis vncię quatuor, vel quinque summo mane detrahātur, secta nimirum cubiti dextri humerali vena ad reuulsionẽ moliendam. Verumenimuero quoniam nõ solum reuulsione, sed etiam deriuatione hic opus est, vt eadẽ die inclinante iam sole, sanguinis vnciæ sex malleoli vena aperta hauriantur, citra omnem controuersiam cōsulimus: vires enim admodum firmæ habitusque Perillustris Viri sanguineus, sanguinis missionem hunc in modum partitam sine vllo incommodo perferre possunt: neque senilis ætas reclamat; quoniam in firmo puero, & robusto sene ex Galeni dogmate ratione, & quotidianæ experiẽtię consentienti sanguinem tuto mittere possumus. Quinimo ad excludendum sanguinem iam fluxum, & sedis venis tenaciter impactum, (quod ad veram exactamq; deriuationem cum euacuatione spectat) die sequenti rursus euocandus erit sanguis ad vncias sex plus minusue è venis, quæ in sede sunt, tribus vel quatuor hyrudinibus perbelle expurgatis affixis. Præter quam quòd enim sanguinis ex hoc loco detractio tumentes hæmorrhoides sanat, citra virium etiam deiectionem toleratur. Huic quoque accedit, quòd harum venarum per hyrudines apertio *Vena sectio ex brachio.* *Sanguinis missio ex hęmorrhoidibus.*

longè

longè minus molesta est, quàm quæ frictionibus cum fici folijs, aut lineis linteis asperis, & crassis fieri interdum solet.

Medicamenta topica.

Quo tempore lumbis circa os, sacrum, sedi, pubi, & inter fęmineo apponenda erunt medicamenta, quæ dolorem mitigare posśint. Quare in aqua dulci modicè calida bis, terque in die naturali desideat, in qua præbullierint folia maluarum, Altheæ, Violarum, Flores Chamæmeli, Meliloti, Fęnugreci, & Lini semina, cum Anetho: itē, & vbi hæc non suffecerint, Hyoscyami, ac lactucæ folia, & papaueris, tum albi, tum nigri cortices adijciantur. Quòd si Perillustris Aeger hoc in decocto desidere non potuerit, spongiæ eodem in succatæ locis iam dictis addibeantur. Ab insessu, infrascripto linimento digito excepto intestini interior pars illinatur.

Auct. medicamentum anodynum.

Recipe { Foliorum Altheę. / Violarum. / Lactucæ. / Hyoscyami an. pug. 1.

Bulliāt in lacte caprino, vel vaccino, & exprimantur, deinde in expresso colato maceretur mica panis; cui adde vitelli ouorum numero duos, cremoris seminis lini, & fœnugræci an. dra. 2. Adipis anseris, Olei rosacei an. vnc. vnam. Quo quidem vtatur modo iam dicto. Interim etiam, & pro mitigando dolore, & detersionis exiccationisq; gratia, clyster infrascriptus vtiliter infundatur.

Clyster.

Recipe { Decoctionis Hordei integri, & torrefacti. / Foliorum Plantagininis. Rosarum Rubrarum vnc. 9. / Olei Rosacei, Ptisanæ succi an. vnc. 3. / Ouorum recentiū cum albis suis sine corticibus num. duo.

Simulque permixtis fiat clyster. Ad eundem vsum inijciatur interdum lac recenter mulctum caprillum, cum Oleo Rosaceo.

Medicamenta selecta anodyna.

Tria adhuc remedia mihi valde familiaria, & probata hæmorrhoidum dolori mitigando destinata proponenda duxi. Oleum ex vitellis ouorum recenter extractum. Oleum momordicæ (balsaminam vocant.) Et Vnguentum Populeonis cum opij modico, ac ouorum vitello. Quibus digito exceptis anus linitur.

Purgatio.

Porro quod ad cacochymiam tollendam attinet, humores tùm melancholici, tùm etiam pituitosi salsi sanguini confusi apparandi erunt; dein apparati blando, his accommodato pharmaco purgandi erunt hunc in modum.

Recipe | Syrupi de succo Borraginis. / Mellis Rosati. / Syrupi de Endiuia. an. vnc. media. / Aquarum Endiuiæ. / Borraginis. / Plantaginis an. vnc. 1. cum dimidia. / Misce.

Aquin-

A quinto, vel septimo syrupo infrascriptũ propinabitur pharmacũ.
Recipe Epithymi, foliorum senæ an. dr. 2.
Bulliant in aquæ plantaginis vncijs sex ad consumptionem tertiæ partis, dein coletur, & cũ expresso dissolue Rhabarbari electi drach. vnã, syrupi rosati solutiui vnc. tres pro potu quatuor saltem horis ante cibum dando. Quod quidem medicamentum iterum tribus, vel quatuor interpositis diebus (si opus erit) repetatur. Sed obijciet quis, Gal. Lib. 4. Meth. Med. cap. 6. præcipit affectis inferioribus intestinis per superiorem ventrem euacuandum, vomitu nempè, superioribus autem per inferna. In proposito autem ægrotante intestinum rectum duplici affectu præter naturam laborare sensu deprehenditur, videlicet vlcere, & internarum hæmorrhoidum insigni plenitudine, & tumore cum dolore, assiduoq; tenesmo, vnde frequens illa cruenta proluuies. (Dysenteriam proprie appellare possumus) quandoquidem Dysenteriæ communi vocabulo, quemcunque intestinorum præter naturam affectum Galenici omnes intelligunt; propria verò Dysenteriæ appellatione, & intestinorum vlcus intelligere voluit Galenus 6. de Loc. aff. cap. primo, & cruentam intestini proluuiem Hipp. Lib. 4. de Articulis textu 40 sanguinolẽtam excretionem hanc in Perillustri Viro non esse hepaticam, vt aliqui suspicantur, sed intestinalem ex eo impellor, vt credam, quoniam in hepaticis huiuscemodi excretionibus duorum interdum, vel trium dierum interuallo euacuatio supprimitur, dein affatim, & deterior ferè sine dolore reuertitur, nihilq; abrasum in excretis annotatur: deiectiones autem, quæ in præsenti nobis negotiũ facessunt assiduæ cum insigni intestini cruciatu, atq; cũ abrasionibus quibusdam; non igitur hepaticæ sunt. Sed, vt eò redeamus, vnde digressi sumus, purgantia medicamenta hic eatenus suspecta vidẽtur, quatenus humores mordaces: pituitam nempe salsam ad locũ affectum detrahũt, quo nomine proposita etiam, & summa cũ ratione aqua tetucciana de more potanda ad detersionem, & primæ regionis purgationẽ suspecta fortassis videbitur. Idque Hippocratem etiam in Libro de Morbis vulgaribus non semel tantũ adnotasse, neminẽ latere puto. Nihilominus, & insignis cacochymia, pituitę nimirũ salsæ, humorisq; atrabiliarij copia, & intestini leue vlcus in laborãte difficile admodũ euomẽte, moliendã per pharmaca clemẽter subducentia purgationẽ proculdubio suadent. Et licet noxij humores ad locũ affectũ hoc opere deducantur: ibi tamẽ non persistũt, sed affatim excernuntur, ita vt purgantis medicamenti vsu plus commodi ægro cõparetur, quatenus morbifica causa antecedens deturbatur, quã incommodi affectæ sedis ratione. Et præsertim si statim hac euacuatione peracta leniẽte, iugiterque blãde detergente Clysteri intestina abluãtur. Porrò medendi nostra hæc ratio in proposito casu non solũ rationi, & quotidianæ experientiæ, verùm etiam, & veterũ Auctorum, ac præsertim Actuarij Lib. 4. c. 6. Auctoritati consentit.

Difficultas.

Dysenteria quid.

Cruẽte excretionis differẽtiæ.

Difficultatis solutio.

Diuretica Sunt, qui a purgatione vrinam cientia medicamenta mirũ in modum commendent, vt Aetius, & Celsus, quòd in aliam partẽ humorem noxium auertãt. Sed nec tutò, nec facile per vrinas reuelles: quia humor acris, & mordax facile vreteras, & vesicam abraderet, & exulceraret, præsertim in renum, & vesicæ vitiis obnoxio, qualis est Perillustris hic Vir. Verumenimuerò diuretica tepido calore prędita frigidis commixta, qualia sunt quatuor semina communia frigida, vna etiam cum adstringentibus vtiliter interdum concedi possent.

Cautio in diureticorum vsu.

Aluum sistentia. Mox ad ea medicamenta accedendum, quæ aluum sistunt: quoniam laxatas plus iusto partes adstringunt, influentesque humores densando firmant. Horum autem alia sumuntur, alia iniiciuntur, & alia forinsecus adhibentur: primi generis infrascriptum Electuarium mihi semper cum successu familiare fuit.

Electuariũ aluum sistens.

Recipe	Seminum Rosarum, Oxalidis.	
	Plantaginis, Portulacæ	an. scrup. 1.
	Corallorum rubeorum, cornu cerui vsti	an. drach. 1.
	Amyli, Dragacanthi	an. dr. mediam:
	Sacchari Rosati veteris	vnc. 4.

Cum syrupo rosato de rosis siccis fiat Electuariũ, cuius vncia media detur horis saltem tribus ante prandium, vel eius loco exhibeantur aquæ plãtaginis vnc. tres cum syr. ros. de rosis siccis vnciis duabus. Interimq; in prima mensa hordeatũ ex hordeo torrefacto in aqua chalybeata excoctum, additis mali punici acidi granis cum seminibus aliquibus frigidis propinetur. In quem etiã vsum alui fluore non cedente, leporis coaguli dr. vna ex musto cocto data mirum in modum prodesse solet. Per sedem autem iniiciatur infrascriptum Aenema.

Hordeatũ

Quæ per sedem infundẽda. Recipe aquæ hordei torrefacti cum corticibus lib. vnam, in qua prębullierint foliorum plantaginis, rosarum rubearum, balaustiorum, polygoni pug. medium, cui adde vitellos ouorum num. duos, Olei Rosacei omphacini vnc. vnam cum dimidia, & mellis rosacei vnc. duas, & fiat clyster.

Forinsecus admouenda. Venter autem hoc tempore singulis sex horis illinatur Oleo Cydoniorũ, Mirteo, Masticino, inspersis deinde pulueribus corallii, rosarum, mastiches, Boliarmenæ, aut sanguinis Draconis. Huc etiam spectat Emplastrum Diaphænicũ Mesuæ frigidum. Nec obstat Galeni sententia primo de Arte Cur. ad Glauco. c. 14. vbi scriptum reliquit, medicamenta potissimum frigida, atq; adstringentia ventri minime admouenda esse. Nam quò magis cutem densauerint, tanto magis fluxiones augebunt. Obiectum autem hoc nõ conuincit, quoties corpus exquisite repurgatũ fuerit, atq; topica præsidia moderata adstringendi facultate polleant. Pręhabita hunc in modum de toto corpore, ac nonnihil etiam de sede affecta prouidentia: superest, vt intestini recti vlceris curationem exquisitam aggrediamur.

Obiectio.

Solutio obiectionis

Vlceris curatio.

Medicamenta igitur vlceri sanando accommodatą duplicis sunt

gene-

generis; alia enim detergendi, ac repurgandi intestinũ à bile, vel mucco mordaci facultate sunt prædita; alia adstringendi, resiccandi, glutinandi, iugiterque internam intestinorum superficiem contra fluentis materiæ morsum obtundendi vim possident. Quæ omnia vtilius per sedem iniiciuntur; ac primum detergentia, & repurgãtia intestina iis sordibus, quæ resides, & affixæ sua acrimonia frequentem desidendi cupiditatem summa cum molestia inducunt. Vt

Recipe
Hordei, Rosarum rubearum.
Verbasci, foliorum plantaginis, an. pug. 1.
Bulliant in lactis caprilli lib. vna ad consumptionem quartæ partis. Deinde coletur. Colaturæ adde
Syrupi Rosati de rosis siccis Mellis ros. an. vnc. 2.
Et fiat clyster additis ouorum duorum vitellis.

Clyster detergens.

Si autem clystere hoc sæpius diligenter deterseris, natura vlcus carne implere, glutinare, & cicatrice obducere per se poterit. Quod tamen, vt promptius efficiat, iuuanda est clysteribus siccantibus, & adstringẽtibus: vt, decocto lentium, rosarum, balaustiorum, & plantaginis, superaddito boloarmena, terra lemnia, & tragacantho: non omissis tamen interea tergentibus. Secundi generis ænema parabitur ex farinæ amyli vnciis duabus in lacte caprillo vstulato coctis: additis butyri recentis vnciis tribus, & boliarmenæ drachma vna cum ouorum vitellis duobus. Vel (quod omnes explet scopos.)

Clyster adstringens, & cõsolidãs.

Recipe

Lactis chalybeati	vnc. 10.
Succi plantaginis depurati	vnc. 3.
Muccaginis seminum psylli	vnc. 2.
Sacchari albi, vel rubri	vnc. 1.
Boliarmenæ, Tragacanthæ	an scrup. 2.
Ouorum vitellos	num. 2.

Et fiat Clyster.

Clyster adstringens, & obtundens.

Vapor etiam Vini austeri per ferrum ignitum elatus, ac sede receptus saluberrimus est: eodem Vino etiã, si manus, & pedes foueantur, mirum in modum proderit. Quemadmodum, & Cataplasma ex pane medio tosto, Vinoque rubro austero extincto, addito butyro, & Oleo Masticbino cum mastiche puluerato ventri admotum. Tetutiana etiam aqua sæpius; minori tamen copia per sedem infusa mirifice valet, tum ad detergendum, tum etiam ad resiccandum.

Suffumigium. *Cataplasma.* *Aqua tetutiana.*

Porrò qui primi iniiciuntur clysteres detergentes, ac repurgantes intestina minori copia assumãtur, oportet, vt magis impleant: minor autem eorũ quantitas assumitur, qui adstringendi, glutinandi, & consolidandi gratia secundo loco infunduntur: siquidem, id vt præstent, longiore opus habeant retentione.

Obseruationes in vsu Clysterum.

Illud etiam obseruatione dignum est. Olea, ac pinguia omnia, veluti etiam, & ouorum vitellos eatenus vlceris curationem impedire, quatenus vlcerata loca sordidiora reddunt. Quapropter non

Olea, & pinguia omnia vlcerib. aduersa.

nisi vrgente dolore iis, quę infunduntur immisceri debent, quodu ca prillum sæuum, vt quod inter alia sit dysentericis vtilissimũ magnopere probamus: facilius enim cõcrescit, plurimoq; tempore intestinis inhæret, nec habet acrimoniam, vt hircinũ, Gal. Auctore li. de Simpl. Med. fac. plerisq; in locis. Illud etiam memorię semper mandandum, quòd medicamẽta omnia, quæ ex opio, hyosciamo, mandragora, aut nigro papauere componũtur, ob id suspecta esse, quoniam licet somno dolorem leuare videantur, & propterea ventrẽ firmare conspician tur, tamen humores in vnum collecti, postea sine intermissione deiiciuntur, capiteq; grauato, ac viribus labefactatis ventrem deterioris conditionis reddunt: ea propter ex Tralliani sententia vitari omnino debẽt, nisi forte maxime vrgeat doloris, aut vigiliarũ necessitas: tunc enim ad narcotica, quale est Phylonium tum persicum, tum Romanum confugiendum. Quod per os exhiberi quidem potest, innocentius tamen hoc in casu clysteribus immiscetur.

Narcotica semper suspecta.

Hoc vnum etiam, illudque maximi momenti hic minime omittendum duximus: videlicet dysentericis interdum fæcalia recrementa in multos dies retineri, tum quia dolores, & vigiliæ, morbo huic familiaria symptomata impense siccant; tum quoniam adstringentia medicamenta, quibus ad compescendum dysentericum fluorem vti mur, pigram aluum ita reddunt, vt fœces maximo cum laborantium incommodo diu retineantur, licet cruentam saniem ab vlcere emanãtem sæpius venter deiiciat. Quod quidem a nemine hactenus fuit obseruatum. Quo circa hoc in casu ex temporum interuallis, vel laxantibus clysteribus, vel medicamento aluum blande subducente per inferna vacuandum hunc in modum.

Perutilis Auctoris obseruatio.

Clyster leniens.

Recipe
- Iuris pinguis veruecis — lib. 1.
- Buthyri recentis, Olei amygdalarum dulcium — an. vnc. 3.
- Mellis Rosati solutiui — vnc. 2.
- Cum oui vitello fiat clyster.

Quòd si hoc iniecto clystere fœces minime euocentur, præter purgationem iam antea præscriptam, iterum pharmacum quamprimum propinetur, quod quidem, & alui excrementa clementer subducat, & simul etiam intestinis, ac ventriculo robur cum aliqua adstrictione addat. Quale erit.

Euacuatio.

Rec.
- Myrobalanorum omnium contusarum — an. drach. 1.
- Bulliant in aquæ plantaginis vnc. 7. ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur cum expressione, & cum hoc dissolue Rhabarbari electi drach. 1. mannæ electæ vnc. 4.
- Pro potu ieiuno ventriculo propinando.

Inter purgandum autem, cauendum perpetuò ab acrioribus, & scamoneatis medicamentis, sed per mitiora, ac familiaria id tentandum, quæ insuper vlceri nocumentum non inferant. Qua peracta, repetitaq; purgatione, abluenda, atq; repurganda denuo erunt intestina, pri-

Pharmaca vehemẽtia suspecta.

na, primùm sero lactis, dein mulsa, postremò Vino austero tepido cum sexta parte mellis rosati; Deinde digito infrascripto vnguento intincto anus illinatur.

Rec. { Cerussę plumbi. drach. 1.
Muccaginis gummi arabici extractæ aqua rosarum vnc. s.
Corticis Thuris, Tragacanthi an. drach. mediam.
Olei rosati, quod sufficit. Cum modico ceræ fiat vnguentum. *Vnguētū pro vlcere curando.*

De lactis propositi vsu, quid ipse sentiam ingenue, & libere dicam. *De lactis vsu.* Communi Alexandri, & Aetij sententia lac ipsum dysentericis vtiliter propinatur; est nanque id temperatus cibus, cum hoc quod repurgat, simulque acres in visceribus humores contemperat; & postremo aluum sistit. Id etiam placuit Galeno Lib. 10. de Simp. Medic. fac. cap. de lacte; necnon tertio de alim. facul. cap. 15. Vbi tamen febris persistat lac exhibere non omnino tutum est. Verùm si lacti aquæ pluuialis quartam partem affundamus, deinde cum paululum fuerit decoctum exhibeatur, citra noxam etiam febricitantibus tale lac non denegatur: præsertim, si huic lacti sic præparato mellis modicum permisceas: secus enim lac sic etiam paratum in ventriculo cogeretur, vt idem Galenus testatur præcitato Lib. 3. de alimentorum facultatibus c. 5. Cæterùm quoniam curaturi Medici consilium non *Notāda.* solum in præsentem ægrotantis statum, sed etiam in futurum dirigendum, hoc vnum quoque nunc addere placet: nimirum, quòd, licet dysentericis victus tenuis, inediaq; primis diebus ex vsu sit, progrediēte tamen tempore ex doloribus, vigilijs, atque desidendi frequentia cum vires deijciantur, paulò plenius postea ægrum nutrire expedit: hunc in vsum stillaticia ex carnibus cum simplicibus adstringentibus assatis, vel iuscula in quibus carnes contabuerint (consumata vocant) tunc vtiliter propinātur. Huc etiam spectat confectio mihi hoc in casu valde familiaris, quæ, & multum nutrit, & acres fluxiones sistendi facultate pollet: est autem huiusmodi.

Rec. { Pulpæ Turturis assatæ vnc. 3.
Amygdalarum dulcium.
Pineorum mundatorum.
Phisticorum an. vnc. mediam. *Restaurans, & sistens confectio.*
Farinæ amyli, charabe an. drach. 1.
Foliorum auri purissimi num. 7.
Margaritarum non perforatarum scrup. 4.
Sacchari albissimi dissoluti in aqua rosarum q. s.
Fiat confectio in morsellis.

Cuius vncia media singulis sex horis deuoranda datur, dein statim superbibitur Vini rubei adstringentis chalybeati modicum. Nec (Viri Clarissimi) miremini si tot præsidia, eaque diuersa, atque in varios scopos tendentia nunc a me proponantur: varij etenim, ac diuersi in Perillustri Viro complicati affectus, hanc variam di-

uersamque medendi rationem efflagitant. Et hæc pro Perillustris Viri valetudine reparanda mihi proponenda visa sunt. Faxit Deus immortalis, vt salutaria succedant.

De Asthmate pro Reuerendo D. Francisco Nuncio Romano, Consultatio XXXVIII.

Affectus præter naturam. FRequens, & difficilis anhelatio interuallata in Reuerendo Viro pulmonum angustiam consequitur; hæc autem à crasso, lento, *Causa.* viscidoque humore suboritur: nam post quam vehementi, & assidua tussi humor hic eductus fuerit, malum cessat; reuertitur deinceps sta- *Pulcherrima obseruatio.* tis quibusdam temporibus. Quod autem difficilis spiratio hæc interdum cum stertore sit, nonnunquam vero absque vllo sonitu deprehendatur, ob id contigere putamus, quod materia pulmones opprimens non semper in eorum bronchijs seu asperis arterijs contineatur, sed interdum in leuibus arterijs concipiatur; vnde sequitur, quod citra tussim humidam quandoque vitium hoc desinat; materia nimirum peccante, aut per halytum digesta, aut per vrinæ vias repurgata. Materiam autem hanc, causam nempè morbificam interiorem proximam pulmonum cauernulas angustantem, in cerebro ob quotidianas meditationes, & longa studia, nec non ob alia in victu commissa errata, nimiùm refrigerato humectatoq; generari, indeque per asperam arteriam, interdum, & per venas aliquando in Thoracem præcipitari; argumenta a Clarissimis Viris adducta quæ breuitatis *Scopi.* causa non recensebo, apertè testantur. Quo circa cum præcautionis (cui nunc incumbimus) tota ratio in causarum ablatione versetur, omni studio enitendum, vt commemoratorum excrementorum generationem coerceamus, idque tùm congrua victus ratione, tenui nẽpe, & attenuante ad calidum siccumque inclinante; tum etiam medicamentis, & internis, & externis cerebrum pristino temperamento restituentibus: genita a Thorace in alias partes deflectantur, repetitis nimirum per temporum interualla purgationibus idoneis, vlcereque excitato, vel in brachio sinistro, aut inter primam, & secundam vertebram diu gestando: pulmonesque veluti partes suscipientes moderate siccentur, roborenturque tum medicamentis, quæ per *Præsagia.* os sumuntur, tùm quæ forinsecus applicantur. Quos quidem scopos, vt facilè assequamur, quamprimùm curationem propositam aggredi debemus.

Quam quidem ex votis successuram, & iuuenilis ætas, cum temperamento a natura optime conformato, & affectus, qui indelebilem habitum minime contraxerunt manifeste pollicentur. His accedit quod nullum generosi præsidij genus hactenus administratum fuit, cuius frustrato vsu, de Reuerendi Viri futura valetudine pertimescere debeamus.

Sed

Sed iam ad opera venio. Singula ad tria illa Medicinæ instrumenta spectantia nunc non recensebo; ne acta agam, quod omnia sigillatim a doctissimo primo dicente non minus docte, quam eleganter commemorata fuerint: nonnulla tamen, eaque non pauci momenti breuiter attingam.

Igitur (quod ad victus rationem spectat) consulo & ipse, vt Reuerendus hic Vir omnem aeris inclementiam deuitet, & ideo Cœlum hoc Romanum quod morbum fecit vsque adeo inconstans permutet. Animo, & corpore quiescat, ita tamen, vt moderato exercitio singulis diebus ante cibum vtatur. Ab immodicis vigilijs caueat. Aluus si soluta illi non fuerit, altera quaque die clystere aliquo ducatur. Panis sit illi in quotidiano vsu modico sale, vel fœniculis conditus. Vino vtatur tenui, non vinoso, atque ligni visci quercini, aut salsę decocto attemperato. Inter alimenta tria maximè proficua commendātur, quæ, & alimenti, & medicamenti vices gerunt. Ius caulium cum hyssopo, & butyro recenti. Hordei cremor cum melle vel saccharo. Atque cicerum alborum cremor cum amygdalarum dulcium lacte, saccharo, & recenti butyro. In reliquis ad dietam pertinentibus Doctissimi Viri sententiæ subscribo. *Victus rō.*

De pharmacia autem cum iam communibus calculis cōstitutum sit, corpus quamprimùm esse ab omnibus excrementis purgandū, ea propter aluo lenita ex medullæ casiæ recenter cum Oleo Amygdalino dulci extractæ vnc. vna, & specierum hyeræ picræ simplicis Gal. scrup. 4. apparandi erunt humores noxij in toto, ac præsertim in cerebro, & Thorace concepti, syrupo de betonica, de hyssopo, & oxymellite, vel simplici, vel etiam scillino, decocto, seu aquis stillaticijs parem vim retinentibus additis. *De Pharmacia.* *Ventris lenitio.* *Humorū pparatio.*

Hi deinceps præparati, purgandi erūt phlegmagogis, inter quæ vtilissimum erit pharmacum ex Pilulis Cochijs, & de Agarico Mesues. *Purgatio.*

Verumenimuero licet præsens affectus a sanguine non pendeat, nihilominus, vt medicamenta exhibenda in corporis penitiores partes prōptius penetrare possint; ante præscriptam purgationem si sanguinis vnciæ sex, vel septem ex cubiti dextri communi vena detrahantur, emolumentū non ignobile laborantem hunc inde percepturum non diffidimus. Corpore hunc in modum euacuato ad medicamenta cerebrū, & pulmones exiccādo roborātia sine mora cōfugiēdū. Vt *Sanguinis missio.*

Rec.
- Conseruæ Anthos.
- Conseruæ Betonicæ — an. vnc. 2.
- Pulueris Glycyrrhizæ — drach. 2.
- Boli armenæ.
- Pulmonis vulpis præparati — an. scr. 2.
- Syrupi de hyssopo q. s. fiat Electuarium.

Electuarium cerebrū pulmonesq; roborans.

Cuius vnciam mediam tribus horis ante prandium, & totidem dormiturus deuorabit. Theriaca etiam, mitridatium cū diamoscho dul-

ci, vel amaro, pliris arcotico, consimilibus in hunc vsum interdum vicissim administrari vtiliter poterunt. Quemadmodum, & pulueres pro siccando cerebro capitales, sicuti etiam, & cerata cephalica pro cōmissura coronali. Non dissimIli quoque ratione thorax vniuersus hoc tēpore illinendus erit Oleo amygdalino dulci cum recenti butyro, & croci modico, partibus asperiore linteolo molliuscule perfricatis. Et si quid est, quod, & excrementorum reliquias summouere dissipareq; valeat, & cerebrū cū pulmonibus exsiccare roborareq; decoctū est ex salsa cū modico ligni guaiaci viginti saltē diebus de more propinatū: idq; multo efficatius erit si altera quaque die pilulā vnam ex infrascriptis immediatè ante potandū decoctū laborās sumpserit.

Cephalica medicamenta externa. *Linimentū pro thorace.*

Medicamentū pro cerebro, et pulmonib. roborādis

Rec.	Sulphuris electi	drach. 1.
	Ammoniaci	scr. 4.
	Pulueris radicis dulcis.	
	Pulmonis vulpis præparati an. drach. vnam cum dimidia.	
	Terebinthinæ q.s. fiant pilulæ num. viginti molles.	

Suffitus.

Suffitus etiam ex saccharo, vel thure, ex sulphure purgato seu ex omnibus hisce simul commixtis mirificè valent ad cerebrum siccandum, atque ad roborandos pulmones. Interim vero auersoria auxilia non sunt omittenda; nimirum Cauterium iam antea propositum in altero brachio, vel in ceruice, quod quidem omni studio apertum, humidumque conseruandum. Clysteres quarta quaque die iniecti, quibus aliquid hyeræ semper addendum: & purgatio ter, vel saltem bis in Mense per pilulas de Agarico Mesues repetita. Quo etiam tempore medicamenta pulmones peculiariter roborantia per interualla quædam erunt reiteranda.

Auertentiæ remedia.

Quorum complura apud Auctores recensentur: efficacissimum autem, nobisque valde probatum, & familiare huiusmodi est.

Auctoris confectio pulmonib. roborādis accommodatissima.

Rec.	Radicis Ari, Radicis dulcis.	
	Radicis Ireos	an. drach. mediam.
	Hyssopi, ramusculorum lentisci	an. pug. 1.
	Bulliant in sufficienti quantitate aquæ mulsæ secundum	
	Artem deinde colentur, & Recipe Boli armenæ, pulueris	
	Glycyrrhizæ, pulmonis vulpis præparati an. scr. 2.	
	Moschi, croci	an. gr. 4.

Sacchari albissimi dissoluti in prædicto decocto quantum sat sit, & fiat confectio in tabellis, quarum vna sæpius, ac præsertim hora somni ore contineatur, liquataq; sensim deglutiatur.

His autem remedijs ritè administratis Deo Optimo Maximo fauente Reuerendum hunc Virum ab Asthmatica molestia statis quibusdam temporibus, ac præsertim hyberno tempore repetente liberatum iri speramus. Quòd si fortè fortuna iterum rediret vitium hoc, cuius prælu dia esse solent capitis grauitas, assidua destilatio, & frequens tussicula cum incipiente anhelatione; quamprimum scopos

Accessionis asthmaticæ pcedētia signa.

pos

pos duos ante oculos habere operepretium est; alterum, vt partim reuellentibus, partim sistentibus auxilijs fluxionis materiam, & a pectore auertamus, & eiusdem præcipitem motum infrænemus: Alterum, vt materiam in thoracem delapsam excindamus atq; summoueamus. Primo scopo obtinendo auersoria auxilia iure deberi omnibus compertum est: nimirum extremorum frictiones, vincula dolorifica, lotiones, cucurbitulæ natibus, & spatulis affixæ; nec non clysteres acriores, atque (vrgente necessitate) vesliccantia, & sinapismi commissuræ coronali applicati, interim quoque ad infrænandam præcipitem fluxionem. *Accessionis tempore quid agendum.* *Auersoria auxilia.*

Rec. Sacchari Violacei vnc. 2.
Diatragacanthi vnc. 1.
Boli armenæ dr. 1. cum dim.
Phylonij persici scrup. 1.
Syr. Iuiubini q. s. & fiat Eclegma.

Medicamentū fluxionem sistens.

Cuius portiuncula assiduè ore contineatur. Huius enim medicamenti vsu præceps, tenuisque destillans materia torpida, pigraque redditur, ne ęque facile per asperam arteriam in pulmones delabatur. Quo etiam tempore, vt alterum scopum expleamus Ammoniacum aceto mulso in mortario liquatum sæpe, & modicè deuoratum non ignobilem huic operi opem præstabit. Quippe quod calfaciendi moderatè, siccandi, detergendi, & pulmonum cauernulas dilatandi vim obtineat, vnde materiæ pulmonibus tenaciter impactæ eductio per sputum sequitur, & per halytum digestio. *Medicamenta pulmonū angustiam summouētia.*

Verumenimuerò inter alia medicamenta huic operi opportuna vnum est, illudq; efficacissimum, quo quidem semper fęlici cum successu vsi sumus; est autem huiusmodi.

Rec. Terebinthinæ claræ vnc. 1.
Ammoniaci scrup. 2.
Sulphuris purgati scrup. 1.

Misce, & fiant pilulæ molles, quarum vna singulis duabus horis deglutiatur ex syrupi de hyssopo vnc. media.

Hic vnum maximi momenti memoriæ mandandum, videlicet in Asthmatica accessione nec cathartico medicamēto nec errhinis vtēdū esse, ne materia nimiū agitata largius cū suffucationis periculo in pulmones præcipitetur. Et hæc pro valetudine Reuerendi huius Viri proponēda visa sunt, quib. Deus Opt. Max aspiret faueatq; rogamus.

De Vteri hydrope, & hypochondriaca affectione pro Perillustri, & Nobilissima D. Violante Corsa. Ad Gregorium Ardizzonum, & Gabrielem Baldesanum Medicos Clarissimos, Consultatio XXXIX.

PErillustrem Nobilissimamque Matronam Annum ætatis suæ xxxviij. agentem, optimo corporis habitu a natura conformatam *Affectus.*

vteri

vteri hydrope laborare, & argumenta a Clarissimis Viris adducta, & quæ ab Hip. scribuntur primo, & secundo de Morbis muliebribus apertè demonstrant: ac præsertim tumor in imo ventre vniuersam vteri amplitudinem circumscribens, laxus, & mollis, quo sane differt a tumore, qui ex scirrho, aut quauis alia vteri duritie proficiscitur: his etiam accedit quod honestissima fœmina probum, decentemq; adhuc colorem retinet, hepatis sane bene valentis certissimum argumentum Morbum hunc ad auctam magnitudinem, nec non ad frigidam humidamq; intemperationem spectare nemo dubitat.

Hydropis vteri signa.

Morbi essentia.

Causam interiorem, & proximam, siue statuamus aquosum humorem, sanguinis nimirum menstrui diu retenti, multaque viscidæ aquosæ pituitæ copia referti serum, quod pelliculis quibusdam in vteri capacitate adnatis continetur: siue secundũ Arabes causam hanc referamus in aquosam humiditatem inter vteri tunicas conceptam: aut in humorem quendam pituitosum vteri substantię inhęrescentẽ tumoris instar testes exercentis; vtut sit, hæ differentiæ curationem non variant. Vnde autem Mensium contumax illa retentio ortum duxerit ex vestris copiosissimis doctissimisque litteris non ita facilè consequi potui; suspicor tamen ipse insignes venarum, quæ ipsi vtero committuntur obstructiones a crasso, & fæculento sanguine profectas imminutorum, retentorumq; mensium potissimam causam extitisse; crassi autem, & fæculenti sanguinis generationem acceptã ferendam puto chylo ob ventriculi imbecillitatem vitiato, ac deinde immenso iecinoris calore assato: ventriculi autem imbecillitatis causam ego quoque cum Clarissimis Viris in quotidianas meditationes, animi immodicas passiones, atque in victus errata, & præsertim in gelidæ potum reijciendam puto: vnde ortum duxit etiam aquosa illa humiditas sanguini menstruo retento immixta tumoris huius causa immediata. Sed præter affectionem hãc, valde suspicor Perillustrem Mulierem vteri iugiter inflatione laborare: Etenim vt ventris hydrops aquosa a tympanitide rarò separatur, ita & vteri hydrops inflationem ferè semper sibi iungit: nec obstat quod in honestissima hac fęmina signa inflationis vteri omnia minimè reperiantur, quæ ab Hipp. recensentur Lib. de Natura Muliebri, & Lib. secundo de Morbis muliebribus: quoniam vteri inflatio incipiens non omnia sui signa manifeste exprimit, quemadmodum, & omnes alij incipientes morbi. Hoc autem eo spectat, vt sententiam meam in medicamentorum vsu explicem, videlicet hisce omnibus statum discutientia commiscenda esse.

Causæ tũ internæ. tum externæ.

Rationalis suspicio.

De affectu hypochondriaco, quem doctissimi Viri veluti obiter considerandum proponunt, non habeo quid dicam, nisi quod (sententia mea) non aliunde proficiscitur, quam ab eisdem crassis, & fęculentis humoribus vasa ad hypochondria spectantia pertinaciter obstruentibus. Quo circa haud dubium est oportere Medicum eò potis-

Affectus hypochondriacus.

Curandi methodus.

potissimum cōsilium omne dirigere, vt vterus ab omnibus preternaturalibus vindicetur: quod quidem assequi per quam difficile fore puto, morbi enim omnes vterini adeo curatu difficiles ab Hippocrate censentur, vt horum curationem à Diuinis auspicandam esse consuluerit, & licet vteri hydrops in Perillustri Muliere non sit adhuc in habitum commutata, diuturna tamen sanguinis menstrui, (vnde omne malum) satis contumax deprehenditur, solentque hi duo affectus simul complicati totius corporis lethalem hydropem afferre. Verumenimuerò, & Clarissimorum Virorum diligentia peritiaque, & honestissimæ fœminæ habitus a natura egregiè conformatus, ætas adhuc firma, & consistens, multa bona nobis promittere possunt. *Præsagia.*

Nunc igitur vere proximè instante summopere laudo, vt quamprimum nostrę hę litterę ad vos peruenerint curationem partim à vobis propositam, & partim a me nunc præscribendam sine mora aggrediamini.

Quamobrem victus ratione tenui, modicè calfaciente, & siccante attenuante, iugiterque flatus discutiente præscripta, rigorosèque obseruanda, deinde aluo lenita vel Clystere, vel hyera simplici Galeni omne studiū in duo necessaria opera dirigendum. Alterum ad ea spectat auxilia, quæ vniuersi corporis pituitam, & humores crassos sensim, & paulatim, vel coquere, vel euacuare, vel resoluere posint. Alterum verò in his est positum auxilijs, quæ vteri tumori, aut aperiendo, aut vna cum flatibus discutiendo accommodatissima iudicentur. *Victus rō.* *Opera duo curationi necessaria.*

Quod ad primum attinet; apparabuntur pituitosi crasique humores melle rosaceo, Syrupo de Artemisia, de duabus, aut quinque radicibus cum aquis stillaticijs eiusdem facultatis, vel cum decocto Angelicæ, fœniculi, Gentianæ, saxifragiæ, & ipsius sassafras. Apparati humores deturbandi erunt Agarico trochiscato cum Diacatholicon in bolum redactis, vel in rosarum infusione dissolutis: a quibus pilulæ mastichinæ, de Agarico, vel de hyera ex interuallis datæ maximam vtilitatem huic operi præstabunt. Quemadmodum, & vomitoria semel, aut bis in hebdomada data. Quorum quidem vsu præter quamquod vitiosi succi euocantur, impetuoso etiam motu concitato pelliculæ vtero inhęrentes disrumpi interdum solent, quibus disruptis aquosus humor ab vtero prolabitur. Purgatione quoque per vterum, & vrinarios meatus insigne commodum laboranti Mulieri comparabitur. Vt *Humerū pparatio.* *Purgantia pharmaca.* *Vomitoria.* *Purgatio per vterū, & per vrinarios meatus.*

Rec. Foliorum Sabinæ
Matricariæ
Pulegij } an. pug. 1.
Seminis Dauci
Radicis apij
Radicis rubeæ tinctorum } an. dr. 1.

Bulliant in brodio pulli columbini secundum Artem, cuius vnciæ septem,

ſeptem vel octo propinētur, ieiuno ventriculo. Quod quidem decoctum efficaciſsimum reddetur, ſi immediatè prius vna ex infraſcriptis pilulis exhibeatur.

Rec. Caſtorei optimi
Myrrhæ
Rubeæ tinctorum. } an. ſemidrachmam.
Croci ſcrup. 1.
Succi Limonum q.s. & fiant pilulæ num. 9.

In ſumma euacuationes per vētrem, vomitum, vterum, & vrinarios meatus, huic morbo debellando opportunas eſſe, nemo eſt qui neget. A quibus ſane medicamentis valido vtendum illi erit exercitio, quo quidem non ſolum excrementa in viſceribus, & in corporis ambitu concepta calore mediante diſsipari poſſunt, verùm, & totum id quod in vtero continetur ruptis exercitij vehementia pelliculis, foras euocari poteſt. Quæ verò vteri humorem, aut aperire, aut diſcutere medicamenta valent, (quod ſecundum in hac curatione opus propoſitum erat) in triplici ſunt differentia: alia enim ſumuntur, alia inijciuntur, quædam vero forinſecus adhibentur. Quorum aliqua tantùm eaque præcipua hic adducam. Inter ea quæ ſumuntur non ignobilem locum obtinet confectio ex boracis mineralis ſemidrachma, & croci ſemiſcrupulo cum ſabinæ ſucco in bolum redacta biſque in hebdomada deuorata. Extrinſecus autem mirum in modum conueniunt inſeſsiones ſingulis diebus mane, & veſperi in aqua modice calente, in qua præbulierint lauri folia, cardamomum, pulegium, laureola, geniſta, & ſaxifragia cum cucumere aſinino. Ab inſeſsione infundantur quoque quædam in vterum quæ aquam hoc in viſcere conceptam euacuare valeant. Quale eſt.

Exercitiū vtile.

Adsūmo uedū vterinum tumore medicamentum.

Inſeſſus.

Rec. Olei Irini vnc. 3.
Ellebori
Myrrhæ } an. ſcr. 1.
Elaterij
Gnidij grani } an. gr. 5.

Iniiciēdū in vterū medicamentum.

Miſceantur puluerizatis puluerizandis, & in vterum liquor modice calens inijciatur. Ex quibus etiam addito melle collíria, ſiue peſſaria parata ſecundum artem vtiliter imponuntur. Adhibeantur etiā emplaſtra eiuſdem efficaciæ, quale eſt de baccis lauri, & de ſtercore caprino. Omitto nunc inunctiones, ac fomenta varia omnibus nota. Cantharides emplaſtris immixtas minime probamus, ob veſicæ quæ afferunt incommoda, & ob inflammationis periculum. His ingenijs, & alijs poſtquam aqua fuerit educta, fricādus mane, & veſperi ieiuno ventriculo erit venter, atq; fomentis, & ſuffumigijs repetitis vterum calefacere, & ſiccare oportet. In quem etiam vſum thermas ex ſulphure, vel alumine pro inſeſſu magnopere probamus, quales ſunt quæ in agro puteolano ſcaturiunt, quibus nullum efficacius hoc in

Emplaſtra.

Vētris pfricatio.

Fotus, & ſuffumigia.

Aq̄ thermales.

casu præsidium excogitari potest. Post hæc medicamentis, tùm internis, tùm externis ventriculo robur aliqua ex parte violatum restituere tentandum. Quemadmodum etiam iecur ex accidenti excalfactũ nonnihil attemperandum erit ijs, quæ vtero refrigerato minimè officere possint. Post præscriptorum medicamentorum vsum ad superandas viscerum ac præsertim hypochondriorũ contumaces obstructiones chalybem diligenter præparatum, nec non vterinis aliquibus pulueribus commixtum ea ratione sibi exhibendum etiam atque etiam hortor, qua vos antea vsi estis simulque ius aliquod galli binuli cum modico chynæ, Artemisiæ, menthæ, cichorei, & borraginis propinatum magnopere conducturum non diffido. Post quem vsum Theriacæ veteris drachmam bis saltem in Mense deuoratam mirum in modum collaturam esse speramus.

Viscera ro boranda.

Ad tollẽdas obstructiones insigne remedium.

Theriacæ vsus.

De Chirurgicis præsidijs id statuendum putamus, sanguinem parce detrahendum esse e vena tali, atque etiam ab hæmorrhoidibus deriuationis gratia ab ipso vtero, secta prius vena inter ineundæ medicationis initia dextri, vel sinistri brachij; nec ab hoc consilio me auocat vteri morbus frigidus, qui sanguinis detractionem minime requirere videtur; quandoquidem, & sanguinis menstrui diuturna retentio, vires, temperamentum, & firma ætas vna cum morbi magnitudine sanguinis missionem citra vllam controuersiam suadere videntur. Hoc vnum etiam addere placet, nimirum quòd præter illa duo cauteria cruribus summa cum ratione deriuationis gratia administrata diuq; aperta retinenda, Cauterium etiam in altero saltem brachio maxime conducturum sperarem ad excrementa ab vtero deflectenda. Tot dicenda occurrebant pro Perillustris Nobilissimæq; Matronæ valetudine reparanda, & retinenda. Faxit Deus, vt fælicia, ac salutaria illi contingant.

Sãguinis missio.

Cauteria.

De Cancro dextram mammam exercente pro Nobilissima Muliere, Consultatio XL.

TVmor durus, rotundus, inæqualis, venis in ambitu turgidus, dolore, ac interdum calore grauis, colore liuescens in Nobilissimæ mulieris sexagenariæ mamma dextra, cancer vtique censendus; vt Clarissimi Viri asseuerarunt.

Cancri signa.

Cuius quidem causas internas, & externas, ad generationis modũ nunc persequi, longius esset, quam pro instituto. Illud tamen meminisse satis fuerit, quod cancrum male quidam ex cholera adusta faciunt: etenim ex solo succo melancholico gignitur, ex bile nempe atra, sanguineue feruido, ac retorrido; sępe ex suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus, nonnunquam ex quartana febre cumulato. Vt docuit Gal. 14. Ther. & Lib. de Tumor. præter nat. & Lib. de Atrabile. Quod ad futurum morbi euentum attinet, licet Gal. 6. Aph. 47. cancrosum

Cancer ex solo succo melãcholico.

Præsagia.

croſum tumorem in mammilla mulieris cuiuſdam ortum ſanaſſe prædicet, crebro, & valenter atram illi bilem in vere, & Autumno expurgans;cum tamen affectus in propoſita Nobiliſſima Muliere vetuſtate habitum quendam fere per biennium contraxerit, nec penitus aboleri,nec fortaſſe imminui poſſe ſperandum; præſertim in hac ætate vſque adeo inclinante; quamquam nec prorſus deſperandum eſt,quin & ſumma in obſequendo Nobiliſſimæ mulieris perſeuerantia,& aliorum propoſitorum, proponendorumque continuus vſus id vtilitatis in poſterum afferre poſſint,vt malum ſaltem non magis, magiſque in dies augeatur. Id vero quo facilius obtineri poſsit, ipſe quoque ea auxilia proponere conabor,quæ vtilia,& valde propoſito

Met.med. affectui accommodata eſſe ſentio. Primum igitur humoris melancholici generationem omni ſtudio prohibere oportet, proba victus ratione humectante,ac refrigerante. Mox humorem melancholicũ per vniuerſum corporis habitum diſperſum purgare expedit: atrabilaremq; ſuccum partem affectam occupantem detrahere omnino, vel per halytum digerere, nec non humorum ſeruorem attemperare.

Spreta cã cricuratio de qđ periculum immineat. Poſthæc affectæ ſedi robur adferre,ne quid humorum redundantiæ ad eam conſluat.alioquin his ſpretis mandatis, periculum immineret,ne humor,qui nunc pigrior,& ignauior eſt,ideoque mitiorem cancrum infert,in calidiorem,acrioremq. tandem degeneraret, breuiq; exeſa cute cancrum exulceratum efficeret. Sed in propoſita cancri curatione contradicere fortaſſe videbimur Hipp. qui Lib. Aph. 6.

Obiectio. Aph. 36. Cancros occultos omnes non curare melius eſſe hortatur. Curati enim cito pereunt;non curati vero longius tempus perdurãt. Quo in loco(ſcribente Gal.)occultos cancros dixit, vel eos, qui ſunt

Occultus cancer bifariã accipitur. ſine vlceratione,vel abſconditos,hoc eſt non apparentes, qui in profundo corporis ſunt;vt in palato,in ſede,aut in ſinu muliebri. At verò duplex intelligitur cancri curatio: vna, quæ fit per ſectionem, vel vſtionem,quæ ſola ſunt cancrorum remedia externorum cancris occultis, qui in penitioribus partibus ſunt, nullatenus(vt docet Hipp.)

Obiectionis ſolutio. Cancri curatio dupl. adhibenda. An vero ijs qui in ſumma corporis parte hærent abſque vlcere,qualis is eſt,qui nobis nunc negotium faceſsit,huiuſmodi curatio congrua ſit,incertum eſt, quantum ex Hippocrate conijci poteſt. Quos tamen ferro,& igne vnà cum radicibus,hoc eſt cum venis circunſtanibus ſanguine melancholico plenis reſecare, & exurere, multi ſanè magnæ auctoritatis Medici audent;alij autem nequaquã hanc curãdi rationem admittunt,niſi in cancro externo quidem, ſed ita exulcerato,vt diù noctuque laborantem atrociter moleſtet. Quidam vero neque hos amoliri permittunt, ſed omnino abſiſtendum conſulunt a remedijs potentibus in omni cancro. Quorum quidem conſilium mihi maxime probatur, & præſertim in laborante ſenilis ætatis,qualis eſt Illuſtris mulier, quæ in præſentem conſultationem proponitur. Aliam vero cancri curandi rationem in prouidentia quadam

dam positam, quæ affectui molliendo, ac pro viribus imminendo est accommodata, hic per compendium afferre consilium est. Præscri- *Victus ro.* pta igitur victus ratione moderate tenui, refrigerante atq; humectan te, a Nobilissima Aegrotante rigorose obseruanda bis saltem in Anno, vere videlicet, & Autumno aluo lenita, vel syrupo de Polipodio, vel Diasene lenitiuo, aut alio consimili medicamēto clementer subducente, sanguis, vel ex saphena, vel ex hæmorrhoidibus detrahatur, *Venæ sectio.* viribus, & ætate diligenter perspectis. Deinde humores melancholici, simulque etiam pituitosi apparandi erunt syrupis, & aquis stillaticijs a Clarissimis Viris propositis. Qui probè apparati, melanogogis erunt deturbandi, in quorum vsu magnopere Clarissimorum Virorum consilium amplector, nempe a medicamentis valenter expurgā tibus, quantum fieri potest abstinendum, ac potius blandiora, & repe tita vsurpentur; inter quæ, præter a doctissimis Viris proposita, primū locum obtinent syrupus de Polypodio Magnifici Augustini vocatus, Diacatholicum, nec non syrupus de Epithymo, in quo veratrum maceratum sit: Quod Aetius senibus pariter, & pueris fæliciter imperabat. Quibus addere nunc placet syrupum quendam nobis valde probatum, est autem huiusmodi.

Recipe Corticum Myrobal. nigrarum vnc. 2. Citrinarum vnc. 1. *Syrupus celebris p purgando succo melācholico.* Chebularum vnc. sem. Polypodij vnc. 1. Foliorum senæ Orientalis drach. 3. Agrimonij, Eupatorij, Florum Violarum, Boraginis Buglossæ an. P. 1. Bulliant simul omnia in seri lactis caprini Lib. 3. ad consumptionem medietatis. In fine adde Epithymi vnc. 1. in quo Ellebori nigri drach. 1. confricetur, mox coletur, & cum saccharo q. s. fiat Apozema, cuius vnc. 3. vel 4. hora matutina bis in mense propinentur. Purgato perbellè corpore, cauterium supra, vel subtus genu dex- *Cauteriū.* terum in interna parte inustum ad retrahendos humores, & vapores sursum conscendentes multùm profuturum sperarem. Mox ad dissi *Chinæ decoctum.* panda totius corporis excrementa, radicis chynæ, vel salsæ decoctum a Clarissimis Viris propositum non improbo, licet prima facie eatenus suspectum videatur, quatenus humectantia, non autem exsiccan tia hic desiderentur, paratum tamen ex iure, & cum herbis refrigerantibus maximo cum fructu exhiberi potest. Verùm eligerē luben- *Ligni sancti vires.* tius, vel Chinam electam, vel lignum sanctum, quippequod, & super uacanea frigida excrementa mirifice digerat, & inde obstructiones *Serpentū ius, & carnes cācro laboranti opitulantur.* viscerum tollat, suaq; resinosa quadam substantia tantum abest, vt humidum natiuum siccet, quòd potius hoc ipsum retineat, vel etiam augeat. Nouimus etiam ius, & carnes serpentum frequenti vsu humorem atrabilarium cancri causam interiorem summopere euocare, & per halytum digerere. Lactis deinde, & seri caprini cum succo, *Lactis, & seri vsus.* aut borraginis, aut cichorei vsum cum Doctissimis Viris magnopere probo, modo ventriculus non laboret. De admouendis, linimentū *Topica remedia.* de plumbo, Oleum ros. omphacinum diu in mortario plumbeo du-

ctum

ctum, donec crassitudinem quandam sibi comparauerit. Solatri succum eodem sane modo subactum, vel vnguentum de succis appellatum, & alia eius generis topica præsidia, tum dolorem mitigantia, tũ vlcerationem prohibentia a Doctissimis Viris proposita non inuitus admitto. Quibus, & nonnulla mihi valde familiaria addere non grauabor. Succum cancrorum fluuialium contusorum cum rosaceo in mortario plumbeo ducto illitum plurimum conferre certum est. Folia brassicæ cruda, tritaque bis in die apposita plurimùm opitulantur. Caricæ cum adipe gallinæ recenti pistæ appositæ, saluberrimæ sunt. Atqui huiusmodi auxilia si recte administrentur, satis erunt ad affectum demoliendum, atque ad inhibendum affectus incrementum quamdiu cancer erit sine exulceratione. At si ob affectus pertinaciam, atq; ob errata forte commissa irritatum, malum ad vlcerationem deuenerit, quam futuram ex eo valde timeo, quòd ab vno ex doctissimis consultoribus intellexerim affectum locum dolore interdũ punctorio, inflammatorioq; exerceri; nec non pustulis subrubris quibusdam detineri, tunc non solum passio placanda esset, verum etiam sanies abluenda humido aliquo, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem sit aptum; qualis esset ex Vino tepente vlceris ablutio; post quã folia lilij tusa, & imposita mirifice prodesse solent. Puluis etiam stibij, seu antimonij cancro corrodenti inspersus, optimus est. Sed faxit Deus ne ad vlcerationem deueniat: quãdo quidem nullam deinceps medelam admitteret; etenim vlceratus leuioribus medicamentis curari nequit; quia indicationes pugnant, vlcus glutinari, humor euacuari expostulat, ita vt alterius curationem alterum exasperet; & quid? nonne, & alia vlcera eandem subeunt fortunam? Vtique, verum hæc longe meliorem: etenim bilis, & pituita promptius sequitur detrahiturque nec non imbecilliora requirunt medicamenta; atrabiliarius autem humor minimè præcox pertinacius inhærescens difficilius detergitur eluiturque, ita vt vix cedat medicamẽtis, vel etiam acrioribus, & vehementioribus: quorũ quidem adhæsu vlcus ita irritatur, & excandescit, vt hic locum habeat illud Poetæ.

Succus cãcrorum. Brassicæ folia. Caricæ.

Curando fieri quædam maiora videmus.
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Atq; hæc sint, quæ in tam graui affectu proponenda mihi videbãtur. Faxit Deus, vt omnia, & salutaria, & prospera eueniant.

De Capitis destillatione, Epiphora, tussicula, ac febre ex interuallis repetente pro Perillustri Adolescentulo D. Io. Philippo de Serlupis,
Consultatio XLI.

Destillationis causæ, symptomata, & sedes affectæ cõpendiosè explicantur.

SAlsæ destillationis è capite in oculos (vnde Epiphora) in asperam arteriam (inde tussicula frequens) nec non in venas (vnde febris putrida ex interuallis repetens) causam interiorem reijciendam fore

pu-

putamus in cerebrũ,quod quidem impẽsè humidum cum sit,quam plurima in dies excrementa cumulat:vt verò paulo calidius iusto,toti corpori incumbens tanquam cucurbitula humores, vaporesque allicit vberiori copia,quam conficere,& digerere possit:accedente etiã hepate satis incenso, a quo vapores, & succi calidiores in caput emittuntur; quo fit, vt mirandum non sit, si materia destillans salsa sit, & acris. Quæ quidem vitia non solum fouentur,sed augentur etiam ab erratis in victu commissis. Quapropter si propositum Nobilissimum Adolescentulum a præsentibus malis liberari, & ab imminentibus periculis præseruari cupimus,quinque auxiliorum genera illi præscribenda sunt: nimium peccantium humorum biliosorum, pituitosorumque vniuersum corporis habitum occupantium, & præsertim caput apparantia. Purgantia. Nouam eorundem generationem cohibentia,& si qui in posterum cumulentur, ab oculis, & a partibus spiritualibus alio auertentia. Nec non partes fluxionem suscipere solitas roborare,ne amplius ita prompte recipiant. Quos quidem scopos(vt libere vobiscum agam) magnopere vereor, ne assequi nobis liceat. Quandoquidem, & affectus per se contumaces, & eorundem vetustas,atq; indicationum pugnantia aliqua(nam humida cerebri intemperies omnium malorum causa potissima exsiccari postulat,& puerilis ætas humectantia requirit) omnino difficile negotium ostendunt. Quibus accedit innata,& hæreditaria laborantis constitutio: seminis enim,& naturæ vitium vix vlla Ars corrigere potest. Nihilominus cũ iuuenilis ætas multa bona polliceatur,atq; ętatum mutatione morbi, vel etiã grauissimi non rarò delitescant;de bono aliquo morbi euentu futuro adhuc sperãdum;modo cura minime differatur:alias enim multa imminent grauia pericula. Etenim cerebri superuacanea excrementa,vel retinentur,& inde capitis grauitas,dolor,sopor, Epylepsia, Apoplexia,& alia huiusmodi capitis mala suscitantur,vel si ad sensoria prolabantur,sensus,& præsertim visus,& auditus oblædunt. Hæc ipsa ad Thoracicas propulsa, Anginam, Dispnœam, tussim,& tãdem Phtysim pariunt. Si autem,vel a partibus internis,aut etiam extra caluam ad artus præcipitentur,podagram,chiragram,gonagram, & denique arthritidẽ procreant. Si in venas,morbos,(vt inquit Philoteus) putrefactionum, ac febres præsertim, (quas catarrhales vocant)producere solent. Quapropter præscripta in primis victus ratione tenui ad siccum moderate inclinante, nec non ad frigidum nonnihil : in qua duo præ cæteris primum locum obtinent, Cœli nempe Romani fluxionibus maxime opportuni mutatio: atque Vini abstinentia, vel saltem Vinum concedatur radicis Chinæ, & ligni visci quercini decocto attemperatum, apparandi erunt noxii humores Syrupo violatò, Iuiubino, de endiuia, & acetoso simplici cum aquis stillaticiis, vel cum iure pulli,in quo consimiles herbæ præbullierunt. Qui deinceps

Indicationes destillationis curandæ.

Præsagia

Destillationis incõmoda.

Victus ratio.

Peccãtiũ humorum ꝑparatio. Purgatio.

Oculis male affectis, & in fluxione ad thoracem errhyna, & masticatoria suspecta. Purgationes fluxionem auertentes. Thoracis excrementa quo euacuari possint.

apparati, purgandi erunt, vel cum melle rosaceo solutiuo, & Rhabarbari infuso aqua endiuiæ, in qua Myrobalani citrinæ, & chebulæ macerata fuerint secundum artem dissoluto; vel cum simplici manna, & Rhabarbaro; aut cum pilulis Aureis; Cochiarum portiuncula consociatis. Particulares, propriasque cerebri purgationes per masticatoria, & Errhyna vocata medicamenta, veluti hoc in casu suspecta consultò omittam: hæc enim laborantibus oculis; illa verò in fluxione ad thoracem periculosa sunt. Quæ quidem purgationes, & præsertim per pilulas aureas repetitæ per interualla, auersionis gratia admodum vtiles censentur. In eundem etiam scopum diriguntur suppositoria, & clysteres. Sed præter hæc omni studio incumbendum humoribus detrahendis, qui thoracem, & pulmones obsident. Hi autem, cum purganti medicamento ob locorum distantiam euocari minime possint, ea duntaxat auxilia expostulant, quæ vias spiritus leniendo, & tenuem humorem impactum moderate crassefaciēdo, omnem in dictis partibus redundantiam per tussim auferre valeant. Qualia erunt. Saccharum violaceum in ore detentum. Syrupus de hybisco. Diatragacanthum. Diacodion. Aut medicamentum nobis satis familiare, quod ex Tragacantho, amylo, amygdalis dulcibus, & sacchɑro violaceo cando paratur. Interim omittenda non erunt medicamenta, quæ eo consilio Thoraci admouentur, vt partes emolliendo, & laxando faciliorem præbeant viam excrementis per tussim extrahendis; simulque etiam redundantium in pulmonibus succorum tenuiores saltem partes per halytum digerant. Huiusmodi autem est linimentum ex butyro recenti, Oleo violaceo, oleo amygdalino dulci, & croco confectum. Post hæc, vt excrementorum in vniuerso corpore, & præsertim in cerebro prouentus arceatur, opportunum fuerit (præter congruam victus rationem rigorose obseruandam huc spectantem) viscerum intemperantias emendare; atque hepatis primum calidioris iusto refrigerantibus internis, & externis: proinde, & linimentum ex cerato santalino cum succo cichorei, acetique modico hypochondrio dextro applicandum, & serum caprinum cum cichorei succo depurato per dies aliquot de more datum magnopere collaturum sperarem. Mox omnem curam cōferre oportet in cerebrum omnium malorum fontem, quod quidem cum impense humidum fit, & nonnihil etiam iustò calidius, exsiccantia multum, & aliquantulum refrigerantia expostulat: eaq. & interna, & externa. Interea, quæ extrinsecus capiti adhibentur (præter pulueres, inustiones, sacellationes, fotus, & huiusce generis reliqua) Ceratum quoddam nostrum, huic operi apprimè opportunum hic præscribere non omittam.

Medicamēta Thoracem expurgātia. Medicamēta Thoraci admouenda qd præstent.

Hepatis calida intēperies quibus remedijs emendetur.

Rec.
Roſarum rubearum
Mirthillorum
Santalorum rubrorum
Santalorum citrinorum — an. dr. i.
Corallorum rubeorum
Sandaracæ, hoc eſt vernicis
Maſticis — ſcr. 4.
Myrræ
Ladani } an. dr. s.
Thuris

Auct. ceratũ egregiũ ad inhibendam cupitis fluxionem.

Gummi ſoluantur in lixiuio dulci aceto confuſo, in quo roſarum rubrarum folia præbullierint, deinde coquantur ad decentem viſciditatem, & cum ceræ albæ q.s. fiat Emplaſtrum, ſeu Ceratum ſyncipiti deraſo applicandum; atque pluribus diebus continuis geſtandum, & quarto quoque die mutandum. Rubificantia autem emplaſtra hoc in caſu proponere non audeo; quod in tenui calidaque fluxione ſuſpecta admodum ſint: licet a Gal. 5. Meth. Med. concedãtur; & recte quidem, vt ſentit Arculanus, ad infrænandam præcipitem fluxionem ad oculos, aut ad thoracem cum inſigni periculo imminenti delabentem. Hinc luce clarius patet Aetium, Trallianum, & Auicennã iniuſte reprehendere Gal. in hoc opere; eorum autem, quæ pro cerebro ſiccando intus ſumuntur, primas partes obtinent propoſito in caſu Theriaca non admodum antiqua cum dupla portione Conſeruæ roſarum per interualla ieiuno ventriculo deuorata. Conſerua Betonicæ, vel ſaluiæ cum pari portione ſacchari roſ. Necnon Mithridatica confectio cum dupla portione ſacchari roſacei ſumpta. Interim ſuffitus nonnunquam vtiliter adminiſtrari poterunt ex pulueribus cephalicis citra calorem ſiccantibus; quales ſunt roſarum, ſantalorũ rubrorum, & citrinorum, corallorum rubrorum, myrthillorum, & aliorum conſimilium. Stillicidium autem ex aquis thermalibus, quod inter ea, quæ extrinſecus adhibentur remedia non ignobiles obtinet vires, nec laudare, nec admittere poſſum, in ætate præſertim adhuc puerili; generoſum enim, ac potens admodum medicamentũ eſt, ſi (vt decet) adminiſtretur. Atque dum hæc peraguntur, decoctũ radicis chinæ cum modico ligni viſci quercini ex iure pulli columbini per aliquot dies (vt moris eſt) propinatum notabilem vtilitatem allaturum audacter polliceri poſſum, tum ad ſiccandum cerebrum, tum etiam ad diſſipandas excremẽtorum omnium reliquias. In quo quidem parando decocto ad ebullitionis finem adiungi poterunt acetoſæ, & cichorei folia, pro contemperanda caliditate, quam nonnulli huic medicamento ineſſe putant; mihi autem (vt libere agam) in paſſiuis qualitatibus temperatum ſemper viſum eſt. Ceterum, ſi his peractis non obſtantibus aliqua etiam in cerebro excrementa cumulentur (vt ferè ſemper cõtingere ſolet) hæc, vt ab oculis, & a thorace

Rubificãtia medicamenta capiti admouenda quando ſuſpecta ſint.
Trallianus Gal. iniuſte redarguit.
Medic. caput exſiccantia citra iſignẽ calorem.
Suffitus cerebrũ ſiccantes.
Capitis ſtillicidium pueris ſuſpectum.
Chinæ decocti vires

Auerſoria aſpiritalib. partib. & ab oculis auxilia.

race aliò detrahantur omni ſtudio incumbendum. Quare (vt ad Chirurgicum opus deueniam) præter venæ iecorariç ſectionem inter initia imperandam, ſanguis iterum mittendus erit (parce tamen) è vena, quæ in Pollicem vergit: hæc enim mediç venæ ramus eſt; qua ſecta nõ ignobilis reuulſio habetur, minuſq. virib. detrahitur, quàm ſecta cephalica, quod ſpiritus minori copia diſſipentur. Frictiones pariter, & lotiones partium infernarum quotidie repetitæ, necnon cucurbitulæ cruribus, coxis, natibus, & ſub ſcapulis applicatæ ſine inciſione, interdum etiam (vrgente neceſſitate) cum ſcarificatione, in eũdem ſcopum diriguntur: quemadmodum, & cauterium inter primã, & ſecũdam vertebram, vel ſaltem in altero brachio inuſtum; quod quidem auxilium omnibus alijs auerſorijs magnopere prçſtare compertum

Veſicãtia medicamẽta vrinç diffſcultatẽ afferre ſolent.

eſt. Veſicantia medicamenta proponere non audeo, quippequi optime nouerim vrinæ difficultatem non raro excitare; cui vitio Nobiliſſimus hiſce Adoleſcentulus eſt obnoxius. Partes tandẽ fluxioni ſubiectæ, oculi nimirũ, & pulmones firmari, ac roborari debẽt, ne humorem è capite prolabentẽ æque prõpte admittant. Porrò medicamẽta huic operi deſtinata (ꝙ ad pulmones ſpectat) ſiccãdi facultẽ cũ adſtrictione quadam moderata obtinere debent; huiuſmodi autem eſt.

Elect. roborandis pulmonib. magnopere opportunum.

Rec.	Sacchari roſati antiqui	lib. ſem.	miſce.
	Boli armenæ		
	Santalorum rubrorum		
	Corallorum rubrorum	an. dr. 1. ſem.	
	Pulmonis vulpis prçparati	dr. 2.	

Et cum ſyrupo roſato ex roſis ſiccis fiat Electuarium, cui adde foliorum auri puriſſimi nu. 6. Cuius vnciam mediam ſenſim deglutiendã ſingulis octo horis magno cum ſucceſſu in hoc, conſimiliq. affectu laboranti exhibere ſolemus. In cuius, & aliorum quidem vſu aduertendum, ne tã naribus hauriantur, quam ore longiori cum mora. Nõ enim viam naturalẽ, qua diuerti debent, præcludere oportet, aut adſtringere; ſed qua deſcendunt, per aſperam nimirum arteriam. Suffumigia etiam ex Maſtiche, Thure, & roſis pulueratis, accenſiſq. carbonib. inſperſis, in eundem ſanè vſum feruntur. Præter hæc, materiam reliquam pulmonibus conceptam digerentia, ſimulq. ſiccantia, varia a probatiſſimis Auctoribus deſcribuntur; inter quç ſuffitus, & trochiſci Raſis a Mathço Gradi experti magnopere celebrantur. Ad hæc ſi forte fortuna fluxionis impetus in aſperam arteriã procũberet, vt inde præfocationis periculum immineret, pro hac ſiſtenda, interdũ ſaccharũ roſaceum cum bolo armena, interdũ Diacodion, nonnunquã recentem Theriacã, ſæpe Diaſpermaton a Gal. lib. 6. de Comp. Medic. ſec. loc. c. 5. deſcriptum, ſummopereq. ad hunc vſum celebratum, dum it dormitũ deuorabit. At pro roborandis oculis, ne materiam è capite præcipitatam ita facile ſuſcipiant, Aqua roſarum cum tenui liquore oui, non ſolum ad roborandum, verumetiã initio ad reprimẽdum,

Med. fluxionẽ ad aſperã arteriam reprimentia qua cautione ſint imperanda.

Suffumigij vſus.

Materiã pulmonib. cõceptam digerẽtia.

Fluxionis impetũ reprimẽtia.

Oculos roborantia.

dum,

dum, in oculum inſtillata, optimum tutumque remedium cenſetur. Valentius autem eſt quod ſequitur. Videlicet ſuccus mororum agreſtium reſiccatus, dein cum oui albumine commiſtus, rurſuſque ſiccatus, & in puluerem redactus, atque vt omni prorſus morſu careat, lacte muliebri, & aqua roſacea diſſolutus, cum Goſſipio inſuccato in oculum inſtillatus. Illud vnum maximi momenti minimè ſilendum arbitror, nempè quòd tam in ophthalmia, quàm in epiphora repellentia fluentem materiam fronti, aut temporibus admota valde ſuſpecta ſunt, quando per venas, & arterias intra caluam fluit humor; quippe quæ materiam in neruos opticos impingãt. At ſi fluxio per venas, & arterias extra cranium impetat, iſthæc repellentia tutò fronti, & temporibus admoueri poſſunt. Hæc pro Perilluſtris Adoleſcentuli valetudine reſtituenda, atque retinenda proponenda habui: faueat modo Deus Omnipotens ſuis, & noſtris votis.

Fluxionē ad oculos repellētia fronti admota quādo ſint ſuſpecta.

De Incubo, ac de virilitate læſa pro Illuſtriſs. Iuuene quodam Romano, Conſultatio XLII.

AFfectus præter naturam quibus Illuſtriſſimus Eques ex incertis quibuſdam temporum interuallis detinetur, incubum, virilitatemque læſam eſſe, ita perſpectum eſt, vt nemini vllus dubitandi locus relinquatur. Incubi ſigna quæ in Illuſtriſſimo Equite obſeruantur ſunt, difficilis reſpiratio, vocis obſcuritas, ac interdum priuatio, vniuerſi corporis grauitas, & immobilitas, occupatio ingruentis cuiuſdam mali, ſenſus torpidus. Quæ omnia ſymptomata Illuſtriſſimum Iuuenem non rarò moleſtant, cum ſomnum ingreditur: tunc enim (vt ipſe refert) ſe grandi quadam mole opprimi, inuadique ab alio, & premi falsò imaginatur. Hinc facilè conſtat, quod rectè a Græcis ferè omnibus affectus hic Ephialtis, ideſt Inſultor dicitur: a latinis autem Incubus, ſeu incubo, ab incubando quod pondus quoddam nobis hoc affectu preſſis incumbere, & ſupra nos ſtare putemus. Malum hoc non morbus, ſed ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium, omnium inquam; nam imaginatio in eo deprauata eſt, motus difficilis, & ſenſus torpidus. De parte primum affecta non omnes conſentiunt. Nonnullis enim proprius putatur ventriculi, & Diaphragmatis affectus, quòd ſupinis dormientibus craſſiores perſæpe cibi os ventriculi, & diaphragma premant, vnde efflatio, & reſpiratio præpediantur. Quorum opinioni ſubſcribere non poſſum. Quandoquidem affectus hic breui temporis ſpatio citra vllam ventriculi expurgationem, & moleſtiam ſoluitur. Præterea non ventriculi, ſed cerebri facultatis functiones omnes, imaginatio nempe, motus, & ſenſus hoc in malo oblæduntur. Propterea Arabum interpretes ſenſerunt, (& recte quidem, vt noſtra fert opinio) priorem cerebri ventriculum, vel ſpinalis medullæ exortum vapore

Affectus præter naturam. Incubi notæ.

Incubi nomēclatura.

Incubus quis nam affectus ſit. Pars affecta primū in incubo quæ ſit. Quorūdā opiniones de ſede affecta in īcubo reprobantur.

craſſo, aut etiam humore, qui tamen facile diſſoluatur, ita oppleri, vt prohibeant facultatem libere per neruos tranſire: quo fit, vt ſenſus, & motus vna cum reſpiratione obledantur: eiuſdem ſententiæ ſunt Paulus quoque, & Aetius. Quam quidem ſentẽtiã inter recentiores Hollerius minime admittit: quippequi Ephialtis cauſam interiorẽ in thoracis venarum ſummam repletionem ex eo referendam putet, quòd thorax totius mali origo videatur, grauiuſq; cęteris laboret. Quę quidem Hollerii aſſertio vero conſentanea videretur, niſi illud obſtaret, quòd venarum plenitudo abſque venæ ſectione tam breui temporis ſpatio vna cum affectu tolli minime poteſt. Eadem ratione in dubiũ etiam reuocatur ſententia Doctiſſimi Fernelii, qui propoſiti affectus cauſam putat eſſe craſſiorem pituitam, vel melancholiam, non in cerebro, ſed circum præcordia inhęreſcens, qua per crapulam, & cruditatem turgeſcente, diaphragma pulmoneſq; premũtur: craſſo autem vapore illinc in fauces, & cerebrum expirato vox ſupprimitur, ſenſus atq; mens obturbatur, viſiſq; triſtibus offunditur. Non ibo quidẽ inficias thoracis venas ſanguinis copia turgentes cum Fernelio, præcordia nimirum diſtenta cum Hollerio; atq; ventriculum cruditatibus, aut cibis plenum cum multis aliis claſſicis huius mali cauſam eſſe; ſed non primo, neque per ſe quatenus (vt illi aſſerunt) Diaphragma, ſpiritualiaque membra premunt: ſed vaporibus craſſis turbulẽtiſq; illinc in cerebrum elatis eiuſq; ventriculos obſtruentibus, ideoq; ſpiritus animales per neruos ferri prohibentibus, vt Poſſidonio placet, vt paulo latius infra explicabimus. Quare incubo neque Semideus, neque Cupido, quod veteres crediderunt, neque Dæmon, neque incubans vetula, ſed vapor quidam craſſus, qui partim vias ſpiritus animalis intercipit, vnde & loquendi, mouendi, & reſpirandi difficultas; partim animæ offunditur, vnde læſa imaginatio, & præſertim ſuffocationis phantaſia quædam, quod ob radiorum animalis ſpiritus penuriam, propter cerebri obſtructionem contingit, vt Auicenna autumat: quo fit, vt oppilatione ſublata homo ſtatim liberetur. Hinc facile conſtat ſedem affectam in hoc vitio duplicem eſſe, anteriorem nimirum cerebri ventriculum, & poſteriorem, ſeu ſpinalis medullæ principium. Quandoquidem functionis facultatis imaginatricis deprauatæ ſymptoma, læſam anterioris ventriculi ſubſtantiam conſequitur: quemadmodum, & torpidus ſenſus, & motus impeditus ſymptomata facultatis nempe ſenſitricis, & motricis cerebri poſteriorem ventriculum, vel principium ſpinæ obſtructum eſſe aperte commonſtrant. Hinc enim motricis ſenſitricisq; facultatis radii è cerebro in neruos ferũtur. Thorax etiam vna cum ſuis muſculis ex eo affici dicitur, quòd ob ſpirituum inopiam libere eleuari dilatariq; minime poſſit. Præter ſedes affectas iam commemoratas ordine tres, quarta etiam ſpectanda venit, in qua videlicet obſtruentium vaporum focus, & minera reſidet. Quæ quidem in Illuſtriſſimo propoſito laborante duplex deprehenditur;

Incubi vera cauſa.

Suffocationis in incubo imaginatio unde ſedes affecta quadruplex.

ditur;

ditur; altera enim ad vaſa ſeminaria, & ad genitalia ſpectat; a quibus ſeminales (vt ita dixerim) vapores in cerebrum ſubleuantur. Etenim dum in hunc affectum incidit, vt plurimum venereorum motus ſuſcitatur. Qualia enim ſunt phantaſmata, tales ſubleuari vapores rationi vtique eſt conſentaneum.

Phantaſmatũ ſpecies vapores pariũt

Altera eſt ipſummet cerebrum, ſecundũ propriam eiuſdem ſubſtantiam, quæ cum frigido humidoq; temperamẽto ſit prędita (vt ex propriis ſignis innoteſcit, quę breuitatis cauſa non recenſebo) multa ex proprio alimento excrementa congerit, a quibus vapores attolluntur in ſomni ingreſſu, quo tempore calor ad interiora reuocatus in materiam valentius agit.

Cur in ſõni ingreſſu incubus magis infeſtet.

De cauſis externis nihil mihi dicendum occurrit, quoniam vt potui aſſequi Illuſtriſſimus Eques temperate ſatis ad omnia ſe habet, quæ ad victus rationem ſpectant: niſi quod aeri nocturno, & frigidiori interdum liberalius ſe ſe exponit.

De cauſis externis.

De futuro morbi huius euentu profectò magnopere timendum eſt, niſi omni accurata diligentia Illuſtriſſimus Eques ſibi ipſi proſpiciat. Affectus namq; ſatis grauis eſt, & maxime vrget, tum ratione propriæ eſſentiæ, tum ob partis affectæ præſtãtiam, & dignitatem. Atq; is eſt a quo melancholiæ, inſaniæ, epylepſię, & apoplexiæ periculum imminet non leue: præſertim cum diuturnus, frequenſq; ſit, & æger ab acceſſione ſtupidus permaneat: hæc enim vaporẽ copioſum, craſſum admodum, frigidum, & quieſcentem indicant, qualis eſt qui laboranti huic negotium faceſſit.

Præſagia Ab incubo quæ immineant pericula.

Incubus quãdo valde periculoſus ſit.

Cuius quidem curatio ob id etiam difficilis futura putatur, quia vetuſtate habitum quendam contraxit. Veruntamen cum res nunc agatur cum Iuuene, & prudẽtiſſimo, nihil ad ſanitatem reparandam, & retinendam ſpectans omiſſuro, vitiũ hoc, vel prorſus extinctum, vel magna ex parte imminutum iri ſperãdum. Et pręſertim cum generoſa præſidia hactenus vſurpata minime fuerint. De quibus in poſterum agemus, ſed ad alterum affectum nũc venio; nimirum ad virilitatẽ lęſam: eſtq; affectus hic impotentia quędam ad coitum. Affectio autẽ ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium motricis nempe, quòd pęnis erigi nequeat, ideoque eiuſdem pudendi propriæ ablatæ. Cuius quidem cauſam referendam putamus in pudẽdi reſolutionem ob frigidam aliquam intemperiem in eo excitatam: cũ neque a ſeminis inopia, neque a vitio renum, aut reliquarum partium principium vitium hoc prodire poſſit, vt vnicuique corporis patientis conſtitutionem diligenter expendenti facile inoteſcet.

Læſa virilitas quid coeũdi impotentia quisnam affectus ſit

Inter cauſas externas huius affectionis enumerare poſſumus iter longum, quod habuit per loca frigida duobus abhinc annis a quo tempore frigida excitata in pudendis intemperie reſolutiſque muſculis erigendo pęni deſtinatis in hunc affectum incidit.

Cauſa externa.

Quo fit, vt ſpes futuræ ſalutis nonnihil ſit dubia ob diuturnum affectum, & quaſi in habitum commutatum; ita vt mirandum non ſit, ſi colis flaccidus, ſubfrigidus, & exanguis fere deprehendatur. Nihilominus, & ætatis flos, & virium robur, & generoſa medicamenta non adhuc ex-

Præſagiũ

Incubi curatio. plorata rem ex voto successuram nobis pollicentur. Sed iam curationem aggrediamur, ac primum incubi, veluti affectus vrgētioris Cum igitur affectionis huius causa interior a vaporibus crassis, & frigidis cerebri posteriorem ventriculum, vel etiam spinalis medullæ exortum obstruentibus pendeat, qui quidem vapores ab excrementis pituitosis, perinde ac a propria minera oriuntur studendum est quamprimum, vt horum excrementorum prouentus in posterum impediatur: quod quidem nulla alia ratione assequi possumus, quam & victus ratione congrua causæ morbificæ aduersanti, & cerebri intemperiem frigidam humidamque corrigentibus medicamentis, tum internis, tum externis; prægressa tamen peccantium humorum, & in toto, & in cerebro purgatione. Sed si obtineri non poterit quin caput suapte natura infirmum assidue superfluos humores producat, id saltem efficere conandum erit, vt in alias partes dum gignuntur ignobiliores deflectantur. Igitur vitæ suæ rationem prudenter ita instituat, vt aerem frigidum, & humidum, ac nebulosum prorsus deuitet, cibos optimos, & coctu, tum copia, tum qualitate faciles sumat. Potum nimirum, & Vini præsertim meracioris omnino caueat. Vespere parcius cibetur. Cruditates omni sedulitate deuitet. Otium fugiat, exercitationibus corporis citra lassitudinem omni studio incumbat. Aluum solutam si a natura nō habeat, acrioribus clysteribus, qui etiam a capite aliquo pacto trahant, vel quapiam alia arte sibi paret. Vigiliis magis, quā somno sit deditus. Curas animique sollicitudines pro viribus deponat, & læto animo vitā ducat. Præ cæteris omnia quæ flatus suscitare possunt semper effugiat. Quibus omnibus tria accedunt maximi momenti perpetuò obseruanda: nimirum, vt somnum meridianum nunquam ingrediatur, neque statim a cibo se det somno. Capitis pectinationibus ieiuno ventriculo vtatur. Intelligat etiā quod motus omnes, qui inclinato capite fiunt magnopere cerebrū lædunt. A cibo, vt semper modo pyris, seu cydoniis, modo coriandris, saccharo, vel eius generis adstringentibus vtatur, nunquam post cœnam, aut prandium potet consulo.

Scopi curationis incubi.

Victus ratio.

Tria inuictus ratione præ cæteris obseruanda.

De Pharmacia. De Pharmacia ita statuo. Præscripta victus ratione ad vnguem obseruanda, quamprimum lenienda erit aluus, vel melle rosaceo solutiuo, seu confectione Diacatholiconis. Mox præparandi erunt humores exhibitis extenuantibus quibusdam medicamentis, qui apparati postremo educendi erunt, vel pilulis de hyera cum Agarico Mes. vel pilulis de hyera Pachii, ac huiusmodi aliis, quæ cerebrum expurgare vsu compertum est. A purgatione, vt masticatorio aliquo, & errhynis etiam cerebri pituitam ducentibus quotidiæ ieiuno ventriculo vtatur, etiam atque etiam hortor. Quibus peractis magnopere laudo, vt vel cerato aliquo syncipiti derafo adhibendo, vel frequenti capitis lotione lixiuio Arte parato ex siccantibus, aut stillicidiis de more administratis cerebrum, (vt decet) exsiccetur.

Quòd

Quòd si hisce remediis malum minime superetur, aut saltem non imminuatur; iterum corpore purgato salsæ, & guaiaci cum modico ligni visci quercini decoctum quadraginta diebus continuis sumendum minime inutile futurum speramus: quòd insignem vim habeat cerebri excrementorum reliquias dissipandi, simulque viscus hoc exsiccandi, roborandique. De medicamentis, quæ sumuntur caput siccantibus roborantibusque illud mihi dicendum superest, opus maxime esse, vt dum it dormitum Mythridaticę confectionis semi drachmam, vel rodosacchari vnciam mediam, modo conseruæ Betonicæ, aut saluiæ vnciam mediam sumat. Circa Chirurgicas operationes consulimus, vt quo tempore purgabitur, ab assumpto vno, aut altero syrupo, communis vena secetur, atque sanguinis vnciæ octo extrahãtur: tum quia Illustrissimus Iuuenis sanguine (licet non multum) abundet, tum quia inanitis tantisper venis extenuantia medicamenta promptius penetrare possunt. His accedit, quòd cũ ex sanguine producatur semen, ex cuius abundantia ob negatam illi venerem seminales vapores cerebrum conscendentes mali causam non solum fouent, sed etiam augent; sanguine detracto, seminalis vaporis etiam materia detrahitur. Cæterum si sub his præsidiis affectus hic non declinet, Cauterium in ceruice, vel si hoc recusauerit in altero saltem brachio sinistro nempe excitatum diu gestandum, maximam opem allaturum certo polliceri possumus: namque per hoc excitatum vlcus cerebri excrementa deriuari, auerti, & expurgari poterunt. Tandem, vt seminalibus vaporibus propria materia detrahatur, medicamentis vtendũ extenuantibus digerentibus, atq; semen ipsum extinguentibus, licet moderamine aliquo, ne alterum alterius affectus curationem præpediat qualia sunt semina rutæ, quæ licet fœminis genituram suscitare a nonnullis putentur; in viris tamen extinguere, & veterum testimonio, & quotidiana experientia a nemine fuit dubitatũ. Viticis, seu agni casti semina, & huiusce generis alia; ex quibus medicamentum quoddam paratur, mihi valde familiare huic intentioni maxime accommodatum: hoc autem est.

Med'camenta interna cerebrũ roborantia.

Chirurgica opera.

Venæ sectionis vsus.

Cauterij vsus.

Medicamenta genituræ extinguẽtia.

Rec.	Seminum rutæ.		
	Seminum viticis.		
	Radicum iridis	an. dr. 1.	Misce.
	Seminum lactucæ	dr. 2. & sem.	
	Menthæ siccæ	dr. 3.	
	Sacchari	vnc. 1.	

Egregiũ Auctoris medicamentũ pro semine delendo.

Et fiat puluis, cuius dr. 1. ex Vino albo tenui detur duabus horis ante prandium per aliquot dies. Quantam vim semen habeat ad incubum excitandum, præter rationes a nobis antea adductas, testimonium etiam facere videntur hebręorum Rabbini, scribunt enim phantasmata incubum comitantia ex semine Adã procreata fuisse centum illis, & triginta annis, quibus vxorem non cognouit, post quam Cain fra-

Hebræorũ dogma de incubo.

trem

Theologi veteres quid de incubis, & succubis senserint.

trem interfecit. Sed illud etiam ignorandum non est, quòd apud D. Augustinum Lib. 15. de Ciuitate Dei multa quoque leguntur de incubis, & succubis, vt hinc cogamur fateri incubum alium Dæmonis arte suscitari, alium, (de quo nunc agimus) morbum esse, qui ephialtis, hoc est insultor a Græcis dicitur; vt anteą diximus, vel etiam quoniam Paulo teste cap. 15. tertij libri homo quidam ephialtes nominatus morbum hunc perpessus est. Atque de incubo satis. De altero vero præter naturam affectu, nempè de partium quæ generationi inseruiunt languore, de quo non minus sollicitì esse debemus, si nō ob aliud, saltem in liberorum legitime procreandorum gratiam: atque potissimum in Illustriss. Iuuene, cui & Magistratus, & iurisdictionis, multorumque fortunæ bonorum amissio imminet; mea sententia

Ignauiæ partiū genitaliū cu randi rō.

hæc est, totam huius mali curandi rationem positam esse in medicamentis, & internis, & externis colem flacidum, ac refrigeratum, musculosq; huius erectioni dicatos paralysi laborantes calfacientibus roborantibusque. Porrò ex ijs quæ sumuntur Mythridato interdum, nonnumquam diamoscho dulci, modo diambra vti commodè poterit. Vsum etiam croci in cibarijs magnopere commendamus. Se-

Semē promouentia.

men autem erucæ, diasatirium, radices eryngij deuoratæ, puluis seminis lini cum saccharo in cibis sumptus, & eius generis alia quæ semen copiosum producere sunt apta, hic consulto prætermittam; tū quoniam a genitura superabundanti vapores in caput exhalantes incubum efficiunt; tum quoniam hæc ignauia non genituræ inopiam, sed partium refrigerationem, & resolutionem consequitur: ita vt omnem curam adhibere oporteat, vt harum partium calor, & naturalis temperantia restituatur, idque topicis præsertim medicamentis, quale est linimentum ex mosco, & ambra, cum Oleo nucis moschatæ. Vel oleo caryophyllorum cum ambra, sed omnium efficacissimum, quod sequitur.

Linimentum egregium ad ignauiam partiū genitalium.

Rec. { Olei Sisamini.
Olei Liliorum alborum — an. vnc. 1.
Formicarum alatarum — drach. 1. s.

Simul bulliant, mox coletur, & adde Euphorbij scrup. .s. seminis rutæ; piperis an. drach. .s. sinapis scrup. 1. Iterum bulliant, & colatura illinantur virga, testes, & inguina, necnon os sacrum; meatus enim, &

Styllicidia.

nerui ab illis partibus ducuntur. Styllicidia quoque, vel ex aquis thermalibus, seu Arte paratis calfacientibus deobstruentibusq; supra os illud sacrum omnium topicorum præsidiorum efficacissima censentur. Hęc sunt quę in propositis duobus præter naturam affectibus proponenda duxi, quæ vt Deus salutaria efficiat toto animo precor.

De

De graui auditione auris ſiniſtræ,& dolore dextri lateris coxendico. Pro admodum Reuer. P. Ordinis Teatinorum, Conſultatio XLIII.

SVbſurditas ſymptoma in genere functionis diminutæ auditoriç facultatis in propoſito Reu.P. morbum in via, obſtructionem nempe conſequitur nerui dilatati ad auris meatum peruenientis; primum ſanè auditus organum. Cuius quidē obſtructionis cauſa accepta fertur frigido craſſo,& lēto humori: etenim, vt calida intemperies cum humore functiones deprauare ſolet, ita & frigida imminuere, conſopire, vel etiam ex toto abolire. Qui quidem frigidi humores è cerebro iuſto frigidiore, humidioreque originem ducunt. Quemadmodum,& qui eiuſdem conditionis, vel per venas intra caluam, vel per ſpatia inter muſculos & cutim, ad eum artic. quo caput oſſis fæmoris in coxendicum inſeritur, præcipitati coxendicum producunt dolorē: qui non eſt in ſola coxendice, ſed modo in fœmore, modo in ſura, interdum etiam in extremo pede ſuſcitatur. Quænam partes in hoc affectu afficiantur nemo eſt qui dubitet; oſsis namque membrana; aut muſculi, vel nerui, ſiue etiam mediæ regiones ſunt, quæ, confluētem pituitoſum humorem vna cum bilioſi portiuncula recipiunt, quod laxiores infirmioreſque ſint. De vtriuſque propoſiti affectus euentu futuro, ita ſtatuendum. Abſolutæ ſurditates, & longiſſimæ licet ſanari nequeant; grauis tamen auditio non admodum inueterata, qualis eſt, de qua nunc agimus curationem admittit. Quare ſperandum fore, vt medicamentis ex Arte adminiſtrandis Vir hic admodum Reuer. priſtinum auditum integre recuperare poſsit. Quod ad alterum ſpectat affectum. Coxendicum dolores inueterati difficile admodum perſanantur: ac præſertim in ætate magis deficiente, quam proficiente. Quæ ambo concurrunt in Reu. Viro. Veruntamen quoniam in ipſa coxendice neque callus, neque tophus hactenus concretus eſt, neque coxa e propria cauitate excidit, ſperare poſſumus affectum hunc ſuperatum iri: eo maximè, quod generoſa remedia huic vitio tollendo accommodata nondum fuere vſurpata. Quamobrem, vt periculis ab vtroque affectu imminentibus, abſolutæ videlicet ſurditatis, & claudicationis occurramus: quamprimum curationem, vt aggrediatur, etiam, atque etiam hortor. Quæ quidem exigit, vt victus ratione inſtituta tenui, attenuante, non admodum calfaciente, ſiccante quidē magis. De qua quidem, veluti omnibus in Arte peritis nota nihil dicam, niſi quòd cruditates, deambulationes concitatiores, & Vini meracioris vſus hic magnopere reprobantur: apparētur pituitoſi humores, atque præparati, phlegmagogis caput, & artus reſpicientib. purgandi erunt, non ſemel tantum, ſed bis terque: qualia autem hęc ſint, omnibus compertum eſſe non dubito. Corpore vniuerſo hunc in

mo-

Grauis auditus, quisnam affectus ſit, q̄ pars affecta, quem morbū ſectetur vna cum morbi cauſa.

Calida intemperies actiones deprauat: frigida vero hebetat.

Quænam partes afficiātur in iſchiade.

Præſagia.

Abſolutæ, & inueteratæ ſurditates nō ſanantur.

Coxēdicū dolores inueterati difficile tolluntur.

Coxendicus dolor quādo incurabilis ſit.

Curādi rō

Victus rō.

Purgatio.

Deriuantia a cerebro excrementa. *Ligni guaiaci vires.*

modum repurgato, caput priuatim repurgare oportebit per mastica toria, & errhyna pituitosum humorem e cerebro deriuãtia. Post hæc ad dissipandas affligentium humorum reliquias, simulque pro siccãdo roborandoque cerebro: ligni indici, salsæque pariliæ cum modico sassafras decoctum quadraginta saltem diebus de more propinatum multum emolumenti allaturum, nemo est qui dubitet: præsertim si ab epoto in aurora decocto, sudorem omni Arte (citra tamen violentiam) procuret.

Vrinã, et sudorẽ mouentia deriuare dicuntur. *Auertentia medicamenta.* *Auertit vomitus.*

Etenim sudorem, & etiam vrinam promouentia medicamenta impactos humores à sedib. affectis deriuare iure optimo putantur. Interim, vt si quæ in cerebro excrementa cumulentur, ad alias partes deflectantur, ne in auditus organum, & coxendicem repant præter caputpurgia, clysteres, acriores interdum, flegmagoga nonnunquam maximè ex vsu erunt. Vbi notandum venit, quod per vomitum etiam sine violentia excitatum excrementa ad partes infernas, & ad coxendicem fluxura perbelle auertuntur. Sed dum hæc administrantur, medicamentis etiam vtendum internis, & externis cerebrum siccantibus, & ventriculum roborantibus; quippequi in longis passionibus sæpius laboret infirmeturque.

Ventriculus in morbis longis infirmari solet. *Topica ad surditatẽ.*

Reliquum nunc est, vt ad topica deueniamus. Igitur pro digerenda pituitosa materia tenaciter in auditus organo impacta grauis auditionis proxima causa nullum præstantius remedium occurrit, quam liquor ex anguilla emanans, dum torretur, cum oleo anisorum sensim in aurem laborãtem hora somni instillatus. Eiusdem fere valoris est succus scyllæ, cũ oleo liliorum pariter in aurem guttatim instillatus. Ego autem sæpius fœlici cum successu in inueterata etiam surditate expertus sum Theriacæ aquam stillaticiam singulis octo horis in aures instillatam. Remedium etiam hoc in casu optimum est, quod Recipit Aloes drach. 1. Interioris Colocyntidis, Euphorbij an. scrup. 1. Moschi, Ambræ an. grana 7. Terantur subtilissime, & cum felle vaccino misceantur, & fiant Trochisci, qui siccentur atque vsus tempore fricentur super cote, & cum succo raphani in aurem instillentur.

Auditus organũ validissima p̃sidia facile sustinet.

Neque quis miretur, quòd medicamenta hæc satis valida parti adhibeantur exquisito sensu præditæ: quandoquidem auditus organum licet ad duram vsque meningẽ pertingat, neruulumq; a cerebro recipiat; potentissima tamen medicamenta topica sine noxa sustinet, quemadmodũ animaduertit Gal. 6. Meth. Med in fine. Atque de medicamentis auri applicandis dicta sufficiant.

Quibus topicis remedijs coxendicum dolor tractandus.

Opportunum nunc fuerit ad coxendicum dolorem deuenire. Quem quidem Anodynis primum soluere tentandum, fotu nimirum ex decocto florum chamæmeli, meliloti, fœnugræci, seminum lini, absynthij, & origani; Cui quidem, vel consimili medicamento sæpius repetito, si dolor non cesserit ad validiora localia transeundum. Inter quæ Ceratum, seu emplastrum ex sulphuris, & picis partibus æqualibus sedi affectæ admotum, gestandumq; donec sponte sua decidat; Gal. ex Andromacho Lib. 10. de Cõp. Med. 5.

Lib.

Lib.cap.2. magnopere extollit. Ceratum etiam nobis valde familiare huic operi accommodatissimum conficitur ex Bdellio, Ammoniaco, opopanaco, myrrha, & resina pini. Omnium autem efficacissimum est, quod a Gal. ex Democriti monumentis Lib. 10. de Comp. Med. cap. 2. mirifice celebratur. Paratur autem ex Iberidis radice exacte contusa atque suilla axungia veteri excepta, lynteoque densiore emplastri modo affecto loco admota ibique detenta quatuor saltem horarum spatio. Illud autem hic admonebimus, dupliciter a multis peccari in vsu horum topicorum remediorum; primum quidem nulla prius habita de toto corpore prouidentia: deinde quando medicamenta admouenda caliditatis metam longe excedunt: nam humores a superioribus venis ad sedem affectam copiosius detrahuntur, indeque morbus exasperatur. Cæterum in affectu contumacissimo, rebelli, & aliis remediis ex Arte administratis minime cedente, ad validiora, vt ad phænigmos etiam, atque inustiones Hipp. more confugiendum. Corpore tamen iterum atque iterum exacte præpurgato omnibus prægressis auersoriis auxiliis; magna ex parte ex Chirurgicis præsidiis petenda. De quibus nunc agendum. In curationis principio, corpore semel saltem non nihil purgato venam secandam omnino consulo: sed quænam secanda sit in hoc affectu in dubium a plerisque vertitur, quòd hac in re varius variis in locis Gal. videatur. Quam quidem difficultatem nunc explicare longius esset, quam pro instituto. Illud tamen dixisse satis fuerit, quòd cum Reuerendus hisce laborans sanguine non abundet, viriumque robur adhuc firmiter retineat, affectusque iam inueteratus sit: huic sanguinem ex vena poplitis, vel malleoli lateris affecti detrahendum nemini in dubium reuocari debet; quòd misso ex hac vena sanguine insignis deriuatio obtineatur. Cæterum quoniam poplitis vena difficile admodum secatur, huius loco vena quædam paucis abhinc diebus a Romanis Chirurgicis inuenta, quæ paulo supra calcaneum nonnihil versus malleolum ad exteriorem partem vergit, ramus profectò venæ poplitis, si secetur, illincque sanguinis vnciæ octo, vel nouem plus minusue pro ætatis, & virium ratione detrahantur eadem fere hora (quod mirum videtur) coxendicum dolorem, vel etiam vetustissimum delere solet. Quinimò sanguis quoque è venis, quę in sede sunt per hyrudines admotas euocatus, mirum in modum ischiadicis opitulatur: quippequod sanguinis in coxendicum venis contenti copia educatur: harum enim partium maximus est venarum consensus. In hunc etiam vsum Cauterium paulo subtus genu in parte exteriore lateris affecti inustum deriuationis causa summopere commendamus. Quemadmodum, & alterum in brachio opposito auersionis causa a coxendice, & deriuationis gratia ab aure sinistra ad euitandam surditatem, quam maxime conducturum non dubitamus. Tot dicenda occurrerunt pro debellandis duobus commemoratis affectibus præter na-

Notādū. *De chirurgia.* *In affectu coxendico quæ vena secanda.* *Notādū.* *Sanguinis ex hæmorrhoidibus in ischiade mittendus.* *Cauteria duo.*

ter naturam in gratiam Reuerendi admodum Viri, Quæ prospera, & salutaria illi succedant, Deum exoramus.

De Epilepsia pro Reuerendiss. D. Antonio Meliorio Episcopo S. Marci, Consultatio XLIV.

Affectus. AFfectum præter naturam Reuerendissimū D. ex incertis, hisq; longissimis interuallis grauiter affligentem, morbum esse comitialem, tam notum est, quam quod notissimū. Etenim subitus casus, sensus motusque voluntarij ablatio, omnium fere corporis partiū per neruos conuulsio, atque spuma ex ore prodiens, Epilepsiam cumulatissime indicant. *Epilepsiæ signa.*

Epilepsia quis nā affectus sit. Quē morbum comitetur, & q̄ nam pars afficiatur. Affectus symptoma est in genere functionis læsæ, impeditæ nempe sensitricis, motricisq; facultatis.

Morbum consequitur in via obstructionem videlicet, seu potius adstrictionem ventriculorum ipsius cerebri, vnde luce clarius cōstat sedem affectam cerebrum esse.

Morbi causa, & affectus generationis modus. Morbi causa citra omnem difficultatem referenda est in humorem pituitosum mala vitiataque qualitate præditum, qui dum cerebrum percellit, eius expultricem facultatem irritando efficit, vt cerebro in sese coacto, ac eius ventriculis collisis, & nonnihil adstrictis vel etiam aliqua ex parte obstructis facultatis animalis per neruos irradiatio prępediatur.

Morbi causa vnde. Humor autem hic pituitosus in propria cerebri frigidioris humidiorisque iusto substantia colligitur, ob eius vitiata coctionem. Quo fit, vt primario, ac per se afficiantur. Quamquam negandum non sit, Iecur Reuerendissimi D. satis incensum vapores calidos ita in caput exhalare, vt eatenus affectum hunc suscitent, vel saltem foueant, quatenus frigidum in cerebro contentum humorem vitiosa quadam inimicaque qualitate coafficiunt. Quemadmodum, & ventriculus aliquantulum frigidior, & infirmior cruditates gignendo, vitiosam quoque materiam ipsi cerebro suppeditare creditur. Ob id tamen affirmandum non est duo isthæc viscera cerebrum ita in cōsortium trahere, vt affectus Epilepticus in cerebro sit per consensum laborante. Quandoquidem de ventriculo, atque de Iecinore nulla insignis est querela licet exacte temperata non sint.

Causæ prochatartica. De causis externis illud tantum certe affirmare possum, quod longa, & importuna studia, grauia negotia, animi passiones, ac præsertim mæror, & mæstitia cerebrum antea temperatum nunc cum ætate iam inclinante ad frigidam, humidamque intemperiem deduxerunt.

Præsagia. De futuro mali huius euentu, quid sentiam libere dicam. Affectus hic natura sua contumax curatuque difficilimus, atque in Reuerend ss.mo Viro hæraditaria contagione a primo semine contractus,

ctus ętas inclinans (septuagesimum fere annum attingit) & vires iam admodum fractæ nullam futuræ salutis spem nobis pollicentur. Nihilominus ne tantum Virum in hac tam graui calamitate deseramus omni studio incumbendum, vt (si fieri possit) Epilepticæ accessiones minus frequenter, minorique impetu suscitentur.

In primis autem intelligant Reuerendissimi D. familiares, & assistentes quibus auxilijs in ipsa accessione vtendum sit. Statim enim membra in rectum distendantur, ruta contrita olfacienda offeratur, thymi, & pulegij contriti folia naribus supponantur, strepitus auribus, & magna luminaria oculis offerantur, Theriaca, aut Mithridato, vel Anacardina confectione os palatumque illiatur, pituita ab ore detrahatur, & demum ad scrotum deligandum deueniatur, & hæc de curatione. Præseruationem autem, quæ tota in causarum ablatione versatur paucis perstringam. Igitur victus rationem tenuem, attenuantem, exiccantemque satis, & calfacientem rigorosè obseruandã præscribere oportet: Cuius quidem particularia præcepta nunc explicare non est mihi in animo, quod certo sciam hæc omnia notissima esse peritissimo Medico præsenti. Illud tamen adnotasse satisfuerit, quod præ cæteris, maxima est habenda Aeris ratio. A vino abstinendum, & huius loco decoctum ligni visci quercini ex mulsa vtẽdum. Compotationes, cruditates atque satietates, tanquam summam perniciem euitare debet; partiusque cænandum semper illi erit cum accessionis periculum noctu magis impendeat. Coturnices nunquam edantur, quod comitiali morbo laborare credantur.

Paroxismi curatio.

Prophilactica.

Victus rõ.

Victus ratione (vt decet) instituta, aluo lenita, vel molli clystere, vel leniente pharmaco humores pituitosi decem saltem diebus continuis apparandi erunt oxymellite, tum simplici, tum composito, syrupo de betonica, atque de stæchade, cum aquis capitalibus, & præsertim de hyssopo, cum portione aquæ cichorei.

Humorũ pparatio.

Qui quidem præparati deturbãdi erunt, vel cũ hyera simplici, vel cum hyera pachij, seu diacolocynthidos, quæ helleborum recipit a Gal. mirum in modum collaudata primo de Comp. Med. aut pilulis Elephanginis, de hyera, cum Agarico, cochijs, & consimilibus.

Purgatio.

Mox omnem curam conferre oportet ad cerebrum siccandum, atq; roborandum medicamentis, tum sumptis, tum etiam admotis. Primi generis sunt Theriaca, Mythridatum, Diamoschus dulcis, Diamoschus amarus, Acori conserua, & (quod oĩum efficacissimũ est) Electuarium Rasis in capite proprio, de curãda Epilepsia descriptũ. Secũdi generis sunt inunctiones, lotiones, cucuphæ, pulueres capitales cerata, ac etiã sinapismi. Styllicidium non probo, quod, nec ætas, nec vires, tam potens præsidium sufferre possint. Quæ quidem auxilia tam interna, quam externa securius, & fęliciori cum successu administrabuntur, si præter vniuersalem totius corporis purgationem, caput etiam peculiariter per errhina, & masticatoria integre expurgatum

Viscera attẽperanda.

gatũ fuerit. Hepatis pariter calida intemperies, & ventriculi frigida de more emendabitur. Rursus ad dissipandas peccantium humorum in toto, & in capite reliquias, simulque ad siccandum roborandumque cerebrum radicis chinæ cum ligno visci quercini decoctum quadraginta saltem diebus continuis propinatum magnopere profuturum omnibus compertum esse potest. Atque dum hæc aguntur, necnon post eorundem vsum, vomitus bis saltem in Mense post plenilunium, & nouilunium a cœna excitatus mirifice hoc affectu laborantibus conferre solet. Interim, & sales Theriacales, & Trochisci de viperis vtiliter admodum vsurpari solent, sed hisce omnibus in hoc opere præstare videtur medicamentum nobis sæpe, ac sæpius cõprobatum: est autem huiusmodi.

Decoctum radicis chinæ. *Vomitus.*

Medicamentũ insigne pro epilepticis.

Rec. Crani j Hominis morte violenta defuncti.
Seminis peoniæ an. vnc. s.
Tormentillæ.
Ligni visci quercini.
Rasuræ eboris an. scr. 2. } Misce.
Conseruæ Anthos.
Conseruæ Rosarum.
Conseruæ Acori an. dr. 10.
Syr. de Sthœchade q. s.

Et fiat Electuariũ, cuius media vncia detur quatuor horis ante prandium alternis diebus.

Quæ autem secreta quadam facultate (a tota substantia appellant) Epilepticos maxime iuuare creduntur, præcipua hæc sunt, peoniæ, Maris præsertim radix transuersim incisa, & coronæ modo consuta collo appensa, & gestata, vt odoretur, Epilepsiam præsentem non solum persanare, sed impendentem quoque cohibere creditur. Experientia etiam compertum est smaragdum, cum corallo gestatum, ita vt carnes contangat Epilepticas accessiones coercere. Sed de pharmacia hactenus. Reliquum est, vt ea Chirurgica præsidia proponantur, quæ Reuerendissimo D. aliqua ex parte prodesse possint. Igitur, quod ad venæ sectionem attinet, hic non video opus esse sectione venæ ex cubito: quoniam præterquam quod ætas non consentiat, corporis habitus non requirit: nulla enim adest in hoc sanguinis redundantia. Veruntamen auersionis causa a cerebro mali fonte prima prægressa purgatione sanguinis paululum ex vena iuxta talum in vtroque crure detrahere necessum erit, vel per hyrudines ex venis, quæ in sede sunt. Dein post alteram purgationem, cucurbitulæ cum scarificatione cruribus, coxis, natibus, & spatulis affigendæ erunt. Et vbi præludia aliqua futuræ accessionis persentiret cucurbitula deraso occipitio cum incisione sine mora admoueatur. Ad hæc præter duo illa cauteria, quorum alterũ in crure pro auersione, & alterum in brachio pro deriuatione multis abhinc diebus gestat; tertium quoque

Medicamẽta a tota substantia epilepticis proficua.

Vena sectio.

Cucurbitulæ admouendæ. *Cauteria.*

ea in

ea in parte occipitij, qua summa vertebra cum capite committitur magnopere illi necessarium esse iudicamus. Et hæc dicta sint pro salute Reuerendiss. D. quem Deus incolumem seruet ex animo precor.

De Asthmate, & Orthopnæa pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Caraffa, Consultatio XLV.

ILlustrissimum, & Reuerẽdiss. D. ea spirandi difficultate ex incertis interuallis laborare quæ Asthma communiter dicitur, in dubium minime reuocari potest. Siquidem spirandi difficultas in quã frequẽter incidere solet est cum stertore, seu anhelatione (oregmon appellatur.) Cui quum id interdũ accidat, vt spirare nisi recta ceruice possit, Orthopnęa etiam laborare haud dubium est. *Asthma.*

Actionis huius deprauatę causa interior accepta fertur angustiæ eorum ventriculorum, qui in pulmonibus sunt, quæ fit ex fluxione desuper è capite in partes spirituales ruente, vnde frequens etiam tussicula excitatur. Materia autem pręcipitata crassa, frigida, & pituitosa est, cuius quidem signa in pręsenti non recẽsebo, ne acta agere velle videar, cum a Clarissimis Viris non minus docte quã eleganter explicata fuerint. Illud tantum dixisse satis fuerit materiam hanc pulmonum arterias non leues, sed asperas, nec non, & cartilagines obsidere: stertor enim inter spirandum hasce partes affectas indicat. *Orthopnæa. Asthmatis causa immediate, & antecedens. Stertorum de.*

De causis huius mali procatarticis, nihil profectò habeo, quòd dicam, quòd optime nouerim Illustriss. ac Reuerẽdiss. in victus ratione nullatenus delinquere: nisi quòd ob grauia negotia, & lõga studia, ac alias animi sollicitudines, cerebrũ ętatis inclinantis causa refrigeratũ, magis magisq; in dies etiã refrigeretur; ob idq; pituitosa accumulat excremẽta, vt, si ab hac calamitate, & impendentibus periculis pręseruari volumus, quinque præsidiorũ generibus quamprimum vtẽdum sit. In primis (vt a victus ratione exordiar) omni studio, ac diligẽtia vtendũ illi erit victu tenui, attenuante, calfaciente, atq; nonnihil siccante: licet humectantibus interdũ medicamentis per os sumptis ad sputum facilitandum agendum sit. De qua quidem victus ratione nihil dicẽdum superest, quoniam a Doctissimis Viris, qui ante me dicebãt satis superq; tractatum fuit. Quibus tamẽ illud addam, quòd Cœlum hoc Romanum fluxionibus magnopere opportunũ Illustriss. & Reuerendiss. Card. semper erit inimicum. Hoc etiam vnum adnotabo, nempe quòd inter alimenta, Ptisana cum lacte amygdalarum dulcium, butyro recenti, & saccharo primas hic obtinet partes. *Causæ procatarticæ. Asthma quinq; præsidioru genera requirit. Primum.*

De fructibus autem, passulæ, palmulæ, caricæ, strobili, amygdalæ, & apia excocta sine vlla noxa concedi possunt.

Victus ratione (vt decet) præscripta peccantes in corpore vniuerso, & præsertim in cerebro, & thorace humores apparandi erunt syrupis, & aquis calfacientibus, incidentibus, attenuantibus, & de- *2. ad apparatia medicamẽta spectat.*

tergentibus, tum cephalicis, tum etiam thoracicis. In quorum censu syrupus de Betonica, oxymel, & simplex & compositum, syrupus de hyssopo, syrupus de prassio, & syrupus de liquiritia sunt, cum aquis, vel decoctionibus consimilibus.

3. quod ad purgantia spectat.

Apparati mox humores purgandi erunt non semel tantum, sed iterum, atq; iterum modò pilulis de hyera cum Agarico, interdum cochijs, nonnunquam Agarico trochiscato, cum manna, & alijs consimilibus: hac tamen cautione, vt in paroxysmo asthmatico cathartica fortia nequaquam imperentur: horum enim vsu materia nimium commota, & agitata largius in thoracem præcipitari solet. Cum his materiam in pulmonibus contentam, è thorace educere tentãdum, medicamentis sputum concitantibus; de quibus paulò post dicendũ.

Auertentia.

Quartum remediorũ genus eorum est, quorum vsu fluxuri a capite in thoracem humores aliò deflectuntur. Proinde reuulsionis gratia, quo tempore humores noxij præparantur, sanguinis missionem è communi brachij dextri vena non ignobilem vtilitatem allaturam, ob id mihi ipsi persuadeo, quoniam Illustriss. ac Reuerendiss. Card. sanguine in hac etiam ætate satis abundat; qui etiam multis abhinc mensibus spõte è naribus certis quibusdam interuallis optimo cum successu erumpere illi solebat. Deinde peracta vna, vel altera purgatione, præter cauterium, quod plurib. abhinc annis in altero brachio gestat, alterum quoque, vt in ceruice excitetur magnopere hortor, sunt etiam qui ad auersionẽ vesicantia medicamenta manus vtriusq; radici, & palmæ admouenda consulant. Quod quidem auxilium tanquam molestum, & incommodũ nunc dimittimus, præsertim cum alia eiusdem generis præsidia minusq. molesta habeantur, vt partiũ infernarum frictiones mane, & vesperi ante cibum, lotiones ex calẽti aqua, ligaturæ dolorosæ, cucurbitulæ interdum inanes, nonnunquã cum scarificatione cruribus, coxis, natibus, & scapulis affixæ, eo præsertim tẽpore, quo præludia aliqua futuræ accessionis apparent. Clysteres etiam, balani, & cathartica medicamenta minori quidem copia, sed ex interuallis propinata summopere auertunt. Cum quibus, vt medicamento aliquo vtatur, quod fluxionem in thoracem arcere sistereq. possit, simulq. excrementa pulmonum dissipare, quã maxime probo, quale erit, quod Recipit loch de pino vnc. 2. Boliarmenæ scr. 4. syrupi de liquiritia q. s. & fiat Eclegma, cuius vncia media paulò plus minusve sumat, dũ it dormitũ. Errhina, & apophlegmatismi, licet a nonnullis probentur, mihi tamen hoc in casu nõ arrident: horũ enim vsu periculũ imminet, ne materia per palatum in os deducta in thoracẽ præcipitetur. Cõplura alia in hoc genere auxilia proponerẽ, nisi certò scirem omnia notissima esse clarissimo Medico præfecto.

Medic. fluxionẽ sistentia.

5. præsidiorũ genus.

Nunc autem ad quintum remediorum genus venio. Nimirũ, quæ peccãtium humorum reliquias in cerebro atque in pulmonibus, vel etiam in toto corpore digerere dissipareq. apta sint; simulq. cerebrũ, & pul-

& pulmones moderate ſiccando corroborare. Pulmonum autem appellatione, vaſa etiam omnia, quæ in eis ſunt, aſperamque arteriam intelligo. Quapropter iuris galli antiqui decoctum, cum herbis, & radicibus thoracicis, & cæphalicis, vna cum ligno indico, & viſci quercini ligno, quindecim ſaltem diebus (vt moris eſt) propinatum, incredibilem vtilitatem Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinali allaturum non dubitamus: ac præſertim ſi immediate ante huiuſmodi decoctum vnciam mediam noſtri in hunc vſum electarij deuorauerit. Illud autem eſt.

Rec.
- Conſeruæ Betonicæ.
- Conſeruæ Violarum.
- Loch de Pino an. vnc. 1. s.
- Pulmonis vulpis præparati, & in puluerem redacti dr. 1. s. *Auctoris electariũ.*
- Terebinthinæ lamina ferrea ignita ſiccatæ, ac in puluerem redactæ drac. 1.
- Liquiritiæ puluerata.
- Ireos an. ſcrup. 2.
- Syr. de hyſſopo q. s. & fiat Electarium.

Cum his quoque Theriaca, aut Mythridato interdum, pliris archotico nonnunquam, aut diamoſcho, tum dulci, tum amaro, modo conſerua de betonica vtendum illi erit, quando it dormitum. Quo tempore omittenda non erunt topica extrinſecus admouenda remedia cerebro ſiccando deſtinata. Interim vniuerſus thorax illinatur Oleo amygdalino dulci, cum buthyro recenti, & croci modico, vt per poros dilatatos materia pulmonibus concepta promptius euadere poſſit. Quibus omnibus malo non cedente etiam atque etiam hortor, vt aduentante vere ſtyllicidio ex aquis thermalibus aluminoſis, nonnihilque ſulphureis ſupra commiſſuram coronalem viginti ſaltem diebus omni diligentia vtatur. Nec miremini (Viri doctiſſimi) ſi tot tantaque in hoc caſu remedia nunc a me proponantur; quandoquidem pro debellando tam horrendo hoſte, ſpiritum per quem viuimus intercipiente, omnem (vt dici ſolet) lapidem mouere expedit. Sed quis fortaſſe mihi obijciet cur de ſpirandi difficultate magis anxius videar, quam de capitis fluxione aſthmatis cauſa potiſsima; cum Tralliani præceptum ſit catarrhum ante catharrales ægritudines curandum eſſe: quod quidem præceptum, & Meſues ſummopere amplectitur. Cui obiectioni reſpondemus, quòd & ratione, & veterum teſtimonio, & quotidiana experientia vtique exploratum eſt; vrgentiori ſemper prius incumbendum, altero tamen non neglecto affectu. Quamobrem haudquaquam mirandum eſt ſi de ſpirandi difficultate, tanquam de vrgentiori affectu magis ſollicitus videar, quam de catarrho ipſo: cuius quidem curationem (vt a me propoſitis intelligitur) minime neglexi. Porrò autem horum a nobis propoſitorum remediorum congruo vſu, & opera, non

Medicamenta roborantia.

Capitis ſtillicidium.

Dubitatio pulcherrima.

P 2 ſolum

solum asthmati præsenti, ac fere assiduo, pro viribus erit occursum; verum etiam, & prospectum futuris patroxysmis, quo minus fre-
Præsagia quenter, minorique cum molestia redeant. Vtrum autem id obtineri possit, certe valde dubbio. Etenim præterquam quod asthma affectus est contumacissimus, curatuque difficillimus; hic etiam difficultatem augent morbi vetustas, ætas potius deficiens, quam proficiens, nec non propensio quædam ad vitium hoc a semine parentum contracta: complures enim huius Illustrissimæ familiæ huic malo sunt
Pulcherrimum quæsitum. obnoxij, sed quæret quis in quo posita sit propensio hæc: quod quidem alij, & antiquiores, & Neoterici, vel dissimularunt, vel assequuti non sunt; responderem ipse, propensionem hanc connaturalem ad anhelationem, positam esse in pulmonum laxitate quadam, & in vasorum, quæ in eis sunt angustia: nec non in cerebri substantia humidiore, laxioreque vnde viscus hoc concepta excrementa alacriter ad partes subiectas demittit: ita vt vitiosa pulmonum, & cerebri conformatio constitutioque a natura mutuata homines huic malo valde obnoxios reddat. Seminis autem, & naturæ vitia, quam difficile sit emendare vnicuique compertum esse puto: Nihilominus Illustrissimi, & Reuerendissimi Viri prudentia, & in omnibus ad suam valetudinem spectantibus obsequentia, atque generosa præsidia hactenus non explorata, si non integram sanitatem, vtilitatem tamen maximam pollicentur: nimirum, vt facilior respiratio euadat paroxysmique futuri cum orthopnœa, vel non repetant, vel minus frequenter minorique cum impetu Illustrissimum Reuerendissimumque laborantem percellant. De affectuum curatione, & præcautione hæc dicta sufficiant. Nunc verò opportunum fuerit ea recensere auxilia, quæ
Vrgentis asthmatica accessionis remedia. accessionis, seu paroxysmi vrgentis impetum infrænare valeant. Hæc autem sunt, quæ sputum blande prouocandi facultate pollent, qualia sunt, pulmones roborãtia, tum manifestis qualitatibus, tum occultis. Primi generis sunt simplicia, & composita pectoralia moderate siccãtia. Inter ea quæ secundæ sunt classis, pulmo vulpis preparatus primas
Sputũ prouocantia. obtinet partes. Mouent etiam sputum moderate calida, quatenus pulmonum ventriculos, & arteriolas dilatant. Quemadmodum, & incidentia, attenuantia, lenientia, & detergentia quatenus materiam pulmonibus tenaciter inherescentem aptam expulsioni reddunt. Proinde dulcia, amara, nitrosa, salsa, & acria in hoc opere eligũtur, vt amygdalæ dulces, & amare, strobili, caricę, palmulæ, iuiubę, passulę, scabiosa, adiantum, aristolochia rotunda, prasium, hyssopus, radix ireos, radix dulcis, radix helenij, sulphur etiam aqua violacea leuigatũ, gummi ammoniaci, tragacantha, terebynthina, & alia ejus generis simplicia. Ex compositis autem acetũ scyllinum, oxymel tam simplex, tum cõpositum, syrupus de hyssopo, de ibisco, de liquiritia, de passio, loch de pino, de farfara, sanum, & expertum, loch de pulmone vulpis, maxime omnium celebrantur, & in quotidiano sunt vsu. Vrgente igitur

tur

tur paroxiſmo in primis curent aſſiſtentes Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Cardinalem ſuperiore altioreq. cœnaculo collocare, vt aerem minime caliginoſum, ſed tenuem, purgatumq. inſpiret: ob id leuis luculentuſq. ignis ex lignis probe purgatis, & ſiccatis in eodem cœnaculo ſuſcitabitur. Quo tempore apertis interdum feneſtris frigidum aerẽ, ſi breui temporis ſpatio inſpirauerit, non ignobilem vtilitatem inde percipiet: viſcerum enim calor reſpiratione impedita, tunc excandeſcens refrigerari poſtulat. Mox ad euitandum ſuffocationis periculũ, ſi nil aliud prohibeat, quamprimum cubiti vena media ſecetur, ſanguiſq. ea copia detrahatur, qua vires non proſternantur. Venæ ſectionem hoc in caſu non ſolum Cœlius Aurelianus, verum etiam, & Gal. 4. De Rat. vic. Comm. 12. magnopere probant. Secta vena ſicyæ affigantur ſpondylis, & thoraci ſine ſcarificatione. Dein talis ſtatim propinetur bolus. *Ven. ſec.*

Medic. aſthmaticas acceſſiones ſoluentia.

Rac. Ammoniaci ſcr. ſem.
Croci
Sulphuris aqua violacea ſepius leuigati an. gr. 5.
Moſchi gr. med.

Miſceantur, & cum oxymellite ſimplici fiat bolus mollis.

Ab hoc ſumpto bolo quinque, vel ſex horis malo non cedente, vini albi potentis ſubdulcis vnciæ tres, vel quatuor cum ſcrupulo vno croci, & grano medio moſchi propinetur, ſitque potio calida actu.

Radix etiam Ari in vino albo excocta, mediç vnciæ pondere, cum loch de pino, vel cum ſyrupo de hyſſopo eclegmatis modo exhibita paroxyſmum aſthmaticum mirifice ſedare ſolet. Quibus præſtitis auxilijs, ſi adhuc malum non remittatur, ad capitis inuſtiones Hippocratico more, vel ſaltem ad ſinapiſmos, aut phænigmos ſyncipiti de more admouendos confugiendum. Toto autem acceſſionis tempore ſola ptiſſana hordeacea cum melle propinabitur; bibendumq. illi erit ſæpe, & modice, vt humectatis vijs, facilius ſputa euocẽtur. Potus autem ſit aqua hordei, in qua præbullierint paſſulæ, ſtrobili, caricæ, & radix dulcis, addita præſcriptæ decoctioni, Vini albi ſubdulcis quarta parte, ſitque potio actu calida.

Cum quibus præſcriptis remedijs internis, foris etiam thoracem vniuerſum illinire oportebit hoc linimento.

Vnguentum pectorale.

Rec. Seminum lini.
Fænugræci.
Altheæ an. dr. i. ſem.
Radicis iridis ſcr. 2.
Olei Amygdalarum dulcium.
Olei Chamęmelini.
Olei Irini an. vnc. ſem.
Butyri recentis.
Pinguedinis gallinæ an. dr. 1. ſem.
miſce.

Ceræ q.s.fiat vnguentum,quod priusquam admoueatur linteo aspe-
riore molliuscule partes thoracicæ perfricentur, vt apertis meatibus vis medicamenti alte penetrare possit. Hæc,vt Illustrissimo,& Reuerẽdissimo Cardinali de Republica Christiana adeo bene merito prospera salutariaq; eueniant D.O.M.enixe precamur.

De febre continua cum sæuissimis symptomatis. Pro Nobilissimo Puerulo De Torres, Consultatio XLVI.

Tractationis compendiariæ causa. Morbus Nobilissimi Infantis, qui in præsentem consultationem proponitur, adeo vrget, vt opere potius quam sermone opus habeat. Propterea quæ nunc dicturus sum breui admodum compendio perstringam: ne in illud vitium incurram, quod antiquissimo illo Adagio notatur. Dum Romæ consulitur saguntũ expugnatur. *Febris idea magnitudo mos,& tẽpus.* Febrem qua puerulus Nobilissimus nunc corripitur putridam continuamq; esse haud dubium est. Cuius quidem magnitudinem declarant,& calor insignis viscera exurens,& symptomatũ magnitudo. Etenim sensuum omnium hebetudo, inquietudo,& implaciditas motus conuulsorij,& nausea cõtinua miserulum hunc ægrotantem continuò (iam secunda agitur dies) excruciant. Cui quidẽ febri malum morem coniunctum esse ex eo deprehenditur, quòd symptomata tam grauia febris essentiæ in calore positæ minime correspõdent, omnes etenim fere externæ partes frigent, licet internæ vrantur; Quod ex calore circa thoracem, & hypochondria necnon ex arida nigraq; lingua facile intelligi potest. Quod ad febris motũ attinet; cum tam breui temporis spatio febrem hanc ad summũ fere vigorem peruenisse obseruemus: non nisi eius celerem vehemẽtissimumq; motum esse citra omnem difficultatem statuendum.

De febris huius causa interiori, immediataq; libere dicam quid sentiam. *Lũbricos huius febris causã esse nõ probatur.* Quanquam commemorata symptomata vermium seu lumbricorum effecta esse possint, vt Clarissimo Medico, (qui ante me dicebat) propter nonnullas satis apparentes adductas rationes placet: nihilominus hac in re valde dubius sum: quandoquidem quotidiana experientia ipse obseruaui, nunquam, vel rarò lumbricos in Infantibus adhuc lactantibus procreari. Prĉterquam quòd huiusce generis febrem ex lumbricis, tam breui temporis spatio excitari posse incredibile vtique videtur. *Mali causa.* Quapropter febris huius,& symptomatum omniũ consequẽtium causam referendam esse putamus in sanguinem computrescente ventriculo conceptum. Nuper enim a parentibus accepi, quòd cum pueruli huius loquela impedita esset ob innaturalem linguæ cum partibus subiectis colligantiam, & præsertim cum ea membrana, quæ frenum dicitur,& quam peritæ obstetrices vnguibus scindere solent, vt adnotauit Gal.21. De Vsu partium cap.10. vt solutam linguam redderent, Chirurgum quendam aduocarunt, qui ex Celsi,

Pauli,

Pauli, & Aetij præceptis linguam cultello seiunxit. In quo quidem opere aperta vena aliqua sanguinem in ventriculum effusit, qui illic computrescens calidos, putridos, ac veluti venenatos vapores in cor, & cerebrum expirando omnium commemoratorum symptomatum (quantum ego puto) causa est potissima: etenim, vt sanguis propriam seruans naturam maxime est omnium humorum benignus, ita & vitiatus mali admodum est moris. Corruptio enim optimi est pessima.

Igitur si infantem hunc ab imminenti iam iam vitæ periculo vindicari volumus, opere pretium est quamprimum vomitũ illi prouocare, vt putridus in eo contentus sanguis euocari possit. Mox accommodato iniecto clysteriolo, & fęces, & eiusdem corrupti sanguinis reliquias ab intestinis detrahere tentandum. Nec verò omittenda erunt medicamenta cor ipsum roborãtia, tam interna, quam externa. Quos quidem scopos assequi, licet admodum difficile sit in Puerulo ætatis decem, & octo mensiũ: cui haud facile est medicamenta quę sumuntur administrare: nihilominus quoniam, & Hippocratis testimonio, & quotidiana experiẽtia compertum cum sit, pueros interdum a maximis desperationibus euadere, de futura salute non prorsus desperandũ. Ego igitur sine mora Olei Amygdalini dulcis recentis vncias tres plus minusue omni arte, & industria illi proponerem ad vomitũ prouocandum: quia scribente Hipp. Aph. 3. Aph. 24. Vomitus pueris facilis est, tum ob ventriculi laxitatem, tum etiam ob frigidorum humorum è cerebro in ventriculum delabentium copiam, nec non etiam ob ingluuiem, & lactis ciborumque quantitatem immodicam. A vomitu clysteriolus quamprimum inijciatur ex iure pingui, & sacchararo, vel melle despumato sine Oleo: quandoquidem vbi suspicio est vermes, & lumbricos præsertim ventrem exercere ab Oleo abstinendum, hoc enim refugientes sursum magis conscendunt: licet (quantũ ego putem) lumbrici nullum hic nobis negotium facescant. Post hęc pro corde cæterisque visceribus roborandis, cõfectionis Diacynthos scrup. vnum Vino albo tenui aqua rosacea dilutæ liquefactum, & exhibitum quam maxime conducturum sperarem. Interim cordis regio Oleo de corticibus, aut de seminibus citri sæpius illinatur. Nec non Epithematibus cordialibus temperatis ante illitionem foueatur. Cum his ventris regio ad vmbilicum illinatur Theriaca succo citri, vel aranciorum dissoluta.

Medicationes curatiuæ.

Præsagia

Quod ad victus rationem spectat, omne studium conferre oportet in nutricem: cui victus ratio imperanda est tenuis ac refrigerans. Cibis igitur vtatur boni succi, & facilis coctionis, nec non paucorum excrementorum, inter quos ptisana, iuscula, & aliæ huiusce generis sorbitiones maxime commendantur. A Vino prorsus abstineat, eiusque loco aqua vtatur hordei, in qua Cinnamomi parum præbullierit. Caueat præ cæteris ab ira, & omni animi excandescen-

Victus ratio.

tia, atque ab immodicis cuiusque generis exercitijs.

Purgatio. Cũ hac victus ratione præscripta, aluo sponte non fluente purgans medicamentum leue aliquod quamprimum exhibeatur, vt caſsię recentis medulla, Mel Roſaceum ſolutiuum, confectio Diacatholiconis, vel aliud quippiam conſimile, quod primam duntaxat regionem blande expurgare valeat; ne excrementa in primis venis concepta maiores venas altius ſubeant, ſanguinemq; conſpurcent, ideoque lac ipſum, quod ex sãguine progignitur inſalubre reddat. Sed ad infantem redeuntes iure optimo in dubium vertitur, num illi ſecanda ſit vena, *Vtrum ſecanda ſit vena.* vt morbi magnitudo poſtulare videtur. Nam ſecundum Galeni placita, tum in Lib. De Cur. Rat. per venæ ſectionem cap. 13. & 10. Meth. Med. c. 14. pueris ante decimumquartum annum ſanguis non detrahitur. Licet Auenzoar filiolo ſuo trium annorũ venam cum ſucceſſu ſecuerit. Vt refert Auer. ſeptimo Col. c. 3. ſub hoc etiam Cœlo Romano pueris trium, vel quatuor annorum etiam vrgente neceſsitate è vena ſecta ſanguis demitur, & fœlici cum ſucceſſu: ac præſertim hirudinibus admotis, quòd exiguo admodũ oſculo ſecta vena ſpiritus minori copia profundat. Verumenimuerò tutius (mea quidem ſententia) fuerit huic infanti nondum ſecundum annum agenti ſanguinis aliquid detrahere per cucurbitulas admotas. Quod quidem auxi- *Cucurbitulæ admouendæ.* lium amplectitur etiam Raſis in puerulo quinque, vel ſex menſium: licet a Principe Mauritano id non probetur, quippequi cucurbitulas infantibus minime adhibendas eſſe decreuerit, niſi duodecimum ſaltem menſem attigerint: cui quidem, & ego quoque non inuitus ſubſcribo; tum ob multas alias cauſas, tum ex eo præcipue, quòd ætate teneriores doloribus, vel etiam leui de cauſa, quam maxime crucientur. Duo enim ſunt maximi puerorum Tyranni (vt diuinus Plato aſſerebat.) Dolor nempe, & voluptas. Quapropter etiam atque etiam hortor, vt a vomitu, & ab educto iniecto clyſtere paulo poſt, cum aliquantulum quieuerit per ſicyas ſanguis mittatur, triplici ſeruato pręcepto.

Præcepta in admouendis cucurbitulis obſeruanda. Primum, vt anguſtum ſit os ipſius cucurbitulæ ſecundum Hippocratis Placita, quando ab intimis, profundiſque partibus ad extimas trahere ſtudemus; huiuſmodi autem ventoſæ anguſto foramine a veteribus oua appellabantur, quòd ſimiles ſint ouis, vt legitur apud Erronem. Alterum deinde præceptum inuiolabiliter obſeruandum eſt, vt partibus ſolum inf[illegible]nis, [illegible]ibus nempe, coxis, & natibus tres vtrinque cum leui ſcarificatione applicentur; ne ſi forte ſuperioribus partibus affigerentur ſuccos vitioſos a toto vniuerſoque corpore ad ipſum cor detraherent.

Tertium poſtremumque vt vncia vna cum dimidia, vel duæ tantum ſanguinis mittantur. Hęc habeo, quę ex tempore proponam pro Nobiliſsimi Infantis valetudine recuperanda, quam Deus illi concedere non dedignetur, obnixe precor.

Appen-

Appendix.

SI quando mecum ipse diligētius considero, quam difficile sit morbos internos, eorumque causas interiores assequi, in eam sententiam facile descendo; Hippocratem secundo de Morbis vulgaribus, sectione quarta non sine maxima præmeditatione scriptum reliquisse: in omnibus obscuris morbis tractandis; oportere Medicum diligenter inuestigare primum morbi insultum, hoc est primam occasionem, vnde quis ægrotare cœperit. Illinc enim, & morbi, & causæ cognitio, vt plurimum pendet. Ecce exemplum. Nobilissimi Infantis, qui nudiustertius in consultationem proponebatur, morbus sane acutissimus vnà cum causa obscurus admodū erat; nisi mihi de puerulì, & nutricis vita, & conditionibus diligenter percunctanti ab eius parentibus significatum fuisset, quod duobus diebus ante primum morbi insultum a Chirurgo quodam parentum iussu ad tollendum loquelæ impedimentum secta illi fuit membrana, qua lingua cum partibus subiectis colligatur. Rursus interroganti, num ab hoc opere statim pronum situauerint infantulum, atque num sanguis ab ore fluxerit; vtrumque negarunt. Vnde statim conieci ego sanguinem è loco vulnerato in ventriculum præcipitatum ibique putrefactum morbi, & symptomatum commemoratorū causam fuisse: nec mea me fefellit opinio. Quandoquidem Oleo amygdalino dulci adciendum vomitum propinato, sanguinis concreti purulentique notabilem copiam euomuit. Ad hæc vna cum reiecto clystere sanguinis corrupti grumos permultos excreuit. Atque statim (Deo immortali fauente) remissa fuit febris, cessareque cœperunt symptomata omnia. Vnde valenter, & auide mammis nutricis lac exugere cępit: totaque sequenti nocte placide dormiuit: neque in posterum quicquam mali persensit.

Append.

Prima morbi occasio instiganda.

De febre putrida continua, ac malimoris. Pro D. Aldragheto Desiderio Nobili Bonon. Consilio XLVII.

NObilem Iuuenem annum ætatis suæ vigesimum circiter agentem, Melancholici temperamenti, febre putrida continua, malignaque septem abhinc diebus vehementer laborare nemini dubium esse debet. Etenim assidue, ac sine vlla intermissione febris eum acerbe fatigat. Pulsusque celeres frequentes inæquales, & cum maiori arteriæ contractionis celeritate deprehenduntur. Calor acrius tactum ferit: licet reuocatis interdum spiritibus vna cum sanguine ad interiora, extimæ corporis partes algere videantur, internis tunc vrentibus, vt ex lingua arescente nigrescenteq.

Febris idea.

nec

nec non ex caloris mordacitate circa thoracē duntaxat percepta euidenter apparet. Quæ quidem febris cum tertio quoque die exacerbetur nullamq; habeat integrā subsequentē quietem; continuam tertianā appellare nobis licebit, licet non sinceram Cui iunctum esse malū morem id præ cæteris indicat, quòd sæua iugiter consequentia symptomata febris huius naturæ minimè correspondent. Nimirum lingua arida, admodum scabra, & nigra sine siti; mentis vtiq; Aegrotantis signum. Sensuum omnium hebetudo, motus volūtatis imperium sequentes impediti, vigiliæ, deliria, & tandē virium omnium lapsus. Quorum omnium symptomatum causam nullam aliam assignare possumus quàm auram quandam malignā, & venenatam spiritus innatumq; calorem omnium animalis operum auctorem corrumpentem, dissipantēq;. Porrò autem febrem hanc acutissimam celerisq; motus esse ex eo facilè intelligitur, quòd statim hoc est primis ferè diebus ad summum peruenit vigorem. Vbi enim morbus peracutus est, statim extremos habet labores. Hipp. Aph. primo, Aph. 7. Et, hæc de febris idea, magnitudine, more, & motu dicta sufficiant.

Malignæ febris signa.

Symptomatū plurīū causa vna.

Febris motus.

Febris causa interior.

Cuius causa interior humoribus biliosis quidem ratione ætatis, sed melancholicis etiam, ac pituitosis simul temperamenti autumnalis constitutionis, & victus incongrui occasione accepta fertur. Hi autem, & putridi, & praua deleteriaque qualitate affecti maioribus in vasis, quæ inter alas, & inguina excurrunt, stabulantur.

Putrescētiū humorū minera.

Præsagia.

De febris futuro euentu, tempore, & progressu ita sentio. Cum tota salutem, vel mortem prædicendi ratio in virium cum morbo collatione sit posita, nobisque aperte constet ex actionibus læsis, & exeūtibus mutatis vires omnes, animales nempè, vitales, & naturales a morbo hoc superari: de ægrotantis salute magis timendum, quam de vita sperandum. Nihilominus, quoniam, & Hipp. testimonio, & quotidiana experientia compertum est, iuuenes interdum a maximis desperationibus euadere, nihil intentatum relinquere debemus, quod tam graui morbo profligando opportunum censeatur, cuius quidem terminus siue ad salutem, quam Deus immortalis illi restituere non dedignetur; siue ad mortem; vtique breuis erit, videlicet infra decimamquartam diem: Morbi enim acuti quatuordecim dierum spatio finiri solent, scribente Hippocrate Aph. 2. Aph. 23. Quod autem ad sanationis, & interitus modum attinet, Febres huiusce generis malignę ab arte interdum superantur, & alexipharmacis humorum perniciem extinguentibus, & morbi apparatum, hoc est noxios humores euacuantibus, natura tamen robusta iugiter operante. Cuius quidem vires cum in præsenti Aegrotante admodū infirmæ sint, vt inter alia ex pulsibus aperte constat; qui quidem omnem inæqualitatem, & ordinis perturbationem seruant; vix ipse adduci possum, vt credam miserum hunc Aegrotantem euasurum. Via verò interitus, vt

tus, vt plurimum esse solet per spirituum resolutionem, venenatam auram consequentem. Rarò enim huiuscemodi febres iudicantur; & si quando crisis succedat, magna ex parte est ad mortem.

Reliquum vero est, vt medendi Methodum paucis perstringam. *Methodus* Hæc autem in quatuor præcipue scopis est posita. Primus febrem. Secundus febris causam. Tertius venenatam qualitatem. Quartus symptomata respicit. Quorum vnumquodque de sui indicat ablatione. Quibus, & quintus accedit scopus, qui in viribus conseruandis versatur.

Primum scopum ad tollendam febrem spectantem, explere tentandum duplici opere, videlicet victus ratione, & alterantibus refrigerantibus humectantibusque. *Victus rõ.* Quare ea præscripta est victus ratio, quæ mediocritatem quandam seruat in quantitate, qualitate, & substantia. Etenim nimium humectantia alijs febribus curandis opportuna, hic suspecta sunt, quod putredini fomentum præstent; siccantia etiam immodicè detestantur, quoniam venenatum spiritum neque attemperare, neque extinguere valent. Singula autem spectantia ad victus rationem hic proponere, lõgius esset, quàm pro instituto. Illud tantum dixisse satis fuerit, quòd cum in hoc nobili Aegrotante summam inappetentiam atque fastidum carnium obseruemus, necessitas suadet, imo cogit, vt alia offerantur edulia eius palato minus ingrata, vt panis lotus ex lacte amygdalarum dulcium, cum succo limonum, vel cum modico aceto, & saccharo: oua sorbilia. Pisces saxatiles, cum succo limonum, aut aranciorum. Salsamenta aliqua, vt ex oxalide trita, & cum modico aceto, & saccharo dissoluta. Lactuca, borrago, oxalis, melissa, & aliæ huius generis herbæ elixatæ, ac cum modico aceto conditæ. A Vino prorsus abstinendum; sed eius loco aqua hordei cum oxalide, & modico cynnamomo feruefacta, vel aqua limpida in qua aurum ignitum extinctum fuerit. Vtilissimus autem liquor pro potu erit. Qui recipit. Aquæ lympidæ lib. 1. Aquæ scorzoneræ vncias quatuor. Vini granatorum medij saporis vncias duas. Aceti rosati, syrupi de acetositate citri an. drach. 6. Misceantur, & bulliant vnica leui ebullitione, vsuique seruetur pro potu. Illud minimè silendum puto. Quod. s. sæpe, & modice cibandus est æger. Ij enim quorum vires sunt infirmæ, cum humorum corruptela sæpe, & modice sunt alendi ex Galeni placitis Aph. primo, Aph. 17.

Imperata victus ratione omni rigore obseruanda in eam facilè sententiam descendo, vt quam primum secta vena nunc basilica *Venæ sectio.* brachij dextri, vesperi autem sinistri sanguis ad vncias octo detrahatur. Et licet vires non admodum validæ sint a morboque superari videantur, non sunt tamen vsque adeo deiectæ, quin hanc sanguinis missionem bipartitam commode sustinere possint. Cæterũ quoniam à nonnullis subaudio venæ sectionem febrientibus febre maligna

ligua virium causa veluti valde suspectam improbari: cogor in præsenti (non contradicendi studio, sed in Aegrotantis gratiam, & Artis dignitatem) rationes compendiosè adducere, quæ id mihi semper persuaserunt. Hæ autem quinque sunt. Prima quoniam ex Galeni præcepto vsu, & ratione ab omnibus comprobato. In omni febre putrida mittendus est sanguis, cæteris consentientibus: quippequod auxilio hoc humorum putrescentium feruor remittatur, indeque etiã putredo futura inhibeatur. Secunda, quia morbus omnibus numeris magnus est; Magnum igitur remedium requirit: at nõ catharticum, quod cruda sunt omnia. Ergo venæ sectionem. Tertia, humores in venis cõcepti venenataq; qualitate infecti, vt cætera venena cordi insidiantur: vnde omni studio totisq; viribus sunt reuellendi. Atq; inter reuulsoria auxilia, sanguinis detractionem primas obtinere partes, nemo est qui nesciat. Quarta. Quod obstructionis factum est, per ea quæ obstructa liberant, curabitur; inhibebitur autem, quod futurum est, si affluxum obstruentium succorum compescamus. Secundum Galeni præcepta 11. Meth Med. cap. o. sanguinis autem detractione fluentium humorum impetum refrenari, omnibus in Arte, vel etiam mediocriter versatis compertum esse haudquaquam dubito. Quinta postremaq; ratio. Quoniam apparatus morbosus in hac febre subsistit in omnibus humoribus simul putrescentibus in putredinis loco, nempe in vasis maioribus, ex concepta etiam prius in vno, vel altero putredine, quæ ob insolitã perniciem, protinus alijs fit communis, sanguine vna cũ alijs humoribus putrescẽtibus euocato, morbosi vtique apparatus materiam non paucam euocari cõtingit. Huic accedit, quod sanguis ob analogiam, & sympathiam, quam habet cum venenata hac aura (quod ex rubentibus maculis in cute efflorescentibus innotescit) omnibus alijs humoribus semper it comes: ita vt huic venenato spiritui materiam substernat. Quo fit vt sanguine detracto, magna etiam ex parte, morbosi apparatus augmentum inhibeatur: ita vt auxilium huc curatiuum sit simul, & prophylacticũ. Post quam autem, hactenus rationes omnes summatim adduximus quæ omnino suadent huic Aegrotanti sine mora mittendũ esse sanguinẽ, tũ ad calorem euentandum ideoque ad inhibendam putredinem; tum ad demendam apparatus morbosi materiam; Superest, vt ad alia deueniam remedia, quæ in hunc etiam scopum secundum ad materiam morbificam spectantem diriguntur. Hæc autem sunt apparantia humores noxios medicamenta, & cathartica ipsa; his quidẽ in præsenti non est opus; siquidem cruda sunt omnia, vt ex vrinis cõfusis nihil deponentibus apparet. Præterea duobus diebus præcedentibus aluus multa eaq; liquida sæpius deiecit: ita vt nec lenitiuo aliquo pharmaco, nec clystere opus sit pro leniẽda aluo (ut fieri assolet) ante vene sectionem nunc administrandam: illa vero, apparantia nimirum, quamprimum exhiberi debent. Vt

Rationes sanguinis missioni ĩ febre mali gna suadentes.

Rec.

Rec. Syr. Acetosi simplicis.
Syr. de succo Acetosæ.
Syr. de succo Borraginis.
Syr. de Cichoreo — an. drach. 3. } Misce. *Apparantia.*
Aquarum Acetosę.
Borraginis.
Cichorei.
Scorzoneræ — an. vnc. 1. s.

Quam potionem vtiliter sumere poterit paulò post venæ sectionem tribus horis ante cibum, & singulis successiue diebus in aurora. Hæc enim potio ea admittit, quæ frigidos lentosque humores incidere biliosorum feruorem remittere, viscera refrigerare, putredinem (moderatè siccando) coercere, cor ipsum roborare, iugiterque venenato spiritui obsistere valent. Efficaciorque multo erit si boli armene orientalis, & cornu cerui vsti in puluerem redacti singulorum scrup. 2. per totam noctem in præscripta potione macerentur. Nec miremini (Viri doctissimi) si hic aquarum vberiori copia quam pro consuetudine vtar; id enim eo consilio suadeo, vt syrupi aquarum copia magis diluti facilius, citiusq; in maiora vasa penetrare possint, prius nempe quam incalescat, & alterentur. Apparati deinceps humores, si natura sponte morbum non indicauerit opportuno cathartico deturbandi erunt. Sed faxit Deus Optimus Maximus, vt prius ęger non deficiat. De remedijs autem obstructioni tollendæ (quæ præcipua est puttidæ febris causa) accommodatis, attenuantibus nempe, incidentibus, & aperientibus, qualia sunt Absynthium, apium hyssopum, origanum, pulegium, adianthum, asparagus, & eius generis alia nihil proponendum puto; nam hæc tuto administrari nequeunt primis febris diebus multitudine non deposita, neque corpore repurgato. Nūc vero proponendorum ordo expostulat, vt ad præsidia venenatæ contagioni opposita deueniam: quæ ad tertium scopum referuntur. Hęc sane differenda non sunt, sed statim primis diebus vsurpanda, ne pernicies hæc magis serpat. Hæc autem duorum sunt generum; alia a tota substantia venenatam auram extinguunt, vt cornu Ronocerun- tis, bolus armena, terra sigillata, cornu cerui vstum, & lapis nostra hac ætate ex Lusitanorum India ad nos exportatus, Bezzhoar appellatus, nec non lapides varij pretiosi, ac huiusmodi multa alia. Et hæc omnibus indifferenter febre putrida cum venenata contagione correptis tuto exhiberi possunt. Quoniam nulla calfaciendi facultate pollent. Atque præterquam quod vi quadam occulta venenato spiritui prorsus aduersentur, siccando etiam putredini resistunt. Secundi generis Bezzohartica, tùm simplicia, tùm composita sunt, quæ præter tacitam occultāq; qualitatem qua venenis reluctantur manifestis etiam qualitatibus indifferenter in diuersos humores in diuersaque corpora operantur, vt Mythridatum, Theriaca, confectio de hya-

Medicamēta venenatæ auræ opposita.

hyacintho, & consimilia. Quæ cum impense calida sint iunioribus calido temperamento præditis vehementi febre correptis atque biliosa cacochymia affectis suspecta sunt: maxima tamen vrgente necessitate concedi possunt: sed minori copia, & refrigerantibus commixta: ac præsertim confectio de hyacintho, quæ alijs est temperatior. Cuius scrupuli duo, cum drachma vna Conseruæ violarum hoc vespere tribus horis ante cibum vtiliter exhiberi poterunt. Interim.

Rec. Margaritarum albarum non perforatarum.		
Cornu Cerui vsti.		
Seminum Citri mundatorum an.	drach. 1.	misce.
Boliarmenæ Orientalis	scrup. 2.	
Sacchari albissimi	vnc. s.	

Pulnerizentur subtiliter, cuius drach. 1. bis in die detur in cibis. Cum quibus remedijs ad euocandum ab intimis ad extima venenatum halytum singulis diebus mane, & vesperi ante cibum frictionibus asperiore lyteo vtēdum; partium nimirum thoracis, & dorsi. In hunc vsum iubet etiam Aetius fricandam esse cutim vniuersam manibus hoc Oleo illitis. Recipe Olei Camæmelini lib. sem. Aquę limpidæ vnc. 4. Bulliant insimul ad aquæ consumptionem, & in fine ebullitionis adde ad ebulliendum nitri parum. Interdum etiam cucurbitulæ paruæ, quæ a veteribus oua medica ex eo appellabantur, quia ouorum formam ęmulantur, cruribus coxis, & natibus, ac lumbis admoueantur sine scarificatione, vel etiam cum incisione si partes sanguine ad cutim reuocato, rubræ apparuerint. De pulsibus verò illinendis brachiorum temporum, & pedum magni Ducis, aut Mathioli Oleo ab excellenti iuniore Medico proposito, & ab altero doctissimo Viro in dubium reuocato ob eius insignem caliditatem, libere dicam quid sentio. Cum febris huius causa interior a prædominio biliosa sit, febrilisque calor interiora vrat, vt ex lingua admodum arida, & nigra, necnon ex acri calore ad hyppochondria & thoracem percepto luce clarius apparet; ab hoc auxilij genere supersedēdum, donec febrilis hic calor remittatur, consultius fore arbitror. Quemadmodum, & epithemata cordi admouenda refrigerandi facultate prædita ex eo prorsus reprobanda mihi videntur, quia præcipuum consilium nostrum est venenatam auram vitiosorumque humorum ichores ab intimis ad extimas reuocare. Sed, vt ad ea redeamus alexipharmaca, quæ sumuntur, placet nunc confectionem quādam huic operi maxime opportunam longo vsu a me comprobatā recensere: est autem huiusmodi.

Rec. Boliarmenæ Orientalis dr. i
Coralli rubri scr. 2
Macis scr. sem.
Radicis Angelicæ.
Tormentille
Foliorum dictami recentis an. gr. 5.
Seminum Citri mundatorum.
Margaritarum albarum nō perforatarum. an. dr. sem.
Radicis scorzoneræ conditæ cum saccharo. dr. 2.
misce.

Auctoris confectio.

Sacchari albissimi dissoluti in aquæ, vel decocti cicerbitæ quantum sat sit, & fiat confectio in rotulis drachmarum duarū ponderis. Quarum vna singulis sex horis ieiuno ventriculo offeratur. Præterquam quòd enim venenosos illos halytus, aut humores eadem contagione infectos mirifice corrigere, & extinguere valent; temperatæ admodum cum sint omnibus humoribus indifferenter spiritui venenoso materiam præstantibus, in omni ætate, temperamento, & anni constitutione; necnon in vtroque sexu, maxime sunt accommodatæ. Et hæc de Antidotis.

Quartus scopus.

Quarta curationis ratio versatur circa symptomata febrem hanc comitantia. Quorum primum, quod maximum nobis negotium facessit est delirium, facultatis nempe principis symptoma, cum vigili sopore symptomatibus sensus communis. Num autem Delyrium hoc phrenitis sit ambigitur, quod phrenitidis signa sint. Delyrium perpetuum. Nimia loquacitas. Vanus manuum error, & gesticulatio. Lucis horror, & pulsus conuulsorij. Quorum nullum legitimum in proposito Aegrotante deprehenditur. Quibus tamen non obstantibus delirium hoc notham esse phrenitidem incipientem pro comperto habeo. Propterea quòd ætas iuuenilis, causæ prægressæ, & biliosi humoris prædominium cum perpetuis vigilijs contractam in cerebro feruidam intemperantiam (vnde phrenitis) cumulatissime indicant. Cæterum quoniam morbi incipientes suas notas integras exactasq; non exprimunt; haud quaquam mirandum est si phrenitis hæc, quæ heri vesperi duntaxat, die nimirum quinta a morbi primo insultu nō adhuc propria eius signa manifeste exhibeat. Præsertim cum phrenitis hæc sit notha, cuius causam omnes statuunt pituitosum humorem billioso confusum. Omitto nūc, quod cordis compatientis, & Diaphragmatis vitio phrenitis etiam ex Galeni sententia interdum excitetur; quemadmodum, & secundum Oribasium a sola pituita, sed acri quidem, & salsa. Licet vera legitimaque phrenitis non solum a cerebri, vel eius membranarum calida intemperie cum bilioso sanguine, sed non sine etiam phlegmone excitetur. Et quamuis pulsus in hoc Aegrotante non sint conuulsorij, insignem tamen duritiem explicant, quæ futuri motus in arteria conuulsorij præludium esse solet. Quod vero huic vigili delirio

Delyrium cum vigili sopore.

iun-

iunctus sit sopor mirandum non est, quoniam, vt bilis aut biliosi halytus cerebrum ferientes phrenitidem, & vigilias efficiunt, ita & humor quidam pituitosus ex spirituum resolutione ab aura venenata in cerebri substantia conceptus soporem illum parit: vnde apertis oculis vigilare nequit, sed oculis conniuet spe conciliandi somni, vigil tamen semper remanet, quem quidem affectum vigilem soporem propriè appellare licet.

Phrenitidis curatio.

Quapropter huic symptomati debellãdo omni accurata diligentia sine mora incumbendum. Auersionibus. Repellentibus. Conceptam in cerebro materiam digerentibus. Atque postremò eiusdem cerebri dyscrasiam corrigentibus. Auertunt autem venæ sectio, partium inferiorum frictiones, artuum ligaturæ dolorificæ, sycia ceruici admota, & clysmi molles; acriores enim clysteres iecur infirmant. Auertunt etiam mirifice vesicantia medicamenta, quæ duplicem hic vtilitatem afferre possunt: nempe vitiatos humores venenata aura defædatos foras euocare, & a cerebro reuellere. Quæ omnia suo ordine incunctanter sunt administranda, quod affectus hic ob iunctam quam habet perniciem non dat inducias. Igitur secta cubiti vena, vt iam statutum est cras tribus horis saltem ante cibum vt hirudines tres, vel quatuor hæmorrhoidibus applicentur, sanguisque ad vncias quatuor, vel quinque detrahatur magnopere suadeo. Etenim sanguis educetur melancholicus qui in Nobili hoc Aegrotante nõ parũ præualet: vnde, & materia venenoso spiritui subiecta a maioribus vasis deturbabitur. Simulq; a mẽbris nobilioribus, ac præsertim a capite nõ ignobilis auersio cõparabitur. De alijs autem reuulsorijs operibus satis paulò ante dictum est, vbi de prauis succis mortifera illa labe fœdatis, a corde ad partes infernas, & ad cutim auocãdis agebamus.

vesicantia

Repellentia.

Repellentia autẽ nunc simul administranda frigida adstringẽtiaq; sint, oportet. Vt Oxyrrhodinũ syncipiti, & frõti illitũ; actu quidem tepidũ; siquidẽ frigida actu cutis poros constipãdo vaporibus continuo exhalantibus viam præcluderẽt; Neq; hoc tempore omittenda sunt, quæ somnũ conciliant, & interna, & externa: quandoquidẽ assiduæ vigiliæ spiritus dissipant, inflãmationem augent, & phrenitidem; Et licet soporosus ille affectus quatenus ab humore frigido pendent frigida recusare videatur medicamẽta, qualia sunt quæ somnum concitant; ob id consilium non mutamus, nã vrgentiori semper magis incumbendum, altero tamen minime neglecto. Ergo ad conciliandũ somnũ preter crurium lauacra in calido cõclaui administranda corpore ab omnib. iniuriis bene præmunito.

Rec. Vnguenti Populei.
Olei Violati — an. vnc. sem.
Seminum Alterci albi.
Radicis mandragoræ — an. scr. 1.
Croci.
Opij. — an. gr. quinq.
misce.

Ex quo

Ex quo tempora nares, & pulsus, tum brachiorũ, tum etiam pedum illinantur, cum quo assidue etiam aquam rosaceam camphoratam olfaciat. Deinde statim exhibeatur Diacodionis recẽtis in rotulis vnc. sem Hoc.n.& vigiliis, & febri egregie medetur. Mirifice etiam somnum conciliat spuma, quę sero lactis vaccini ebulliente supernatat capiti deraso illita. Quibus peractis si adhuc vigiliæ persisterent, Philonii Romani scrupulus vnus, cum Conseruæ violarum scrupulis duobus a cibo detur. Alia autem præsidia delirio huic sedando apposita, digerentia nempe, & discutientia vitiosos succos cerebrum percellẽtes, vt catelli columbi, seu galli viuentes per dorsum incisi, & syncipiti iuxta commissuram coronalem approximandi, hic consulto omittuntur; quoniam non nisi phrenitidis vigore iam quiescente conueniunt. Quemadmodum, & intemperiem permutantia medicamenta in declinatione tantum adhibentur.

Duo alia huic succrescunt symptomata. Quorum primum, quod occurrit est linguæ insignis ariditas, nigredo, & scabricies. Quæ quidẽ in genere qualitatis mutatæ symptomata licet in aliis mente, & sensibus vigentibus insignem molestiamq; sitim promouere soleant; hic tamen non sitit, quia est mente commotus, torpidosq; sensus omnes habet. Nihilominus quoniam horum symptomatum vis caloris videlicet feruor oris linguæ palati, & faucium geminam ob causam febrem non modo fouere, sed etiam augere potest. Tum quatenus successione quadam partium asperæ arteriæ aliisq; partibus spiritualibus cõmunicatur; tum etiam vt inspiratum aerem iusto calidiorem reddit; his symptomatis eisdem remediis occurrendum erit quibus Hippoc. sexto de M.V. sec. 3. Com. 33. breuissima oratione vtendum consulit ad extinguendam febricitantium sitim ex humidi inopia, & caloris feruore pendentem. Hæc autem sunt oris, & vocalium instrumẽtorum quies, & ouium, necnon frigidæ potiones cum aere qui inspiratur frigido: hoc enim auxilio caloris feruor mitescit, attemperaturque illo verò deficiens humidum resarcitur. Quòd ad primum attinet, admoneantur assistentes, vt non admittant hominum frequentiam in proprio ægrotantis conclaui ad euitandam sermonum, & collocutionum occasionem. De altero autem auxilio cõsultissimum erit aerem ad frigidum alterare herbis refrigerantibus, gelidis aquis cũ aceti portione prostratis. De frigido potu sic statuendum. Singulis horis, bis vel saltem inuitetur ad abluendum os gargarismatibus actu, & potentia frigidis, vt Recipe aquæ hordei lib. 1. Syrupi rosacei vnc. 1. succi granatorum medij saporis vncias duas. Misce. Cum hoc Recipe Muccillaginis seminum psilij, Muccillaginis seminum Citoniorum an. vncias duas extractarum cum aqua rosacea. Succi citri vnciam vnam. Misce cuius portiuncula sensim sorbeatur. Rursus pilulę paruæ formentur ex tragacantha cum oui recentis crudi albo dissoluta, & seminibus cucumeris contritis. Quarum vna detineatur sub

Quartus scopus.

Linguæ aridæ incõmoda.

Sitis remedia.

lingua, & sensim dum liquescit deglutiatur. Lactucæ etiã, & oxalidis folia aqua frigida madefacta ore contineantur. Neque vnquam gelida pro abluẽdo ore illi denegetur. Vulgatissimum enim est veterum illud pręceptum. Caue ne exsiccentur fauces ęgri. In hũc etiam vsum efficacissimum est hoc conditum.

Auctoris cõditũ ad linguæ scabriciẽ, & sitim.

Rec. Seminum Citruli.
Seminum portulacæ viridis.
Seminum papaueris albi an. dr. 1.
Radicis dulcis.
Tragacanthæ an. dr. 1. & s. | misce.

Cum Muccagine seminum cytoniorum aqua rosacea extracta fiant Globuli in ore detinendi.

Inappetẽtia.

Alterũ symptoma proposito Aegrotanti infestissimum est nausea perpetua cũ cibi fastidio, & summa inappetẽtia Ἀνορεξία appellatur; abolita nẽpe actio oris ventriculi cuius munus proprium est appetere. Cuius quidẽ causam ex prauis succis spiritu illo maligno coinquinatis stomachũ replentibus, vnde eius suctio non fit; pendere haud quaquam dubitandũ. Inter alia.n. membra, ventriculus sane hosce vitiosos succos ocyssime suscepta. Qui non solũ copia lædũt, sed praua venenataq; qualitate visceris huius vires emortuas reddunt. Vnde colligitur symptomatis huius curandi rationẽ positam esse in iis auxilijs, quæ hosce prauos humores, vel deponere, vel auertere, aut frenare, seu extinguere valeant. Deponuntur autem, vel purganti pharmaco, quod hic ex vsu non est propter rationes antea adductas; vel clystere aliquantulũ acriore, cuius quidem vsum non damnarem. Vomitu etiam interdum educantur: sed cum iuuenis hic (vt ex assistẽtium ore iam iam accepi) difficile admodum euomat, vomitoria illi imperare non auderẽ. Propterea consultius fuerit auersionẽ tentare per frictiones totius ventris lynteis asperioribus donec partes notabilem ruborẽ præseferant. Dein illinãtur, vel mirabili illo Matthioli Oleo. Quod supra, pulsibus admotum in febris feruore suspectũ non nil iudicauimus, vel rosaceo cum modico Oleo Absynthij, & Vino. Sed ad corrigendos, aut extinguendos huiusmodi perniciosos succos magnopere probamus Apozemata acida, & frigida, vt agrestę succus, aut oxalidis cũ saccharo, & aqua portulacę: succus limonũ cum saccharo, nec nõ granatorũ non dulcium succus. Quod autem in hunc vsum remediũ mihi maxime probatur describere hic placet, est autem huiusmodi:

Auctoris Apozema ad stomachi fastidia.

Rec. Aquarum plantaginis.
Portulacæ. Scorzoneræ.
Rosarum an. vnc. 1. & s.
Succi Limonum vnc. 1. & s.
Succi Granatorum non dulcium vnc. 2.
Syrupi de Acetositate Citri vnc. 1.
Aceti Rosati vnc. s. | misce.

Quò

Quo quidē Apozemate mica panis nonnihil tosta insuccata ex interuallis quibusdā detur deuorāda: præsertim cum nausea hęc, & stomaci anxietas increscens cardialgiā quandam ęmulari videtur. In eundē finem cōfectio ex santalis, aut aliud ex his, quę frigida sunt alexipharmaca vtiliter offerri poterit. Quemadmodū, & medius scr. Philonij Romani cum saccharo rosaceo, quoties affectus magnopere vrgeat.

De quinto postremoq; scopo ad vires conseruandas spectante, qui tamen in opere primus esse debet sic determinandū: pręter ea quę de victus ratione antea per capita tantū percurrebamus hic repetēdum, quod cum febris hęc malignitate sua vires affatim resoluat, intentio est has nō sensim sed cōfertim instaurare: & propterea offerēda sunt edulia boni, & multi succi, concoctu facilia, & velocis penetrationis: qualia sunt humida, nam facilius alterantur concoquuntur, & distribuuntur. Propterea quicunq; celerrima indigent adiectione iis humidū alimentum ad recuperandas vires optimum est. Inde illud Hip. 2. Aph. 11. Potu refici quam cibo facilius est. Hęc autem sunt iuscula refocillantia, in quibus carnes optimę contabuerint, sorbitiones ex carnibus compressis sub torculari, aut ex electis carnibus cōtusis in quorum vsu vim sibi ipsi inferat oportet. Non dissimilem refocillationis virtutem habēt oua sorbilia, & testes pullorum gallinaceorum. Atq; præ cæteris commendantur ab Hipp. primo de Rat. Victus 18. edulia, quæ alimenta sint simul, & medicamenta, vt quę nutriunt, & refrigerant. Huc pertinet noster hic liquor stillatitius.

Quintus scopus.

Rec.
- Decocti caponis elixati cum acetosa lactuca, & lupulo lib. 1.
- Aquæ cichorei, endiuiæ, buglossæ scorzeneræ an. vnc. 4.
- Seminū quatuor frigidorū maiorum cōtusorum an. vnc. 1. s.
- Conseruæ rosarum, borraginis buglossæ nenufaris an. vnc. 2.
- Corticis citri conditi vnc. 1.
- Specierum diatriasantali, diarrhodon, diamarg. frig. an. dr. 2.

Stylaticiū vires mirifice reficiens.

Cum carnibus purioribus tritis duorum caponum extillentur in duplici vase, cuius vnciæ duæ, cū drachmis duabus syrupi de corticibus citri singulis tribus, vel quatuor horis propinentur. Tot dicenda occurrebant in tam graui, præcipiti, & fallacissimo præter naturam affectu; faxit Deus immortalis, vt prospera contingant.

De Abdominis tumore præter naturam pro D. Viperesco de Vipereschis Nobili Romano, Consultatio XLVIII.

Morbus de quo in præsenti Consultatione agendū, tumor est pręter naturam in Abdomine paulo supra vmbilicum a dextra parte in sinistram versus lienem extuberans, durus, indolensq; licet vehementer pressus dolorem aliquem in subiectis partibus excitare videatur; quem quidem affectum siue tumorē siue apostema, aut abscessum, vel exituram appellemus nihil refert; licet abscessus seu exitura

Affectus.

tumorem ad ſuppurationem tendentem potius ſignificet.

Cæterum cum apoſtematis,qui tumor eſt præter naturam,in quo materia aliqua replens,& diſtendens aggregata eſt, plures ſint differẽtiæ,eas tantum in præſenti complectar,quæ ad morbi huius in intemperie,conformatione,& ſoluta continuitate cognitionem,& curationem maxime pertinere videntur. Hæc autẽ ſane quatuor ſunt:a quãtitate nimirum,tempore,ſitu,& cauſa. Quod ad quantitatem ſpectat tumor hic profectò magnus eſt; molem enim muliebris mammę ferè æmulatur. Tempus autem,morbi nempe augumentum ex relatis ab Aegrotante intelligitur: inquit.n.tumorem hunc magis magiſq; in dies augeſcere. Qui ab hinc Menſe vno plus minuſue deprehenditur. At verò de ſitu ſic ſtatuendum puto, cum tumor hic abdominis cutim non exerceat,vt ſenſu cognoſcitur;neque altius ſit reconditus, vt non ſolum ex coniecturis pluribus, verumetiam tactu ipſo aſſequimur;citra omnem controuerſiam concludendum apoſtema hoc eas obſidere partes,quæ inter peritoneum,& cutim ſitæ ſunt; muſculorũ abdominis cauitates, tendines, & partes circumſitas intelligo. Porrò autem tumoris huius cauſam frigidam eſſe materiam, non equidem tenuem pituitam; ab hac enim ædema ſecundum græcos,ſeu tumor laxus apud latinos, & vndimia apud Principem producitur; ſed craſſam,& lentam pituitam cui,& humor melancholicus etiam confunditur tam notum eſt,quã quod notiſsimum. Nam præterquamquod ętas inclinans,temperamentum ad melancholicum vergens,autumnalis conſtitutio,& cauſæ prægreſſæ horum duorum frigidorum humorum prædominium declarant;tumoris durities ſine dolore nõ tamen ſine ſenſu,& partium circunſtantiũ albus color cum liuore quodam materiæ huius pituitoſæ nempe, & melancholicæ firmum præſtant argumentum. Quare ſcyrrhum illegitimum,& incipientem tumorem hunc iure optimo appellauimus. Qui ab Auicenna ſephiros nuncupari ſolet. Omnibus.n.compertum eſt ſcyrrhum,vel ab humore pituitoſo craſſo,vel ab humore melancholico,ſeu ab vtriſq; ſimul commixtis humoribus exoriri.

Apoſtematis differentiæ.

Scyrrhi cauſa materialis.

At quoniam tumorum omnium præter naturam cauſam efficientem duplicem agnoſcimus,ſcilicet congeſtionem,& deſtillationem ſeu fluxionem;ab hacque calidi potius tumores:ab illa verò frigidi ſuboriantur; in congeſtionem libentius, quam in fluxionem huius cauſam reiicio. Quæ quidem congeſtio alteratricis, & altricis facultatis errorem, nec non expultricis imbecillitatem affectarum partium conſequitur, ob aliquam harum partium intemperiem, vel ametriam. Congeſtionis etiam non leue eſt argumentum illud, quod tumor hic non affatim, ſed ſenſim,& pigre admodum, ac ſine dolore aliquo manifeſto progreditur. Non nego tamen quin pituitoſus aliquis humor à capite per venas in hanc partem præcipitatus huic tumori materiam præſtare poſsit. Humor enim pituitoſus

Tumorũ omniũ cauſa efficiẽs gemina.

natu-

naturalis ſanguini commixtus quādo è venis, aut arteriis in corpore, vel extra corpus effunditur, ſtatim concreſcit: quod pituitæ excremētitiæ, & non naturali minime accidit. Porrò de modo tumorum prę- ter naturam generandorum per congeſtionem, & humorum affluxum plura conſcripſit Gal. Lib. 13. Metho. Med. & Lib. 2. ad Glauc. Nec non de inæquali intemperie, & Lib. de Tumoribus præter naturam. Illud autem hoc in caſu, idque inſolentiſſimum minime ſilendum puto; quod ad præſentis affectus originem primam indagandā pertinet. Refert enim ægrotans hic quod cum multis antea annis inter dormiendum copioſe admodum ſudare conſueuiſſet circa abdominis partes, repreſſo nonullis abhinc diebus conſueto hoc ſudore, tumor ea in parte erumpere incæpit. Hinc colligere licet, quod excrementa, quæ hac in parte congerebantur, antea per ſudorem digeſta nullum incommodum afferebant: nunc autem, vel ob frigiditatem quandam illis partibus comparatam meatus dēſantem, vel ob expultricis facultatem imbecilliorem redditam cumulata illic excrementa, tumori huic materiam ſubminiſtrant; ita vt potiſſima nunc curationis ratio (vt mox dicemus) poſita eſſe videatur in ſudoribus mouēdis. Ecce igitur quanti momenti ſit in curandis præter naturam affectib. nouiſſe primam morbi cauſam, ſeu primam occaſionem vnde quis ægrotare cæperit, vt monet etiam Hipp. Lib. 2. de M.V. ſec. 4. in fine. Et ſexto eiuſdem operis ſectione 3. Com. 34. De cauſis verò externis ſatis fuerit intellexiſſe Nobilem hunc Virum perpetuò delinquere in victus ratione, & præſertim in cibo, & potu, quibus ſine vllo delectu vtitur.

Origo morbi vnde.

Cauſę externę.

Quid autem de morbi huius euentu, tempore, & progreſſu præſentiendum, paucis exponam. Morbus hic cum nec magnus ſit, nec prauam cauſam habeat, nec grauia ſymptomata; minime læthalis eſt cenſendus. Verumenimuerò ætas inclinans, Autumnalis conſtitutio, & materialis cauſa, humor nempe craſſus, partibuſque tenaciter impactus, qui non niſi temporis diuturnitate extenuari diſcutiq. poteſt, longam difficilemque fore curationem pręnunciant. Sanationis modus, qui deſideratur, & expectatur per reſolutionem (vt arbitror) erit. Niſi febris ſuperueniat. Quandoquidem non eſt vſque adeo inueteratus tumor durus, & contumax, quin continentis eius cauſæ extenuatio, & per halytum digeſtio ſperari poſſit. Quattuor enim modis tumores præter naturam finiri ſolent. Reſolutione, quę maxime omnium expetitur. Suppuratione. Induratione. Et partis corruptione, omnium peſſimus fallaciſſimuſque. Quib. hunc in modum conſtitutis, ad curationem accedo, quę nec negligi, nec diſtrahi debet, alioqui magnopere timendum eſſet, ne lenta pituita, quæ humori melancholico confuſa ſcyrrhum promouebat, temporis diuturnitate conſumpta, melancholiaque ſola ſuperſtita, ſicque tandem acerbius excandeſcente, formidādum incurabilemque cancrum efficeret.

Pręſagia.

Quot modis tumores diſſoluantur.

Scyrri curatio.

Curandi scopus duplex.

ficeret. Quocirca duplex curandi scopus erit, vt lib. secundo ad Glau. Gal. annotauit. Alter, vt humoris pituitosi, & melancholici qui partem iam occupant, omni studio exinaniantur: alter, vt fluxio (si quæ sit) cogatur restringaturq. ea tamen cautione, vt digerentia seu discutientia, ac exiccantia restringentibus in mixtione longe præpolleant, quòd plus hic vacuandum, quam repellendum sit, tum quoniã vix fluxio effatu digna annotatur, tum quia tumor iam a principio satis distat. Sed quoniam de vniuerso corpore prouidentia in primis haberi debet, quæ in purgatione humoris, tum melancholici, tum pituitosi tota pene collocata est; sine mora ante cætera studendum erit Nobilem hunc Aegrotantem non semel tantum, sed bis terque hoc Mense expurgare, cum medullæ cassiæ primum vncia vna, & confectionis Amech drachmis tribus, præparatis prius nonnihil humorib. oxymellite simplici, melle rosaceo cum syrupo de pomis, aut de succo borraginis, additis stillatitijs aquis, aut decoctionibus eiusdem ordinis. Ab hac prima purgatione cessabit ab omni medicamento tribus, vel quatuor diebus. Deinde iterum præparabuntur melancholici pituitosique humores hunc in modum.

Rec. Syrupi de Betonica.
Oxymellitis simplicis.
Syrupi de lupulis an. vnc. med.
Decoctionis Betonicę
Stæchados, lupulorum.
Fumiterræ, Borraginis. vnc. 6. | misce.

A septimo syrupo phlegmagogis, & melanogogis pharmacis noxij humores vtriusque sortis hunc in modum purgentur.

Rec. Diacatholiconis dr. 6.
Agarici Trociscati dr. 1.
Confectionis Amech. dr. 2. } misce.

Dissoluantur cum decoctione Borraginis, Melissæ, lupulorum fumiterræ, & folliculorum senæ, & fiat potus in Aurora dandus.

Ab hac secunda purgatione pro roborandis visceribus capiat duabus horis ante prandium septem diebus continuis vnciam mediam huius conditi.

Rec. Conseruæ rosarum
Conseruæ anthos.
Conseruæ florum borraginis an. vnc. 1.
Specierum diamargariton
Specierum aromatici rosati an. scr. 2.
Confectionis alchermes dr. med. | misce.
Syrupi de pomis q. s. fiat Electuarium.

Dein tribus interpositis dieb. iterum capiat vnc. 5. syrupi de polypodio dissoluti cum decoctione cordiali, in qua præbullierint Myrobalanorum indarum, & chebularum singularum dr. 3. Quibus vna cum topicis

picis præſcribendis medicamentis, ſi tumor aliqua ex parte non ceſſerit, confugiendum erit ad Ius Galli in hunc modum parandum.

Rec. Quatuor florum cordialium
Lupulorum, fumiterræ.
Betonicæ, Iuæ an. pug. 1.
Ligni guaiaci torniti vnc. 1. miſce.
Radicis Saſſafras dr. 2.
Seminum Citri vnc. 2.
Aniſorum, fæniculorum an. dr. 2.

Omnia ponantur in ventre Galli binuli ſecundum artem præparati, & elixetur in ſufficienti quantitate aquæ communis donec carnes ab oſſibus ſeparentur. Et cum ius refrixerit, coletur, atque percolati purioris vnciæ ſex propinentur horis quinque ante prandiū. Quo ſumpto omni Arte ſudor, ſine tamen violentia procuretur. Quo quidem decocto quindecim ſaltem diebus continuis erit illi vtendum. Mirifice enim valet, & ad diſcutienda totius corporis excrementa quæ tumoris cauſam continentem fouent augentque, & etiam ad eandem cauſam coniunctam diſſipandam: ita vt prophilacticum ſimul, & curatiuum ſit auxilium. Interim etiam ex eiuſdem galli iuris craſſioris fæculentioriſque lib. vna cum Olei chamęmelini vncijs quatuor, & Mellis roridi vncijs tribus, ac vitello oui clyſter tertiò quoque die infunditur ſine ſale ad repurganda primæ regionis recrementa, ſimulque ad moliendam auerſionem. Supereſt autem, vt ad topica remedia veniam, quę ſi pituitoſum reſpiciamus humorem, calida, & ſicca ex vſu eſſent; at ſi atrum iunctum humorem, ſiccum nempe ſpectemus, humidis eſſet agendum. Quare eligantur (oportet) tepido calore, cum mediocri humore prædita; hoc eſt quæ emolliendo ſenſim digerant. Quod ſi humoris impacti pertinacia, ſiccantium, & vehementius incidentium, diſcutientiumque vſum medenti perſuadeat; hæc non niſi moderate, hoc eſt non ſæpe nec longiori tempore; & opportune, id eſt non primis diebus, atque interpoſito remollientium vſu. Igitur pro fotu parti affectæ adhibendo huiuſmodi decoctum ſaluberrimum erit. Videlicet *Topica.*

Rec. Florum chamęmeli.
Meliloti.
Anethi.
Abſinthij.
Roſarum rubearum an. m. 1. miſce.
Seminum lini.
Fænugræci.
Origani an. vnc. med.
Radicum altheæ vnc. 4.

Bulliant inſimul in ſufficienti quantitate aquæ cœleſtis, deinde decocto huic adde quartam partem lixiuij communis cum aceto modico.

dico. A fotu inungatur locus tumoris hoc linimento. Quod Recipit Olei Amygdalini dulcis, Olei rosati completi, Olei liliorum singulorum vnciam mediam, adipisque gallinacei vnciam vnam, Cimini puluerati drachmam vnam, Aluminis rochæ drach. med. cum aceti modico, & cerę quantum sat sit, fiat linimentum, vel Recipe corticis radicis Altheæ vncias duas, contundatur, anserinoque adipe liquata, & cum eo contusa in cataplasmatis formam redigatur, scyrrhosæq. parti applicetur. Medicamentum hoc, & Galeni 14. Meth. testimonio & quotidiano vsu mirifice huic affectui conducere compertum est. Quibus vsurpatis auxilijs tumore non cedente.

Rec. { Ammoniaci. Galbani. Bdellij } an. partes æquales.

Terantur in mortario cum Oleo liliorum. Deinde adde muccillaginum fœnugræci, seminis lini, & ficuum ad pondus omnium prædictorum terantur omnia simul donec in vnum coeant, & fiat cataplasma. Hoc autem medicamentum ad scyrrhos emolliendos, & discutiendos omnium sane efficacissimum est. Quod si tumor hic ad abscessum, quem exituram vocant properaret, cuius permutationis signa a dolore, & febre superueniente desumuntur, vt adnotauit Hipp. Lib. secundo Aph. 47. tunc suppurantibus esset agendum. Sed vix adduci possum, vt credam permutationem hanc successurã, ob tumoris duritiem, & materię crassitudinem tenacitatemque.

De Chirurgico opere De Chirurgicis auxilijs, pauca nunc habeo proponenda: etenim ętas nec corporis habitus cacochimia potius quam plenitudine labotans, nec morbus, nec morbi causa sanguinis missionem expostulãt. Nisi quod sanguinis per hæmorrhoides exigua copia admotis hyrudinibus detractio summopere eatenus mihi arrideret, quatenus vna cum sanguinis melancholici exinanitione aliqua, auersio quoq; succederet. Quemadmodum, & vlcus in altero brachio inustum, a capite deriuationis, & a partibus scyrrhosis auersionis gratia, magnopere profuturum non dubito.

Victus rõ. Quæ autem ad victus rationem spectant consultò prætermittam, quod certo sciam hęc, & omnia alia peritissimo Medico huius Nobilissimi Aegrotantis curam gerenti notissima esse. Illud tamen non reticebo, oportere victus rationem hanc ad calidum quidem inclinare, verum ad siccum moderate satis. Sitque non solom tenuis, sed etiam extenuans. Quapropter vitæ luxum, omnemque ingluuiem, & cruditatem pro viribus deuitet. Quę omnia faxit Deus, vt optatam Nobilissimo huic Viro salutem pręstent.

De Tumore laxo in humero sinistro pro D. Onofrio Vellio, Consultatio XLVIIII.

TVmoris, de quo nunc agimus causam proximam continentemque serosum aqueumque humorem esse, multa sunt argumēta, quæ cumulatissime indicant. Ac primò tumor laxus, mollis, & indolens, licet punctorum interdum dolorem afferat, ob biliosi humoris commixtionem. Colorem cutis subalbidum exprimit. Cutis pressa vestigium non retinet, sed statim assurgit. Tumor etiam è luminis regione satis pellucet. His accedit, quòd humor impulsus in proximas partes subito resilit reuertiturque. Si tumoris huius quantitatem spectemus, profecto exiguus non est; maioris enim anserini oui molem æmulatur. Si tempus, adhuc in augumento est, licet viginti abhinc diebus erumpere cæperit. Quod ad situm attinet non alte, sed in extima humeri parte, nempe inter musculos, & cutim residet. Quod autem a nonnullis peritissimis Medicis tumorem hunc tractantibus circunferri audio causam reijciendam esse in meatus vrinarios obstructos serosos humores ex naturæ præscripto non admittentes, qui postea regurgitantes materiam huic tumori suppeditent; mihi valde dubium est; propterea quòd pro comperto habeo Nobilem Iuuenem hunc Aegrotantē diu noctuque largam vrinæ copiam libere, & absque vllo impedimēto emittere. Ita vt aquosi humoris huius in parte laborāte collecti causam potius referendam putem in prauam, quam assidue seruat victus rationem. Etenim esculentis, poculentisq; frigidis, & humidis absq; vllo delectu vtitur. Vt olera, legumina, fructus, ijsque cuiusque generis crudi. At præ cęteris frequentem aquę gelidę potum summopere amat. *Aquosi tumoris nota.* *Causa procatartica.*

De morbi huius futuro euentu in ea sum sententia, quòd facili negotio superabitur, tum quoniam tumoris causa proxima serosa quædam est humiditas tenuis facileque dissolubilis, neque membrum aliquod nobile occupat, tum quia res agitur cum Iuuene carnoso optimo habitu prædito, atque robusto valde. Quæ quidem, & morbi, & patientis conditiones (quòd ad tempus attinet) aperte etiam suadent morbum fore breuem, licet hyems, quæ iam properat morbos protrahat. Curationis consilium ad duos præcipuos scopos dirigitur; primò enim studendum est, vt serosi humoris generatio inhibeatur, victus nimirum ratione calfaciente attenuante, atque dessiccante; deinde continens proximaque tumoris materia digerēda discutiendaque venit. Repellentibus tamen interim non neglectis. Cæterum quoniam corpore non purgato omnia administranda præsidia vtique inania essent, præ cæteris magnopere probo, vt lenita aluo primum melle rosaceo solutiuo præscribantur syrupi frigidos pituitososque humores respicientes, qualis est ex Melle rosaceo, syrupo de betonica, *Præsagia.* *Methodus Medendi.* *Purgatio.*

nica,& oxymellite cum aquis ſtyllaticijs, vel decoctionibus earũdem viriũ. A tertiò ſyrupo ſecetur illi vena baſilica brachij dextri, ſanguiniſque octo vnciæ detrahantur, quòd Iuuenis hic plethora etiam vna cum aquoſa cacochymia laboret. A quinto ſyrupo, vel etiam ſeptimo purgetur corpus pilulis de hyera Pachij a Scribonio hoc in caſu vſque adeo celebratis. Deinde ex Gal. præcepto Lib. ſecundo ad Glauconem cap. vltimo, & Alexandri Tralliani Lib. 9. cap. 2. ea propinentur medicamenta, quæ vrinam ſudoremque ciere valent: interpoſito interdum Hydragogicorum vſu, eo ſane cõſilio, vt ſi congrua etiam ſeruata victus ratione ſeroſi cumulentur humores, ita exinaniantur, vt nullam tumori materiam ſubſternere poſſint. Cum his etiam atq; etiam hortor, vt repellentia aliqua parti admoueantur, vt non ſolum in hoc morbi augumento fluentem, fluxuramque materiam neutiquam admittant, verum etiam, vt nuper fluxam, & nondum è venis effuſam, per eaſdẽ vias per quas fluit, remeare retrocedereque faciãt; ita vt repellentia laboranti parti admota hanc ob cauſam & profilactica, & curatiua dici iure optimo poſſint. In hunc vſum maxime commendatur fotus frequentatus cum ſpongia poſca inſuccata; quibus peractis præſidijs, ad digerentia ſeu diſcutientia, & veſicantia confugiendum. Quorum maxime probata ſunt: fotus pariter cum ſpongia, lixiuio cum alumine, ſale, & nitro madefacta, & expreſſa; qui quidem fotus ſæpius ſunt repetendi. Ad idem maxime valet Cataplaſma ſeu emplaſtrum ex cochleis cum teſta optime tritis, & contuſis parti affectæ impoſitum. Quod quidem magnopere celebratur a Galeno Lib. 11. de ſimp. Medic. fac. cap. de Cochleis. Quibus omnibus maxime præſtat emplaſtrum illud, quod Auicenna Galeno adſcribit in Lib. de Comp. Med. in quo tamen opere nuſquam reperire potui: eſt autem huiuſmodi.

Venæ ſectio.

Repellentia.

Digerẽtia.

Rec. Ariſtolochiæ rotundæ.
Ammoniaci.
Bdelij.
Seminum ſynapis.
Sulphuris ignem non experti.
Salis.
Seminũm vrticæ an dr. 2.
} miſce.

Medicamentũ efficaciter digerens.

Olei antiqui, & ceræ quantum ſat ſit, & fiat cataplaſma.

Quod laboranti parti admoueatur. Verumenimuerò ſi tumor ob materiæ contumacis reſiſtentiam hiſce præſidijs non imminuatur; ferramento tandem igne candenti locus aperiatur in parte tumoris procliuiori, vnde materia facilius exire poſsit: qua educta, reliqua ad aliorum ſordidorum conſimilis naturæ vlcerum curationem ſpectãtia ſine mora adminiſtrentur, oportet. Quibus remedijs rite adminiſtratis, ad diſſipandas prauorum ſuccorum, & in toto, & priuatim in ſede affecta, ſimulque ad ſuperandam prauam quandam in corporis habi-

Tumore non cedente quid agendum.

habitu qualitatem, ligni guaiaci, & Salsæ Pariliæ decoctum quadraginta saltem diebus de more datum magnopere profuturum nō diffido; præsertim si huic tam generoso medicamento par victus ratio constanter obseruāda iugiter præscribatur. Hæc sunt, quæ ex tempore dicenda nunc mihi occurrerunt pro Nobilissimi Iuuenis Romani valetudine reparanda retinendaque. Quam Deus immortalis illi concedere non dedignetur.

De Nephritico dolore pro D. Cæsare de Molara Nobili Romano. Consultatio L.

TRistem sensum, quem Nobilis hicce Vir nonnullis ab hinc diebus in regione renis sinistri percipit, nephriticum affectum esse complura persuadent argumenta. Dolor fixus in fine lumborum sinistri lateris paruo loco circunscriptus, grauis, hoc est cum ponderis cuiusdam sensu, grauis etiam, id est acerbus, quando calculus a quo pendet, dimouetur, Renis enim substantia, vel cauitate exceptus, ibique quiescens oneris cuiusdam sensum præbet: vbi verò, vel in vreteris caput se infert, vel inde in renis cauitatem retrocedit, partes subiectas lacerando; præsertim si inæqualis fuerit acerbum, punctoriumque dolorem infert. Vomitus etiam pituitosus persępe huic proposito Aegrotanti excitatur propter renum cum ventriculo mediante peritoneo consensum: Commoto enim ventriculo humor pituitosus euomitur, quòd talis in ventriculo frequentius contineatur. Cur autem nudius tertius bilem amaram, & etiam æruginosam euomuerit a doctissimis Viris qui ante me dixerunt vertitur in dubium. Cuius tamen euentus causam assignare non est difficile: Quandoquidem dolores fere continui, vigiliæ, inedia, & febris illa iuncta humores exacuunt, feruidosque reddunt, vnde commota bilis atque in ventriculum præcipitata huiusmodi vomitum promouere potuit. Præterea ab ingesto cibo vberiore dolor hic exasperatur; a vomitu autem, vel etiam a ventris deiectione illico mitescit. Quòd ab ingestis cibis, & a contentis in intestinis fæcibus veluti a sarcina quadam premente venter liberetur. Proinde, & æger ab accessione illa releuatur quidem, sed ab affectu non prorsus liberatur, quin etiam paulo post redire possit. Quod verò Vir Excellens, qui primo loco dicebat calculi suspicionem excludere ex eo videatur, quoniam nec fæmur è regione dolentis lateris torpore afficiatur, nec testes compatiantur, quæ duo signa in nephriticis obseruari solent ob renum cum cruribus, & testibus, consensum per vasa quæ dorso incumbunt, magna nimirum arteria, & vena caua, iudicium nostrum nullatenus suspēdit: propterea quòd duo isthæc signa, lythiasis renum non sunt pathognomonica, sed assidentia tantum, prout calculus maiori, minoriue mole partes subiectas

Nephritici doloris signa.

Cur nephritici æruginosa euomant.

Dubitatio

Fæmoris stupor nephriticum dolorē nō semper cōsequitur.

ctas plus minusue premit: ita vt de affectu præsenti haud quaquam dubitandum sit.

Calculi renũ causa. Conueniunt omnes calculi causam geminam esse: alteram materialem, humorem nempe crassum frigidum, & lentum, alteram verò efficientem feruidum scilicet hepatis, & renum calorem, sed longus vsus in Medicina facienda me docuit crassam viscidamque pituitam sponte etiam crassescere, & in renibus, ac vesica sub calore, vel etiam tepido in calculum abire; atque eo maxime in corpore a naturæ primordijs arenosam seu lapidosam constitutionem quandam retinente. Quod quidem in præsenti Aegrotante luce clatius agnoscimus: quippequi ætatis est iam inclinantis in qua viscerum omnium calor mitescit; nec signum vllum præbet calidi impense temperamenti hepatis, aut renum: habuit quidem parentes nephriticos. *Quæ sit lapidosa constitutio.* Lapidosam autem, seu arenosam constitutionem appello ego angustiam quandam a natura contractam in renum meatibus cum earundem partium imbecilla virtute expultrice. De causis affectus huius euidentibus, satis fuerit intellexisse ægrotantem hunc congruam victus rationem minime obseruare: vnde cruditates non paucæ suboriuntur lapidi materiam subministrantes. *Presagia.* Quid autem de morbi huius euentu sperandum paucis attingam. Quoniam calculus hic magnæ molis indicia non præbet, nec quoque pigrum reddit corpus, nec spinæ dorsi incommodat, quòd libere inflectatur; cum etiam coniecturis assequamur, neque salebrosum, neque asperum esse; quòd dum dimouetur prosilitque acutissimum illum dolorem non inferat, licet nunc locus magis doleat, quam eo quiescente; spero fore, vt Dei Optimi Max. auxilio, & præscribendorum medicamentorum opera calculus hic, & comminui, & in vesicam detrudi, indeque vrinæ impetu excerni possit: præsertim cum alias a consimilis naturæ affectibus euaserit.

Curationis ratio. Curationis scopi duo sunt: videlicet vt calculi huius augumentum inhibeatur, & iam concretus dissoluatur atque foras extrahatur, qui quidem scopi duo ad morbi in via causam proximam, & continẽtem debellandam pertinent, dolori autem veluti symptomati maxime vrgenti, interim dum causæ incumbimus, anodyna medicamenta accommodari debent. *Scopi curatiui.* Primus scopus quatuor opera desiderare videtur. Victus rationem in primis congruam modice quidem tenuem, & extenuantem, sed non immodice calfacientem siccantemque ita vt mediocritas hic sit seruanda. *Opera scopis obtinẽdis opportuna.* Tria immediate subsequentia opera erunt. Redundantium in corpore humorum purgatio; vomitus prouocatio, atque recrementorum ad intestina per clysteres frequens detractio. Præscripta igitur victus ratione idonea, quamprimum lenita aluo, cum Mellis rosacei vncijs quatuor, & Diaphẹniconis drachmis tribus in aqua Violarum dissolutis, sanguis omnino detrahatur pro virium robore, vt medicamenta, & purgantia, & vrinam mouentia

suo

suo tempore data expeditius in vasa nonnihil inanita se insinuent inferatque. Cæterum quæ nam vena sit secanda controuersum fuit apud veteres: Aetius enim, atque Aetij sectatores in nephritico affectu cubiti venam secandam iubent, vbi tamen sanguis abundet. Hipp. autē, & Galenus sexto de Morbis Vulgaribus sectione prima Com. sexto, poplitis venam siue ad malleolum incidendam imperant, in sanguinis etiam crassioris abundantia. Quod quidem Hippocratis, & Gal. consilium mihi magis arridet. Etenim secta vena, vel poplitis, vel malleoli, euacuatio, reuulsio, & a partibus affectis deriuatio simul habentur. Sanguinem enim multum, & crassum e venis sursum reuellere promptu non est, sed magis expeditum per inferiores partes euacuare. Quo circa, vt quamprimum huic vena quæ ad malleolum est tundatur e directo lateris compatientis indeque sanguinis vnciæ octo saltem detrahantur magnopere hortor. Deinde apparentur pituitosi atque aliqua ex parte melancholici humores syrupo de betonica, oxymellite, & syrupo de succo Acetosæ cum aquis, vel decoctionibus consimilis naturæ. Qui apparati humores purgentur, cum syr. de Polipodio vncijs quatuor, & drachmis tribus Diafœniconis. Cum his singulis diebus inijciatur clyster hunc modum paratus.

Mittendi sanguinis ratio.
Quæ nam vena sit secanda.
Humores pparātia medicamenta.
Purgātia.

Rec.
Decoctionis Aristolochiæ.
Maluarum, Altheæ.
Fœnugreci, seminum lini.
Chamęmeli, Mercurialis
Caricarum, & furfurum vnc. 9.
Olei Anethini, Olei Amygdalini dulcis an. vnc. 2.
Butyri recentis. vnc. 1.
Cum sale, & ouo fiat Clyster.

Clyster.

Hic notandum est clysteres minori admodum copia quam in alijs affectibus esse præscribendos ne copia intestina distendendo circunuicinas partes affectas premant doloremque exasperent. Quæ quidem dum peraguntur; si vomitus interdum a cibo citra violentiam promoueatur optimum erit præsidium, tùm ad infrenandum dolorem, tum etiam ad euocandas cruditates, quominus in renes promoueantur. Interim si quando dolor exacerbabitur præscriptus iam Clysmus cum Terebinthinæ vncia vna cum dimidia inijciatur, dolori mirifice occursum fuerit. Non prætermissis etiam fotibus, illitionibus cataplasmatibus insessibus, & alijs anodynis medicamentis, quæ etiam deturbando calculo conueniunt. Tandem, vt calculo excludendo incumbamus, medicamenta diligenda sunt, quæ meatus laxēt aperiant dilatentq; renes emolliant, simulq; calculum comminuāt, atq; dissoluant. Quorum duo sunt genera, alia enim extrinsecus admouentur, alia vero sumuntur. Primi generis sunt.

Vomitus excitādus.
Medicamenta excludendo calculo opportuna.

Rec.

Rec. Olei anethini.
Olei amygdalini dulcis.
Linim. ad renes. Olei ſcorpionum an. vnc. 1.
Butyri recentis.
Adipis anſerini an. vnc. med.
Croci ſcr. 1.
Aceti parum.
Ceræ quantum ſat ſit, & fiat linimentum.
} miſce.

Quo regio renis compatientis illinatur ſtatim à fomento nunc præſcribendo.

Rec. Florum chamęmeli.
Meliloti.
Anethi.
Fænugræci.
Seminum lini
Ariſtolochiæ rotundæ.
Maluarum.
Altheæ an. man. 1.
} miſce.

Et bulliant ſecundum artem in hydrelæo pro fotu cum ſpongia laboranti parti adhibendo.

Ad idem maxime conducit huiuſmodi Cataplaſma.

Rec. Farinæ tritici.
Farinæ ſeminum lini.
Emplaſtr. Farinæ fænugræci an. m. 1.
Olei anethini.
Olei amygdalini dulcis
Olei ſcorpionum an. vnc. 1.
Mellis vnc. 2.
Terebinthinæ vnc. 1.
Corticis radicis Altheæ contuſæ vnc. 1.
Croci ſcr. 1.
Miſce, & fiat Cataplaſma.

Cum quibus etiam affectu non cedente, inſeſſus, & balnea ex præſcripto decocto in hydrelæo parato adminiſtrentur. Ex his quæ ſumuntur non poſſum niſi magnopere comprobare potionem ex Olei Amygdalarum dulcium, & amararum recenter expreſſi vnciis octo, cum vncijs quatuor decoctionis maluarum altheæ, radicis dulcis, & cicerum rubrorum. Potio enim hæc vrinarios meatus lenit, & aperit, renum ſubſtantiam emollit, eatenuſque calculum deturbat, quatenus vrinam cum impetu mouet. Bolus etiam ex Terebinthinæ vncia media cum puluere liquiritię paratus atque horis quatuor ſaltem ante cibum datus idem præſtat. Quo tempore cucurbitulę interdum affigendæ ſunt ſine inciſione, incipiendo ſurſum a renibus atque per obliquam earum partium, quas ilia appellant, poſitionem ad inguina

Auct. potio maxime probata.

Cucurbitulę affigendę.

Obſeruat.

na procedendo,qua quidem calculi,& arenulæ in vesicam prolabuntur; vbi tamen aduertendum est dolore infestante, aut inflammatione renes occupante a cucurbitulis abstinendum. Vt ad remedia calculo excludendo destinata redeam. Pro comminuendo frangẽdo atque detrahendo calculo medicamenta eligi debent, quæ extenuent quidem,incidant atq; detergant, vnaque etiam vrinam promoueāt, sed citra insignem calorem: impensè enim calida,vt calculi causam effectricem fouent augentque maxime reprobantur, horum autem, quæ tepido potius calore præstant id quod nũc intendimus,duo sunt genera:alia enim occulta agunt qualitate,vt lapis iudaicus, cicadæ,alis,& pedibus abscissis,sanguis hircinus præparatus, vitrum combustum,& eius generis alia.Inter quæ puluis leporis, vt decet præparati]præcipuas obtinet partes. A manifestis autem qualitatibus in hunc vsum agunt,adianthum,pulegium, Aristolochia rotunda, Asparagorum,fœniculorum,petrosellini,apij liquiriciæ radix,lythontripum, cætrach decoctum,cuius meminit Galenus sexto de Simp.Med.fac. cap.de asplenio,atque huiusmodi alia multa. Ex quibus varia parantur composita medicamenta,quorum duo omnium sunt efficacissima maximeq; in vsu. Videlicet lythontripum, & Electuarium Iustinum. Cum quibus si forte aliquando nephritici dolores recurrant,fotus,inunctiones,& cataplasmata anodyna adhibeantur,nec non Clyster,quem antea præscripsimus inijciatur, quo reddito ampla cucurbitula sine scarificatu dolenti parti affigatur. Quibus dolore non cedente,insessus,quorum vis est in sedandis doloribus efficacissima,administrentur,ex decocto nimirum simplicium dolorem mitigantiũ, quorum paulò antea meminimus. Qui si non satis proderint,ad narcotica,quale est Philonium Romanum confugiendum. Cæterùm, vt nihil intactum relinquatur, quod ad propositi affectus curationẽ spectat,nonnulla in victus ratione præ cæteris obseruanda proponã. Valida exercitatio, aut durior equitatio ex eo maximè, hoc in casu commendatur,quia calculos deturbat,nec sinit in renibus concrescere. Omne alimentum, tùm esculentum,tùm proculentum ingeratur oportet sobriè. Repletio enim huic morbo valde suspecta est. Edulia omnia crassi succi difficilisque coctionis prorsus ableganda sunt. Carnes eligantur iuuenum animalium,tum assæ,tum ex lactuca althea, malua,aut ex hordeo mundato elixæ. Interdum ptisanæ cremor ex melle,aut sacchato paratus,apprimè est vtilis. Vinum tenue, & imbecillum sit,abundeque dilutum. Tot dicenda videbantur pro Nobilissimo hoc Viro ab hac molestia vindicando; Faxit Deus, vt salutaria illi contingant.

Obseruatio.

Vires medicamẽtorũ calculũ excludentium.

Dolorẽ mitigãtia repetenda.

Nõ nulla ad victus rationem pertinẽtia proponuntar.

De

De Capitis dolore antiquo pro Perillustri Domina Camilla Bellarmina a Monte Politiano, Consultatio LI.

Affectus. DOlor dextræ capitis partis decem ab hinc annis semel in Mense per biduum, vel triduum Perillustem Mulierem sollicitās Emicrania proprie dici debet.

Pars affecta. Symptoma hoc morbum consequitur in soluta continuitate; diductionem nempe, seu distractionem alicuius capitis membranæ, in quibus solis, vt exquisite sentientibus capitis dolor subsistit. Vtrū autem membrana extra caluam, pericranium scilicet, vel intra caluariam, crassa nempe membrana afficiatur non est difficile determinare; tùm quoniam (vt ex literis Clarissimi Medici accepi) dolor hic vsque ad oculorum radices extenditur, tùm etiam quia nullus apparet in cute tumor, nullusque extraneus color: nec pressa cute exteriore vllum persentit dolorem. Quibus duobus notissimis signis magis fido, quam priori, quod pro comperto habeam pericranium oculorū cauitates succingere; quo fit, vt affecta hac membrana oculorum etiam radices coafflici possint.

Morbi causa. Affectus huius causam, & in pituitosum humorem, & flatuosam substantiam referendam arbitror. Nam audio dolorem hunc magna ex parte grauantem cum quadam extensione esse. Doloris enim cuiusque species, eiusdem effectricem causam ostendit.

Vtrū affectus sit per cōsensum, vel per essentiam. Cæterùm quoniam periodici huiusmodi affectus magna ex parte non per essentiam, sed per consensum a partibus subiectis in capite suboriuntur, in eam sententiam facile adducor, vt credam præcordia, & ventriculum male affici, ideoque cruditates colligere, vnde postea sublati vapores in caput dolorem hunc excitent. Propterea quod vomitus, vt plurimum pituitosus dolorem hūc præcedere (vt audio) consueuit. licet non ibo inficias, caput ex longa patiendi consuetudine non solum per consensum, sed etiam per essentiam ita laborare, vt prę eius imbecillitate frigidam humidamque intemperiem consequente pituitosa in dies recrementa colligat.

Dubitatio. Quòd verò post vomitum humoris pituitosi, & accidi, tandem etiam biliosa euomat, haud mirandum est.

Solutio. Quandoquidem dolores, vigiliæ, inedia, & fortasse etiam febris aliqua humores vsque adeo inflammando exacuunt, vt bilis inde suscitetur, & ad ventriculū detrudatur.

Causa externa. De causis externis nihil dicendum occurrit: quoniam cum neque ab æstu, neque a frigore, neque ab ictu, neque a graui aliquo odore dolor hic promoueatur, necessario, asserendum est totam mali causam interiorem esse, nisi quis fortasse dixerit errata aliqua in victus ratione materiam aliquam causæ morbificæ interiori subministrare.

Quocirca primum præcautionis consilium in congruam victus ratio-

rationem dirigendum, quæ tenuis, extenuans, ac temperatè calfaciēs imperari debet. In qua quidem maxima est habenda aeris temperati ratio. Somnus longior iusto, quemadmodum, & otium seu vita desidiosa semper affectum hunc fouebunt. Aluus omni Arte seruanda erit lubrica. Ab omnibus (præ cæteris) animi passionibus sollicitudinibusque magnopere caueat. Cibis vtatur boni succi, facilis coctionis, & paucorum excrementorum. Proinde a carnibus duris, vetustis, & pinguibus, a piscibus palustribus, & lacustribus, nec non ab omnibus ostreaceis, sicuti ab omnibus acribus edulijs, & ab Aromatibus abstineat. Fructus olera, & legumina deuitet, caueat etiam a caseo præsertim antiquo, a lacte, atque a cibis ex pasta cōfectis. Vino vtatur tenui, optimeque diluto decocto ligni visci quercini. Cœna sit parcior prandio, & a cibis semper vtatur, vel coriandris saccharo contectis, vel cytonio, aut pyro subadstringenti cocto, aut corticis citri conditi cum saccharo vncia vna plus, minusue. *Scopi curatiui. Victus ratio.*

Secunda præcautionis ratio ad humorum in vniuerso corpore redundantium, pituitosorum nempe, & nonnihil melancholicorum purgationem, nec non ad viscera roboranda pertinet, quæ quidem bis saltem in Anno, vere nimirum, & Autumno instituenda illi erit. Cum Diacatholicone, vel cum Melle rosaceo solutiuo, aut cum syrupo de Polipodio pro aluo primum lenienda. Deinde præparandi erunt humores cum syrupo de Betonica, Melle rosaceo, ac syrupo de Mentha, additis consimilis naturæ aquis stillaticijs, vel decocto aliquo consimili. *Secunda præcautionis.*

A septimo syrupo purgatio instituatur ex Pilulis de hyera, & de Agarico simul. Post hæc tribus diebus continuis duabus horis ante prandium deuorabit vnciam mediam Electuarij confecti ex Conseruæ Rosarum, Betonicæ, & Saluiæ singularum vncia media cum scrupulis duobus specierum Aromatici Rosati, & drachmis sex miuę cytoniorum aromaticæ. Mox altera instituenda erit purgatio cum præparantibus, & catharticis validioribus: quæ peritissimo Medico præsenti notissima esse non diffido. Interim pro expurganda frigida materia cerebro concepta, errhinis, & masticatorijs primum leuioribus, dein validioribus omnino vtendum erit. Post autem purgationem hanc posteriorem ad firmandum cerebrum refrigeratum humectatumque, nec non ad frigidam, humidamque ventriculi intemperiem corrigendam, interdum Theriaca, nonnunquam mithridato dormitura vtatur: & interea capiti admotis prospiciendum erit, vt illitionibus, pulueribus, & ceratis cephalicis omnibus notis. Inter quæ capitis lotionem frequentem lixiuio cum simplicibus moderate calfaciendo siccandoque caput roborantibus medicato, summopere probarem. Cum quibus etiam robori iterum ventriculi, sumptis, & admotis prospiciatur, oportet. Sumitur autem maxima cum vtilitate conditum hoc. *Cerebrū expurgantia. Cerebrū firmātia. Vētriculi robori pro spiciēdū.*

Egregiũ medicamentũ pro roborãdo vẽtriculo.

Rec Specierum Aromatici rosati.
Diarrhodon Abbatis an. dr. mediam.
Zinziberis conditi.
Ligni Aloes an. scrup. 2.
Specierum Diambræ scrup. 1.
Spicænardi gr. 15.
misce.

Cum sacchãro in aqua florum Arantiorum dissoluto fiat confectio in rotulis pondere duarum drachmarum. Quarum vnam sumat hora ante pastum, dein superbibat Vini optimi modicum. Ex his quæ admouentur, fomenta, linimenta, & scuta administrari solent. Horum omnium maxime probamus, quod sequitur.

Topicum pro stomacho egregium.

Rec. Masticis vnc. mediam.
Caryophyllorum.
Cinnamomi.
Nucis Moschatæ.
Zedoariæ an. dr. mediam.
Specierum Diambræ scr. 1.
misce.

Et cum Oleo quãtum sat sit ad densandos pulueres simul cum Terebinthinæ modico conficiatur Ceratum pro stomacho. Quibus peractis si dolor consueta periodo non redeat, quiescendum erit, & abstinendũ ab omni medicamento, seruata tamen victus ratione præscripta. Quod si dolor repetat, accessione finita diebus tribus continuis, horis duabus ante prandiũ vtatur vncijs duabus liquoris huiusmodi.

Rec. Syrupi de Betonica.
Mellis Rosati.
Syr. de corticibus Citri an. vnc. 2.
Oxymellitis Scyllini vnc. mediam.
misce.

Die verò quarta sequẽti, horis quatuor ante cibũ bolus exhibeatur ex pilularum de hyera cũ Agarico dr. 1. & Aggregatiuarum dr. media cum syrupo de Stæcade modico. Mox ad recrementorũ reliquias digerendas, simulq; ad roborandum cerebrum, & ventriculum nec nõ ad tollendas hypochõdriorum obstructiones, si ius galli binuli quindecim saltem diebus continuis (vt moris est) potauerit, magnopere illi conducturum non diffido. Parabitur autem hunc in modum.

Rec. Agrimonij.
Asplenij.
Artemisiæ.
Borraginis.
Betonicæ.
Cichorei.
Cætrach.
Menthæ viridis an. p. 1.
Ligni guaiaci torniti vnc. 2.
Ligni Sassafras vnc. mediam.
misce.

Ponan-

Ponantur omnia insimul in ventre galli exenterato, dein excoquatur in aquæ communis lib. 30. ad cōsumptionem duarum tertiarum, deinde detracta omni pinguedine coletur, & percolati pars purior serue tur loco frigido, quæ tertio quoque die bulliatur vnica leui ebullitione, ne corrumpatur. Cuius quidem vnciæ sex dentur in Aurora, procuretque mulier sudare citra violentiam.

Chirurgicæ auxilia De Chirurgicis auxilijs, quæ dicam, hęc sunt. Cum Perillustris hęc mulier ætatis sit deficientis potius quam proficientis, & gracili frigido melancholicoq; habitu prædita, non video, quod sanguinis missionem requirat. *Venæ sectio.* Nihilominus, vt medicamenta sumenda in vasorum capacitates expeditius penetrare possint, maxime probarē vt inter curationis initia aluo lenita, sumptisq; duobus, vel tribus syrupis, hyrudines tres, vel quatuor venis, quæ in sede sunt, affigerētur, sanguinisq; semilibra detraheretur ad inaniēda quadantenus vasa, & deriuationis gratia ab hyppochondrijs, in quibus vt arbitror praui stabulantur succi, qui certo tempore aucti in caput ex interuallis euaporant, vnde & periodica emicrania illa: in quē vsum etiam magnopere hortamur, vt vtrumque Cauterium, *Cauteria.* alterū in crure ad deflectendos vapores a præcordijs conscendentes, & alterum in brachio in gratiam deriuationis a capite, quod quidem ex morbi diuturnitate imbecillum effectū non solum peregrina admittit excremēta, sed accumulat etiam; apertum continuo gestet retineatque.

Tertium præcautionis consilium. Quæ verò ad tertiam præcautionis rationem pertinere mihi videntur auxilia, hęc sane sūt. Nimirum, vt tribus, vel quatuor diebus ante solitam futuram accessionem vomitoriū aliquod illi præbeatur a cœna, vel a prandio, modo facilis sit ad vomitum. Mox aliquibus interpositis horis aluus ieiuno stomacho acriori Clystere leniatur. Quod si vomitus ex voto non succederet post clysteris vsum horis aliquot interpositis leniens exhibeatur medicamentum ex Diacatholiconis dr. 7. & Diaphiniconis dr. tribus. Quibus peractis partium infernarum lotiones ex aqua calēte, frictiones, & artuum ligaturæ dolorifice mane, & vesperi ieiuno ventriculo exerceantur. Interim etiam cucurbitulæ paruæ sine incisione, plures tamen cruribus coxis, & natibus affigantur. Atq; de præcautione satis superq; dictum sit. *Instantis accessionis curatio.* At si his non obstantibus dolor recurreret, statim euacuationibus inferne superneq; nec non auersionibus nūc commemoratis vtendum esset: eadem namq; conueniunt præsentibus, & imminentibus malis. Quo tempore ex topicis remedijs, hoc vt omnium efficacissimo vtendum erit.

Rec.	Terebinthinæ	lib. mediam.
	Mastiches, Cinnamomi.	
	Nucis Moschatæ	an. dr. mediam.
	Caryophyllorum, Zedoariæ.	
	Galange, Ladani	an. dr. 6.
	Succi ebuli, succi cucumeris asinini	an. vnc. mediam.

Ex quibus omnibus puluerizatis puluerizandis in alembico Oleum secundum Artem distilletur, quo inungatur caput derasum ad natu, vim excitandam.

Præsagia Quid de futuro affectus euentu hac peracta medicatione sperandum, libere dicam quid sentio. Aetas inclinans. Affectus vsque adeo vetustus, vt in habitum iam commutatus fuerit (affectum intelligo non symptoma interuallatum, sed partium affectarum immoderatam temperationem) Patientis virium robur minime validum, difficile admodum negotium hoc futurum prænunciant. Illud etiam aliquantisper me deterret, quod pro comperto habeam omnem machinam a Clarissimis Medicis pro debellando huiusmodi affectu Perillustri Mulieri adhibitam esse, sine tamen successu aliquo. Veruntamen quoniam præscriptam congruam victus rationem hactenus adunguem forte non seruauit, quam in posterum omni rigore retinere pollicetur, res adhuc in summa desperatione non est; ita vt sperare nobis liceat, fore vt si malum omne superari prorsus non possit, saltem egregie imminuatur. Quod quidem Deus Optimus Maximus concedere non dedignetur.

De Capitis fluxione, vocis raucedine, tussi, spirandi difficultate, vigilijs immodicis, inappetentia, febre lenta continuaque, virium omnium imbecillitate, cum totius corporis summa macie, pro Perillustri D. Constantia Glorieria Nobili Romana,
Consult. LII.

Destillatio omniũ malorum causa. MAla Nobilissimam Mulierem hanc sollicitantia ab vna destillatione veluti a fonte quodam cuncta scaturire vnicuiq; nostrum compertũ esse debet. Etenim fluxionis huius materia tota frigida, licet ob moram, quàm in cerebro trahit putredine cõcepta salsa interdũ persentiatur, partim in fauces guttur, & asperam arteriã delabens, eiusq; interiorem tunicam exasperans, inęqualemq; reddens, vocem *Vocis raucedo.* raucam efficit, quod vitium græco Idiomate Bronchos, Latine verò Raucedo dicitur; partim verò in pulmonum bronchia procumbens spiritusq; vias intercludens simulq; inæquales efficiens spirandi dif- *Spirandi difficultatis & tussis causa.* ficultatem cum stertore quodam (Asthma vocant) graui cum molestia parit. Quæ autem eiusdem sortis materia in ventriculum prolabitur non solum appetentiam destruit, verumetiam coctionem primam ita vitiat, vt vitiatus pariter inde Chylus ab hepate per mese- *Destillatio quatuor modis febrẽ suscitare valet.* raicas attractus magna ex parte in prauum sanguinem commutatus pro naturæ præscripto membra nutrire nequeat; vnde, & virium omnium imbecillitas, & summa illa totius corporis macies. Quæ autem eiusdem mineræ fluxio è capite descendens venas subit, dupli ci nomine febrem suscitare valet, vel dum prolapsus humor putrescit, vel si contingat, vt venas obstruat: Neutrum horum puto ego febrem

brem Nobilem hanc Mulierem exercentem peperisse, quandoquidem febres obstructionem, & humorum putredinem consequentes certam seruant periodum, siue fuerint intermittentes, siue continuæ; hæc autem pusilla lentaque febris est, assidue affligit, & nullam seruat periodum, nullamque statis horis intensionem, remissionemvè; ita vt hæcticæ febris ideam æmuletur ; hæctica tamen iure appellari nequit, quoniam a laborante manifeste deprehenditur, atque præterquam quod febrilis calor primo statim contactu manifeste persentitur, pulsus licet frequens velox, & paruus obseruetur, mollis tamē est; in summa hecticæ febris proprie dictæ pathognomica signa hic non obseruantur. Neque statuere possumus febrem hanc catarrhalem, hoc est a destillatione pertinaci subortam, pendere ex humoribus è cerebro per asperam arteriam in pulmones præcipitatis, illincque ob longam moram calore præter naturam concepto corruptis putrefactisque. Etenim excrementa, quæ inter tussiendum foras mittuntur nullam iunctam purulentiam commonstrant, sed syncerae potius pituitosæ materiæ naturā præseferunt, ad naturalemque pituitam propius accedunt: vnde quis suspicari posset, febrem hanc in quotidianarum genere collocandam esse: sed illud ab hac suspicione me auocat, nam præterquam quod febris hæc omnium est rarissima si exquisita intelligatur, quod ægre pituita, & præsertim alimentalis putreat, seruatur enim a natura tanquam sibi familiaris, vt quæ deficiente sanguine cedat in idoneum naturæ alimentum. Scribente Gal. in Lib. de Rat. Vict. in Morb. acutis, Comment. 2. Contex. 44. statis horis augetur, & decrescit (vt antea dictum est) pulsumque aliarum putridarum more inæqualem edit; quæ quidem notæ hic minime apparent. At verò præter hasce tres febrium a destillatione pendentium differentias iam enumeratas, quartam, & ego addam a nemine hactenus obseruatam longo medendi vsu a me inuentam, quam quidem hoc in casu locum habere arbitror. Quo fit, vt in ea sententia non inuitus persistam veteres scriptores non omnia febrium genera differentiasque assecutos esse, nec mirum, quandoquidem Artes, scribente Philosopho, additione perficiuntur.

Quotidiana exquisita raro seruatur.

Auctoris inuētum.

Ea autem est febris continua vniformis sine vlla exacerbatione, pulmonum, thoracisque immodicum calorem citra putredinem cōsequens. Calor autem hic ob aeris inspirati inopiam angustiæ vasorum culpa pulmones inuadit. Qui quidē immodice excalfacti geminam ob causam febrē in corde, dein in vniuerso corporis habitu excitant, tum quia conceptum calorem cordi immediate communicant, tum quoniam aerem quātumcunque frigidum inspiratum ita excalfaciunt, vt cordi pro naturæ præscripto refrigerando minime sufficiat. Hinc assidua illa febris, quæ nec ephemera, nec putrida, nec hectica proprie dici potest. Qua sane febre asthmate non interuallato, sed assiduo laborantes teneri non semel tantum animaduerti. Si quis

autem febrem hanc in hecticam improprie dictam ex viscere præcipuo male affecto ortam referre velit, non a scopo declinabit, modò huius generationis modum ab aliis nō adhuc minime obseruatum intelligat. At verò vigiliarum in Nobili hac Aegrotante causam non aliunde petendam esse, quam a tussi noctu (quo tempore fluxio è capite in thoracem magis promouetur) magnopere infestante nemini dubium esse debet. Quibus sic enarratis, luce clarius apparet omnes præter naturam affectus Nobilissimam Mulierem hanc tenentes ab vna capitis fluxione, veluti a fonte quodam originem ducere; hancque a cerebri frustrata coctione ob eius humidam valde, & subcalidam intemperantiam non modo illi connaturalem, verum etiam ex erroribus externis contractam magis. His igitur ita constitutis clare patet quid agendum pro elidendis tot morbis, & symptomatis.

Curationis scopi. In primis enim omni studio destillatio omnium malorum causa prima, finienda. Materia pulmonibus concepta eorumque cauernulas obstruens, ideoque tussis, spirandi difficultatis, & febris causa, medicamentis per sputum thoracem expedientibus euocanda. Interim febris, virium imbecillitatis, & corporis emaciati ratio habenda, nec non vigiliarum.

Opus sane futurum arduum satis, ne dicam præpeditum: Etenim destillationes diuturnæ, & contumaces (qualis hæc est) cum virium imbecillitate, ac febre eaque continua, Hyberno præsertim tempore curatu difficiles admodum censentur. Difficultatem etiam auget medicationum pugnantium complexus; etenim, quæ febrem expugnare apta sunt, refrigerantia nempe, & humectantia fluxionis materiam frigidam, videlicet fouent augentque. Rursus victus tenuis, & attenuans a destillatione indicatur, qui a virium imbecillitate, & corporis totius summa macie exploditur. Verumenimuerò, & ætas adhuc constans, & Medicorum huic operi præfectorum studio, diligentia peritiaque nec non Nobilissimæ Aegræ obsequentia, & perseuerantia, Dei Optimi Maximi auxilio non omnem spem abijciendam puto, quin mala isthæc omnia, vel prorsus deleri, vel saltem magna ex parte imminui possint. Quocirca ad opera Medica quamprimum accedendum.

Destillatio opera quinque medica efflagitat. Primum, quod ad victus rationē attinet opus. Hæc autem numero quinque sunt, quæ destillationem totius mali originem respiciunt. Primum victus ratio, qua causæ euidentes pro hibeantur. Ea propter aer in primis frigidus, humidusque temperate tamen febris ratione ex vsu iudicatur. Proinde ignis assidue excitatus in proprio hoc laborantis Mulieris cubiculo tanta cum flamma plus incommodi febris causa, quam commodi frigidæ destillationis ratione afferre poterit. Pro somno conciliando summopere laudo, vt dormituræ exhibeantur syrupi de papauere vnciæ duę, vel Diacodionis recentis in rotulis drachmæ tres, aut quatuor; Interdum etiam emul-

emulsionis seminum papaueris albi cum aqua violacea extractæ vnciæ quatuor. Animi, & corporis quietem omnino procuret, leues tamen ante cibum deambulationes non improbamus. Aluus arte lubrica seruetur, natura hoc in opere deficiente. Cibi eligantur qui commode nutriant, facile conficiantur, & excrementa nō ingenerent, qui commode alterari poterunt cum Lactuca, Endiuia, Cicerbita, Oxalide, & alijs huiusce generis simplicibus modice refrigerantibus. Carnium testudinis, & animalium extremitatum vsus, hoc in casu a compluribus cōprobatus mihi non arridet, quòd huiusmodi edulia ægre admodum conficiantur a debili præsertim membrorum, quibus cōficiendi alimentum munus committitur, facultate; ob id horum iuscula libentius concederem. Singularia autem ad victus rationem spectantia recensere, præsentis non est loci; duo tamen hæcq; non leuis momenti minime tacenda puto.

Primum, quod licet Vinum eatenus suspectū videatur, quatenus caput promptissime ferit repletque, in virium, & ventriculi tamen gratiam, Vinum Album tenue maturum, & aqua cum Ligni visci quercini Cinnamomique modico excocta attemperatum magnopere conducturum certum est. Alterum est, quod in hoc, & consimili casu cibi qui multum facileque nutriant, & iugiter refrigerando humectandoque moderate alterent, vt qui alimenta simul, & medicamenta sint, ab omnibus iure optimo præ cæteris extolluntur: accommodatissima est ptisana mihi in summe emaciatis corporibus febre assidua correptis valde familiaris. Paratur autem ex cochleis montanis dies aliquot sine esca asseruatis, dein per triduum farina hordeacea, cum sacchari modico, & radicibus glycyrrhizæ hordeo mundo, & passulis in paruæ pullæ gallinaceæ ventre prius exenterato positis, in sufficientiq; aquę pluuialis quantitate excoctis, donec carnes pullæ contabuerint, ac tandem omnibus simul fortiter expressis, iusculi huius vnciæ quatuor, vel quinque plus minusue cum sacchari, & Cinnamomi modico horis quatuor ante prandium, & pariter ante cęnam, (quę prandio parcior esse debet) summa cū vtilitate propinantur. Ptisana hæc, & commode alit, & facile conficitur, nec non etiam temperate refrigerando substantificeque (vt aiunt) humectando non solum febrili aduersatur calori, verum etiam lōgo vsu deperditas carnes, natiuamque humiditatem valenter reparat. Illud quoque aduertēdum, tutius esse alimentum offerendum partiri, quam semel plenius cibare, ita vt modice, & sæpe (quater videlicet in die naturali) ægra cibanda sit.

De vini vsu.

Ptisana secundum Auctoris inuentione.

Sæpe, & modice alenda ægra.

Secundum opus duo complectitur: apparantia, & purgantia pharmaca frigidis pituitosisque humoribus accommodata. Vbi aduertendum hic purgantia valentiora minime vsurpandum, tum ob virium imbecillitatem, & corporis siccitatem insignem, tum etiam febris assiduæ causa. Porrò corpore vniuerso blande perpurgato, caput

Opus secūdum.

deinde peculiariter per Errhina vocata medicamenta purgandum, ea tamen lege, vt cum violentia trahentia caueantur. Tertium ad ea attinet medicamenta, quæ præcipitem in asperam arteriam fluxionem (vnde tussis molesta, & vigiliæ pendent) sistere valeant; sunt autem pilulæ ex styrace calamita, Glycyrrhizæ succo, papaueris albi seminibus, cum syrupo de Papauere confectæ, quarum vna frequenter sub lingua contineatur. Recens etiam Theriaca, vel Galeni cõfectio de seminibus seu Diaspermaton appellata, aut Diacodion in rotulis. Quarum confectionum vna, vel altera mulieri dormituræ deuoranda dabitur.

Opus tertium.

Medicamenta fluxionẽ firmantia.

Quod quidem opus licet hic tertio loco positum sit, destillatione tamen vrgentius interpellante, ante omnia aggrediendum erit ad eui tandum præfocationis periculum.

Quartum opus.

Quartum medicamenta omnia requirit, quæ fluentem fluxurumque humorem a thorace auertere valeãt; vt frictiones, & ligaturæ extremorum, fotus, cucurbitulæ cruribus coxis natibus, & scapulis sine scarificatione sæpius affixæ, clysteres acriores, Pilulæ de Agarico Mesues ex interuallis, breui tamen mensura datæ, nec non Errhina supè rius commemorata, vt quæ non solum caput per propinqua loca expurgent, verumetiam a Thoracicis partibus commode auertant. In id etiam cauterium, vel in altero brachio, vel in nuca (quod magis probo) non ignobile emolumentum allaturum haud dubito. De sanguinis missione quæ, & ad reuulsionem moliendam, & ad peccantis humoris sãguini commixti detractionem, imperari solet, ne verbum quidem, quoniam neque a fluxione frigidi humoris indicatur, neque a viribus vsque adeo deiectis permittitur.

Cauteriũ.

Venæ sectio.

Opus quintum.

Quintum postremumque opus finiendæ fluxioni destinatum in medicamentis corroborantibus caput quæ est pars primò affecta, est positum: quorum munus est non solum cerebrum siccare, verumetiam peccantium humorum reliquias per halytum digerere, siue sumantur, siue forinsecus adhibeantur. Primi ordinis sunt Theriaca, Mythridatica confectio, Conserua Betonicæ, Saluiæ, Anthos, Diamoscus dulcis, Electuarium Aromaticum rosatum, & consimilia. Quibus omnibus anteponerem Chinæ cum ligno visci quercini, & in ventriculi gratiam sassafras modico decoctum ex pulli gallinacei iure paratum, additisque in fine ebullitionis herbis cephalicis nec non, & viridi Mentha dies aliquot de more datum. Secundi generis sunt pulueres capitales, fotus, lotiones ex dulci lixiuio simplicibus cephalicis moderate siccantibus medicato, saccelli, & ceratum commissuræ coronali adhibendum. Taceo stillicidij vsum, quippe quod nec vires, nec præsens frigida aeris constitutio consentiant. Interim habenda quoque erit refrigerati ventriculi ratio sumptis pariter, & admotis medicamentis moderate calfacientibus. Tandem humoribus a capite in pulmones præcipitatis omni diligentia, & seduli-

Roborantia interna.

Chinæ decoctum.

Corroborantia externa.

dulitate excludendis incumbendum erit medicamentis sputa promouentibus. *Medicamēta thoracem expurgantia*

Hæc autem sunt incidentia, detergentia, emollientia, asperas arterias dilatantia, simulque pulmones roborantia, tum simplicia, tum composita, quorum ampla est sylua apud omnes scriptores: inter quę ius galli gallinacei annuli ex medicamentis pectoralibus paratum, primas obtinere partes, ratione, veterum auctoritate, & quotidiana experientia compertum est. *Ius galli.* Cum his pectorales etiam illitiones adhibeantur. Posthæc ineunte vere proximo de Balnei, & lactis vsu atque de Coeli mutatione cogitandum erit. Et hæc dicta sufficiant in gratiā Nobilissimæ Mulieris, quam Deus immortalis pristinæ sanitati restituere non dedignetur.

De spirandi difficultate ex interuallis suborta pro Illustrissimo D. Bonifacio Caietano Abbate dignissimo, Consult. LIII.

VT affectus præter naturam Illustrissimum D. grauiter interdum infestantis causam interiorem antecedentemque recte assequamur Viri Clarissimi, operæpretium me facturum arbitror, si naturalem eius constitutionem paucis, diligenter tamen explicuero, a cerebro ducto exordio: *Qua ratione morbi causa interna sit indaganda.* cuius quidem temperamentum calidum humidumque esse multa indicant: *Cerebri calidi humidiq. notæ.* atque in primis partium ad faciem attinentium cum calore rubor: venæ in oculus satis conspicuæ: excrementorum per nares, & palatum mediocriter concoctorum copia: nec non iuuantia, & lædentia, quandoquidem a calidis, & humidis, maximeque halytuosis insigniter oblæditur; quod calor non solum sursum trahat, sed etiam meatus in calidiore cerebro patentiores promptius recipiant: proinde Celsus Lib. 1. capit. 5. in ijs, qui destillationibus sunt obnoxij, os gelida sæpius abluendum, & recte quidem, consulit ad patentium meatuum exclusionem. *Celsi præceptum.* Propterea haud quaquam mirari oportet si Austri Illustrissimo D. aduersentur, & in Aquilone, ac sub Cęlo frigidiore siccioreque optime se se habeat. Verumenimuerò præter hæc duo non leuis momenti vitia in conformatione capitis Illustrissimi D. obseruantur: alterum in figura, acutum enim satis apparet, quæ quidem figura ab Hipp. & Gal. sexto de Morbis Vulgaribus Com. tertio, veluti cerebri imbecillitatis causa reprobatur: *Capitis cōformatio dupliciter vitiata.* alterum in quantitate, quod paruum sit si ad reliquum corpus conferatur: in omni enim membro cauitatem habente paruitas reprobatur, amplitudo autem desideratur; quoniam ampla membri cauitas materias, & membra continenda commodius recipit, citra obstructionis, & inordinati motus periculum. *Capitis paruitas cur reprobetur.* Quod innuere visus est Galenus loco nuper citato. Atque de capitis constitutione satis dictum sit. Nunc verò ad cordis temperaturam explicandam venio: quam quidem calidam esse, & magna respira- *Calidi cordis notæ.*

tio:

tio, pulsus celer, & frequens, iracũdia, & audacia promptitudoque ad omnia opera manifeste ostendunt. Nec obstat thoracis angustia, quæ frigidi cordis, vt latitudo calidi signum apud Gal. esse solet: siquidem tum hæc, tum illa capitis magnitudinem, & paruitatem non raro con

Thoracis angustia frigidi cordis incertũ est indicium.

sequitur. Iecur autem calidum satis, humidum verò moderate esse declarant, venarũ amplitudo, calor sine tamen acrimonia totius corporis, sanguinis biliosi copia, vrinæ magna ex parte ruffæ, seu flauæ, & ventris deiectiones, vt plurimum biliosæ. Hinc totius etiam corporis temperamentum vnicuique innotescere potest. Et hęc de primo pro-

Hepatis calida signa.

posito dicta sufficiant. Offensa igitur cerebri constitutione nõ solum præ nimia eius humiditate, verum etiam capitis vitio in quantitate, &

Excremẽtorũ cerebri prouẽtus causa.

figura, indeque imbecilliore effecto, ob frustratam coctionem plura colligit excrementa; quæ deinceps, tum propter vapores a feruido corde, & iecinore sursum elatos per arterias, & venas, quæ omnes fere in caput terminantur, tum eiusdem cerebri proprio calore assidue trahente, quod toti corpori veluti ventosa caput ipsum incumbat, vt

Destillationis à cerebro incõmoda.

Tralliano etiam placuit; in maiorem copiam augentur: Hæc autem, & copia, & aliqua quoque acriori qualitate eidem cerebro infensa expultricis facultatis opera in partes subiectas detruduntur; nempe in ventriculum, & inde insignis cruditas, & inappetentia continua per totum morbi insultum: quæ autem huius generis excrementa venas subeunt, atque per easdem in pulmones delabuntur, meatus respirationis comprimendo, & coarctando insignem illam spirandi difficultatem per plures interdum dies pertinaciter perseuerantem efficiunt, in qua non nisi sedendo recta ceruice spiritũ ducere potest; ita vt non

Asthma quis affectus sit, & quem morbũ sequatur.

solum Asthma, sed orthopnæa affectus hic appellari possit, actio nimirum deprauata respiratoriæ facultatis: quod quidem symptoma morbum in via, seu in meatibus coangustatis consequitur. Quod verò inter respirandum nullus in hoc stertor subaudiatur cum Asthmatici stertendo fere semper respirent, id in causa esse potest, quod materia a capite depulsa non in meatibus respiratorijs cartilagineis, nec

Stertoris causa.

in bronchijs, sed in venis, atque in pulmonum substantia fere residet; quippe quod scriptum reliquerit Gal. Lib. 4. de locis affectis c. 8. quod si anhelosus stertendo strepitum fecerit crassorum lentorumque humorum pertinaciter impactorum multitudinem pulmonum bronchia molestare indicabit. Hæc sane difficilis respiratio toto accessionis tempore magna, tarda, & rara deprehenditur; atque in singulis expirationibus irritamentum quoddam suboritur ad tussim, quam quidem Illustrissimus D. vim sibi ipsi inferendo cohibere conatur, vt dolorem quendam effugiat, quo inter tussiendum thorax non leuiter premitur. Interim quoque durante accessione vrinas crassas, turbidas-

Raræ respirationis causa.

que mingit. Quorum omnium causas proprias assignare, minime ab instituto alienum erit. Raram igitur respirationem edit data opera ad euitandum dolorem, quem in thoracis dilatatione circa thoracicas

partes

partes experitur. Respiratoriæ enim facultatis opus voluntatis imperio committi, tam notum est, quam quod notissimum. Cæterũ quoniam respiratio hæc rara, & per longum tempus omnem vtilitatem non explet, ab vrgenti postea necessitate coactus magnam pro viribus respirationem efficit, ita vt non solum septum transuersum cum musculis intercostalibus in hac manifeste moueantur, sed & etiam musculi superiores omnes (hanc sublimem respirationem appellare consueuerunt) multum distrahuntur. Magna vtique respiratio hæc dici potest non solum secundum thoracis motus amplum spatium, quia multum dilatantur partes, verumetiam iuxta aeris, qui inspiratur copiam; etenim asperę arteriæ per pulmones dispersæ infarcto humore aliquo minime coarctantur, quod tota fere materia a cerebro in venas prolabatur, ita vt respiratorij ductus humorum venas, & pulmonum substantiam exercentium copia comprimãtur quidem, sed non obstruantur; quo fit vt vi, & labore multum dilatato thorace subleuatisque pulmonibus eorum bronchia plus aeris inspirati admittere possint, proinde vsus non cogit ad frequentem siue densam respirationem, supplet enim magnitudo ipsa: cui ex eo tarditas iungitur, quoniam dolentibus minus molestum est per longius tempus, quam per breuius moueri, vt notauit etiam Galenus Libro primo de Difficultate Resp. cap. 19. licet in maximis doloribus cum inflammatione, & ardore partium ad thoracem attinentium, vel his consentientium velox, & frequens respiratio obseruetur propter causas ab eodem Gal. adductas Lib. primo de Difficultate resp. cap. 9. pluribusque aliis in locis: sed obiiciet quis si pulmones vix sentiunt, vel saltem vehementi dolore nunquam crucianrur scribente etiam Gal. quarto de locis affectis cap. 8. cur respirationis raræ, magnæ, & tardæ causam in dolorem referre possumus, in hoc præsertim subiecto, in quo pulmones afficiuntur; respondemus, & grauitatis sensum, & aliquando extensionem quandam, vel ad ossa pectoris, vel ad spinam peruenientem hoc affectu laborantes percipere: ibi enim membranæ pulmonem ambientes suspenduntur. Porrò autem respirationem huiusmodi raram, magnam simul, & tardam in pluribus aliis anhelosis sic affectis obseruauimus: ita vt non possim non valde admirari Gal. qui ex Hipp. sententia, tum quarto de locis affectis capit. 7. tum Lib. primo de Difficultate respirandi capit. 12. 20. & 22. nec non eodem in opere lib. secundo capit. secundo, tertio, quarto, quinto, ac sexcentis aliis in locis aperte sustinere profitetur magnam simulque raram respirationem solius delirii signum esse necessarium, vel etiam ad partium spiritualium perfrigerationem consequi, raram quidem, sed tardam: siquidem desipientes variis visis, & imaginationibus præoccupati, obliuiosiores, tum circa actiones, tum circa ipsarum intersticia fiunt: vnde & actiones, & quietes multo in tempore facientes, hoc modo, & magnitudinem, & raritatem circa totam respirationem faciunt:

Magnæ respirationis causa.

Sublimis respiratio quæ dicatur.

Magna respiratio dupliciter dici potest.

Cur in hoc crebra nõ succedat respiratio

Tardæ respirationis causa.

Obiectio.

Respõsio.

Magnæ, et raræ respirationis de lirij auxiliũ causa. faciunt: quandoquidem vtilitate non expleta, facultas ipsa vrgenti necessitate irritata, id totum recuperare contendit, quo per cessationis tempus fuit priuata: atque ita non rarus solum, sed & magnus spiritus efficitur. Verum (vt ex dictis satis constare videtur) spiritus hic rarus, & magnus non solum mente motis accidit, vt Hipp. & Galenus asseuerarunt, sed etiam aliis ob alias causas, vt in proposito Illustrissimo Aegrotante luce clarius apparet. At quoniam hosce grauissimos Auctores Artis nostræ lumina redarguere impium videtur; dicerem ego illos locutos esse de magna, & rara respiratione febrientibus duntaxat accommodata. Hinc etiam colligitur non omnes Asthmate, vel etiam orthopnæa laborantes semper frequentem, seu densam respirationem efficere: quod alii scriptores, vel non obseruarunt, vel neglexerunt, aut dissimularunt: quinimo Gal. tum 7. de Compos. Medic. secundum locos cap. 6. tum lib. tertio Aph. 26. nec non tertio de Morbis Vulgaribus Com. quarto. Asthma, hoc est anhelationem, densam, seu crebram quandam respirationem esse fatetur. Idem quoque confirmarunt Paulus, Aetius, & omnes alii. Ego autem, qui Artis opera in exercitationis vsum semper duxi, sæpe ac sæpius accurata diligentia obseruaui Asthmaticos, anhelosos, seu suspirosos ob angustiam earum, quæ sunt in pulmonibus cauitatum, non solum raram, sed magnam etiam simulque tardam habere respirationem, qualis nunc est Illustrissimus Abbas, in cuius gratiam præsens habetur Consultatio.

Hip. Gal. & aliorũ sententia de magna ac rara respiratione deliriũ significante explicatur

Asthmatici communiter appellati nõ omnes cerebram, semper respirationẽ edunt.

Tussiculæ causa. De tussicula illa, quæ interdum in expiratione irritatur, sic sentiendum puto. Cum in morbi insultu, humoris a capite in subiectas sedes prolabentis portiuncula in asperam arteriam procumbat, æqualiterque in omnem partem se se insinuet tussim assiduam promouere nequit; verum vbi in expiratione, maximaque efflatione inæqualiter ab egrediente spiritu subleuatur, illius tunc tussis in causa est. Humoris autem portionem aliquam in hac dyspnœa descendere in tracheam ex eo agnoscitur, quod eo tempore os, faucesque plurima humiditate scatent. Cur autem durante accessione vrinæ crassæ, & turbulentæ mingantur, non est æque facile determinare. Ego tamen sentio tales vrinas soboles esse crassorum crudorumque humorum in venis existentium, qui tum propter immodicas vigilias, tum propter laboriosum, & inordinatum vehementem inter respirandum motum agitantur commouenturque accedente calore quodam ascititio ob impeditam respirationem comparato eosdem humores magis agitante. Turbidas etenim huiusmodi vrinas agitationem a calore in crassis flatulentisque humoribus consequi, declarabat Gal. 4. Aphor. Com. 70. Illud quoque hoc in loco inquirendum venit, videlicet, qui fiat, vt anhelosi in accessione ipsa fere non tussiant; cum tamen quidquid respiratorios meatus offendit, vel etiam intemperies sola sine humore tussim, aut humidam, aut saltem siccam excitare

Crassæ turbulenteq́; vrinæ causa.

Cur anhelosi in accessione fere non tussiant.

soleat.

soleat. An quia spiritus viæ vsque adeo, tunc temporis angustantur coarctanturque, vt in inspiratione tantum aeris admittere nequeant, quantum in expiratione deinceps sufficiat ad vehementem efflationem: tussis enim motus instrumentorum spiritus deprauatus nihil aliud est (Galeno Auctore Lib. 2. de Causis symptomatum cap. tertio) quam vehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrime foras erumpens impetu suo extrahit, exploditque excrementa meatus ipsius obstruentia. Proinde a scopo minime aberrauit Princeps Mauritanus, vbi dixit septum transuersum motu suo concurrere ad expirationem, seu efflationem, ideoque etiam ad tussim eatenus videlicet, quatenus inspirationis est Auctor, sine qua plurimus aer trahi non potest necessarius postea ad maximam edēdam efflationem. Ex his tria manifestantur ad Medicum negotium maxime attinentia, neque ab alijs hactenus Auctoribus animaduersa. Primum non omnes anhelosos in accessionibus semper dense respirare. Alterum, raram, simulque magnam respirationem non solum mente vacillantibus, sed plerisque etiam alijs minime delirantibus succedere. Tertium postremumque causa, propter quam Asthmatici, siue suspiriosi in accessione ipsa magna ex parte tussi non cruciantur, licet pendeat malum ex crassis viscidisque humoribus pulmonum cauernulas obstruētibus. Atque de parte in hoc affectu theorica hæc dixisse sufficiat. Nunc verò Medendi Methodum aggredior. Ac primum præcautionem, dein ad curandi rationem vrgenti paroxysmo opportunam deueniam. Ergo in præcautione tres erunt scopi, in quos omnia opera dirigenda erunt. Videlicet, vt omni studio prohibeamus ne excremēta presertim pituitosa in cerebro gignantur: si quæ accumulentur a partibus respiratorijs ad alias minus principales deflectantur: atque tandem thoracicæ partes ita roborentur, vt minus prompte cerebri excrementa recipiant. Primus quidem scopus quatuor opera requirit, scilicet victus rationem congruam, attenuantem nempe, & siccantem quidem, sed ea cautione ne feruidi hepatis intemperantia augeatur, neque caput satis calidum natura magis incalescat. Sed præ cæteris illud intelligat, oportet Cœlum hoc Romanum illi esse aduersissimum. Sanguinis (lenita prius aluo) detractionem, vel ex iecoraria dextri brachij, vel ex venis, quæ in sede sunt, vt vaporibus a toto corporis habitu sursum conscendentibus materia detrahatur. Cauterium in parte interna cruris dextri paulò subtus, vel supra genu ad retrahendos halytus ab hepate æstuante in cerebrum continuo ascendentes. Atque cerebri exsiccationem, Iecoris autem refrigerationem: vtrumque autem opus egregie præstare poterunt medicamenta, & interna, & externa. Primi generis præsidia cerebro siccando idonea erunt confectiones cephalicæ, vt conserua Anthos, conserua Betonicæ, saluiæ, & interdum (Cœlo non æstuante) Mythridatica confectio, Rosarum, vel Florum cichorei conseruis attemperata. Suffumigia ex thure, &

Tussis q̃d. *Tria nota tu digna.* *Med. Met.* *Præcautionis scopi.* *Venæ sectio.* *Cauteriū.* *Cerebrū, & iecur roborātia auxilia.*

saccharo, nec non tandem radicis chinæ decoctum per aliquot dies de more propinandum.

Quæ autem capiti in eundem finem extrinsecus admoueri solent, erunt linimenta, pulueres capitales, cerata, capitis lotiones, ac tãdem (si opus erit) stillicidium, vel ex aqua arte parata, vel ex aquis thermalibus siccandi citra calorem facultate præditis. Pro hepate verò refrigerando linimentum ex cerato santalino cum cichorei, & plantaginis succo, aceti rosati modico superaddito: vsumque frequentẽ conseruarum cichorei, rosarum, & violarum: nec non serum caprinum cum cichorei succo depurato diebus aliquot abundanter sumẽdum cæteris omnibus alijs medicamẽtis iure optimo anteponimus: aquæ enim thermales, vt lucenses vel his similes omnium efficacissimè pro hepate refrigerando citra ventriculi noxam in ægre spirantibus mihi semper valde suspectæ fuerunt, quòd prænimia copia ventriculum distendentes, Diaphragma ita premunt, vt thoracem pro inspirando aere vix dilatare extendereque possit, vnde spirandi difficultas. His omnibus addimus aquæ dulcis lauacrum, quod quidem non solum hepatis, totiusque corporis habitus feruorem compescit, verumetiam vapores tenuiaque excrementa per halytum digerit. Sed hæc opera aggredi non licet nisi præparatis prius, purgatisq; humoribus, pharmacis cacochimiæ, tùm biliosæ, tùm pituitosæ accommodatis. Quæ autem excrementa in toto, & præsertim pituitosa in cerebro accumulabuntur partim pilulis de tribus cum Rhabarbaro, de Hyera cum Agarico, vel cochiis, & aureis simul ad intestina erũt reuocanda, partim frequenti clysteriorum vsu: quibus non obstantibus inurendum erit cauterium in brachio sinistro deriuationis gratia a capite, atque ad intercipiendam materiam, quo minus in pectus delabatur. Interim deriuationis a capite, & a thorace auersionis gratia, non sunt dimittenda Errhyna medicamenta: quale est, quod ex mulsa, & betæ succo paratur, vel ex aqua hordei cum mannæ dissolutæ portiuncula, & maioranæ succo. Valida autem, potentioraque Errhyna hoc in casu ex eo suspecta semper habui, quòd materiam a capite in palatum, & inde in os, & pectus violenter deducere possint: ob eandem quoque rationem Apophlegmatismi hic suspenduntur. Tria autem in hoc secundo scopo explendo non contemnenda præcepta ad purgationem attinentia sunt obseruanda. Primum a validis catharticis abstinendum, ne horum vsu excrementa nimium agitata in thoracemque præcipitata respirationi sint impedimento; licet Auicennas helleborum, & colocintydam in hoc affectu curando recipiat; pauca tamen copia, quòd ipsemet etiã valenter purgantia manifeste reprobet. Alterum non semel tantum, sed iterum atque iterũ clementer purgandum, quoniam chronica est ægritudo hæc. Tertium in paroxysmo ab omni generoso purganti medicamento abstinendum, ne peccantes humores valde commoti, vehementerq; agitati

Aquæ thermales hic suspectæ.

Aquæ dulcis lauacrum.

Redundãtiũ humorum purgatio.

Cauteriũ in brachio deriuationis gratia.

Errhyna medicamenta.

Errhyna valida suspecta.

Apophlegmatismi, hic dãnantur.

Præcepta in purgatione obseruanda.

tati

tati cum præfocationis periculo in respiratoria organa præcipites irruant. Ad firmandos postea pulmones, ne fluxionem è capite æque facile suscipiant (hic namq; tertius erat præseruationis scopus) optimum erit præsidium, si singulis diebus horis saltem quatuor ante prandium terebinthi optimi vnc. octauam, vna cum sulphuris viui aqua violarum sæpius leuigati semiscrupulo deuorauerit. Corroborat etiam mirifice pulmones simulque detergit, & mundificat syrupus paratus ex decocto succi liquiritiæ, Capillorum veneris, seminis fœniculi, & pulmonis vulpis siccati cum saccharo, vel syrupo Myrtino: quo quidem sæpius lambendo vtendum. Dum hęc administrantur, linimento quoque pro vniuerso thorace parandum erit ex Olei Liliacei, & Amygdalarum dulcium vncijs duabus, & butyri recentis vncia vna, cum pinguedinis anseris vncia media, superadditis hysopi sicci drachmis duabus, Croci granis septem, & ceræ modico. Et hæc dicta sufficiant de tribus illis propositis scopis ad præseruationem attinentibus. Quos quidem assequi profecto difficile erit, ne dixerim opus præpeditum fore: quandoquidem affectus temporis diuturnitate vsque adeo est confirmatus, vt in habitum fere commutatus sit. Præterea causæ internæ antecedentes, cerebri nempe insignis humiditas, capitis, thoracisque vitiata figura; nec non hepatis calida admodum intemperantia sunt Illustrissimo Viro connaturales, ergo difficile superari poterunt. His accedit, & indicationum ad pręseruationem spectantium non leuis pugnantia; etenim cerebri, hepatis, totiusq; corporis habitus refrigerantia requirunt, ideo sub frigidiore Cœlo siccioreque aere melius fere se se habet; morbi tamen efficiens causa immediata humor videlicet pituitosus, qui in cerebro in dies cumulatur frigidorum occursu potius augetur. Attamen cum Illustrissimus Patiens Iuuenis sit viribusque valeat si eius obtemperantia, & peritissimi Medici, qui curationi pręest sedulitas, & diligentia minime desiderentur, spero fore, vt vel ex toto vitium hoc tollatur, vel saltem ex longioribus admodum interuallis, ac minori cum molestia accessio in posterum recurrat, eo maxime quod ea hactenus medicatio per generosa pręsidia non fuerit adhibita, quę potuerit, aut penitus affectum hunc superare, aut saltem imminuere. Itaque aduentante vere pręseruationis rationem iam antea explicitam alacriter aggrediendum; & ne quidquam amplius differatur, etiam atque etiam hortor. Et de pręcautionis ratione hęc dicta sufficiant; Quid verò accessionis tempore (si forte fortuna affectus interim recurreret) pręstare conueniat, nunc superest compendio explicare.

Thoraci roborantia medicamenta.

Præsagia.

Aerumnosum sane, ac prorsus calamitosum, Illustrissimum Virum existimo moribus, & litteris, parentumque nobilitate insignem Reipub. Christiani administrationi aptissimum prima iuuentute ita vnius morbi immanitate torqueri, vt ab optimis quibusque rebus ge-

gerendis interdum (quando nimirum Asthmatica vrget accessio) auocetur. Quocirca omni accurato studio eam medendi rationē nūc exquirere debemus, quæ Dei beneficio Illustrissimum Virū ab hac calamitate, & graui seruitute vindicare possit.

Asthmaticæ accessionis curatio in duobus scopis posita.

Duo igitur præcipui sunt curationis scopi (si affectus redeat) vnus, vt destillatio a pulmonibus arceatur. Pulmonum quidem appellatione omnia etiam, quæ in eis sunt vasa, ipsamque asperam arteriam intelligo. Alter, vt iamdiu infarcti pulmones expediantur.

Primum, vt assequamur, primo statim accessionis initio impura excrementorum colluuies huncin modum purganda erit.

Purgans medicamentum.

Rec.	Rhabarbari electi puluerati	scrup. 4.
	Agarici Trochiscati	drach. 1.
	Ligni Guaiaci	drach. mediam.
	Infundantur in aquarum saluiæ, vngulæ caballinæ, & Vini Albi singulorum	vnc. 1. cum dimidia.
	In expressione dissolue Diaphęnici	drach. 2.
	Syrupi de hyssopo	vnc. 1.

Fiat potio, & detur quamprimum signis futuræ accessionis apparentibus. Finita purgatione cerebri excrementa naturali cursu in nares deriuentur errhyno blando. Interim etiam molli Clystere aluus repurgabitur. Deinde ad sistendam è capite in subiectas partes destillationem, ad eamque dissipandam.

Errhynū.

Emplastrū fluxiones sistēs.

Rec.	Ficuum pinguium, fermenti acris	an. lib. mediam.
	Seminis Viticis, & Nasturtij	an. drach. 6.
	Seminis synapis contusi	vnc. 1. cum dimidia.
	Emplastri de Mucilaginibus	vnc. 3.

Misceantur omnia, & addendo Olei Irini, quod satis fuerit, formetur Emplastrum, quod extendatur super corio tenui, atque anteriori capitis parti ad synciput derasum applicetur. Quo etiam tempore ne caput excalfactum humores vaporesque a toto alliciat, atque vt incipiens fluxio a thorace auertatur, frictiones, & vincula extremitatum ex vsu erunt; tumq; cucurbitulæ cruribus, scapulis, & lumborum partibus paulò supra renes, quò diaphragma peruenit, affigendæ erunt. Si autem ne ijs quidem remediis asthmatis accessio impediri poterit, sed eadem, vt ante, aut etiam minor recurrat, curatio tota dirigenda erit ad alterum scopum propositum, nimirum, vt thoracicæ partes leniantur, dilatentur, atque pro viribus, quamprimum expediantur; ac interim si adstrictior erit aluus molli clysteriolo sollicitabitur. In id apophlegmatismi nullatenus contulerint; horum enim parum tutus est vsus, quòd pituitam deducant in os, & fauces, à quibus potius reuellenda. Sed horum loco præscribenda erunt medicamenta ore continenda, quæ suffocationis periculum ob spiritum nimis oppressum arceant. Quorum præcipua sunt, quod Recipit Aquæ hordei vnc. 3. Sacchari vnc. 1. Croci gr. 4. Alterum Oxymellitis simpli-

Auersoria remedia.

Apophlegmatismi suspecti.

cis

cis vnc. 1. & sem. Scyllini vnc. sem. Salis Ammoniaci scrup. 1. Croci gr. 3. Tertium Ammoniaci scrup. 1. Moschi gr. 3. Croci gr. 2. Oxymellitis Scyllini quod satis sit, formentur pilulæ tres, quas degluttiat ex ouo sorbili, vel Recipe Croci scrup. sem. Moschi gr. 1. Succi Ocymi depurati drach. 2. Vini Albi Aromatici calfacti vnc. 4. Fiat potio, & calida detur. Mirifice enim confert ad anhelosos, & suspiriosos omnes. Quo quidem accessionis vrgentis tempore, cathartico vehementi materia non est agitanda, ne largius in pulmones fluat, & suffocet, sed blande sputum prouocare oportet potu ptisanę communis cum saccharo, vel aquæ hordei, in qua elixata sint simplicia pectoralia, qualia sunt, passulæ, pruna dulcia, sebesten, caricæ, strobili, hyssopus, iris, & glycyrrhiza. In id opportunum quoque fuerit thoracem totum illinire, vt se se facilius explicare, atq; colligere ad sputionem queat, hoc sane linimento.

Medic. expediendis pulmonib. accommodata.

Accessione vrgẽte cathartica valida suspecta.

Sputũ mouentia.

Linimẽtũ thoracicũ

Rec.
- Olei Liliacei, & Amygdalarum dulcium an. vnc. 2.
- Butyri recentis. Adipis gallinæ, & anseris an. vnc. 1.
- Muccaginis seminum lini, & fænugræci cum aqua farfaræ extractæ an. dr. 6.
- Hyssopi sicci, Ireos an. dr. med.
- Croci scrupulum vnum, cum cera fiat linimentum.

De victus autem ratione toto accessionis tempore retinenda, nihil dicendum puto: omnibus enim compertum est hanc tenuem, & attenuantem præscribendam fore. Vnum tamen addam, Vino vtendũ tenui, & subdulci, hydromellite, in quo radix enulæ campanæ præbullierit attemperato. Cæterum si quid à curatione derelictum fuerit, id sensim eximetur congrua victus ratione præscripta, & purgationibus singulis anni temporibus accommodatis; Hæc sanè (Deo Optimo Maximo annuente,) impedient ne in pristina mala relapsus (vt ferè solet) sit facilis.

Victus rõ.

Vinũ asthmaticis perutile.

De Stomachi dolore statis temporibus repetente, pro Perillustri, ac Reuerendissimo Abbate quodam Perusino, Consultatio LIV.

EX his, quæ iam iam ex Perillustris, ac Reuerendissimi Abbatis ore proprio accepimus, facile colligere licet veram doloris huius interuallati occasionem in iecinoris feruore, & ventriculi algore sitam esse. Ventriculus enim frigidior iusto ingesta edulia haud perfecte coquit, ex quibus postea suscitati vapores distendentes dolorem hunc ex interuallis quibusdam excitant. Hæc eademque cruda excrementa feruidiori iecori commissa, ac deinceps superassata meatus ad bilis cystim pertinentes ita obstruunt, vt bilis portio, quæ ad proprium folliculum pertingere nequit recurrendo in ventriculum proruat, vnde nausea, & insignis dolor, qui non nisi vomitione, aut ventris deiectione finiri solet. Huic accedit, quod cum in calidio-

Stomachi doloris occasio.

Flatus doloris causa.

Bilis in vẽtriculum prouenta causa duplex.

calidiore iecore bilis copiosior gignatur quam a cysti expurgari tota possit, redundans ea quoquouersum irrumpit, aut effunditur atque ventriculum etiam sollicitat. Quocirca tota vis præseruationis in eo posita apparet, vt in primis corpus diligentissime ab excrementis omnibus expurgetur, subinde immensum illud iecinoris incendium compescatur, simulque ventriculus alioquin frigidus emendetur, neque verò diffidendum est quin huiusmodi propositos scopos consequi liceat quandoquidem, & symptoma hoc ex interuallis recurrens paucis abhinc Mensibus ortum duxit a perpetratis erroribus quibusdam in viuendi ratione sine delectu, ætasque & vires vsque adeò firmæ sunt, vt omnia bona polliceantur; licet indicationum a frigido ventriculo, & calido iecore sumendarum pugnantia nonnihil difficultatis præseferant.

Met. med.

Præsagia.

Nunc quæ medicamenta probem, paucis exponam. In primis igitur, & ventriculus, & corpus vniuersum diligētissime expurgabitur; ad quod agendum, aluus primum lenita melle rosaceo solutiuo, apparandi erunt humores biliosi, & pituitosi simul. Interim sanguis detrahendus erit, quod, & sanguinis copia in Perillustri Iuuene existens, & iecinoris ingens calor ita postulare videantur. Deinde apparati humores phlegmagogis, & colagogis simul blande deturbandi erunt. Itaque nullum mihi tutius medicamētum videtur Rheubarbaro, quod & crudam pituitam, & bilem clementer expurget, obstructionesque mirifice summoueat: quapropter si peracta hac instituta Medicatione bis saltem in Mense bolum ex Rheubarbari drach. vna, & altera specierum hyerę simplicis Galeni Melle rosato soluente paratum deuorauerit: Nulla purgatio tutior efficaciorque deprehendetur ad doloris præcautionem.

Vētris lenitio.

Venæ sectio.

A purgatione verò, ventriculi robur, & iecoris probam concoctionem medicamentum hoc mirifice procurabit.

Ventriculum, & iecur roborantia medicamēta.

Rec.	Cinnamomi electi, Santali citrini.	
	Rosarum rubearum	an. drach. sem.
	Margaritarum electarum, Coralli rubri	an. scrup. I.
	Specierum Diatrion pipereon	scrup. sem.

Sacchari albi dissoluti in aquæ rosarum vncijs quinque. Fiat cōfectio in tabellis pondere duarum drachmarum. Capiat vnam mane ieiuno ventriculo, & per horam vnam ante cœnam. Quibus peractis ad hepatis feruorem remittendum, serum caprinum optime depuratum, adiectis in primo cyatho succi cichorei depurati vncijs tribus, quindecim, vel etiam viginti diebus datum, magnopere profuturum speramus. Quo tempore ne ventriculus detrimētum patiatur, Ceratum ex aromatibus paratum ventriculo vtiliter applicabitur; quemadmodum etiam in hunc vsum aquæ lucēses, vel Porrettanæ de more sumptæ mirum in modum valebunt.

Serum caprinū ad refrigerādū iecur.

Aquæ thermales calido hepati a tēperando idoneæ.

Cæterum quoniam præcautionis magna pars in victus ratione est:

posita, eam, quam peritissimus Medicus Perillustri Viro familiaris præscribet, vt diligenter obseruet, etiam atque etiam hortamur. Hæc pro Perillustris, & Reuerendissimi Abbatis salute proponenda mihi visa sunt, quæ etiam magnopere opto prospera, & salutaria.

De læsa videndi actione pro Perillust. & Nobiliss. D. Carolo Piccardo Gallo Vicecomite, Consult. LV.

A Maximis, & notissimis in Medico negotio exordiendum monet Hippocrates. Maximum, & notissimum symptoma in Perillustri, & Nobilissimo Iuuene est visio oculi sinistri fere abolita; dextri autem diminuta, ac deprauata. Vtrumque morbum consequitur oculi vtriusque in meatu ita obstructo, vt radiorum egressus, & specierum obiecti fere impediatur; magis tamen in sinistro, quam in dextro. Morbi huius causa interior immediataque est humoris præter naturam inter rhagoidem tunicam, & crystallinum humorem concretio in sinistro oculo, in dextro autem huiusmodi humoris in pupilla affusio quædam, nondum tamen concretio facta. Vterque affectus is est, qui a Græcis Hypochyma a nostris suffusio, ab Arabibus aqua, seu pannus a vulgaribus cataracta appellari consueuit. Cuius duæ sunt differentiæ; vel enim causa morbifica humor nempe adhuc tenuis est, & fluxilis, vel crassus tenax, & quasi in membranulā quandam commutatus. Vtramque differentiam, siue potius suffusionis ambos gradus adnotauit Paulus Lib. 3. capit. 22. & Lib. 6. cap. 21. hic suffusionem lenti humoris iuxta pupillam consistentiam; illic verò humorum esse affusionem. Proprium esse affectum hunc, nō autem per consensum ex eo compertum est, quod non ambo oculi simul ægrotare cœperunt, sed vnus tantum sinister nempe: cæterum quoniam vno diu grauiterque oculo laborante, alterum quoque in consensum tandem trahi, & experientia quotidiana, & veterum testimonio constat, haud mirari oportet si alter etiam oculus dexter scilicet nunc consimilem affectum experiri incipiat. Rursus ex visis, quę præ oculis obuersari videntur, vt culices, muscæ volitantes, & tenebrosa corpuscula, quorum assiduitas proprium affectum, intermissio verò per consensum fieri indicat, luce clarius oculos per essentiam laborare deprehendimus. Etenim suffusio per consensum, & ambos, & simul, & æqualiter oculos falsis rerum simulacris illudit, cum remissione etiam, & intermissione, siue eueniant suffusionis accidentia oris ventriculi, aut cerebri cognatione, vt in delirio; siue per consensū cum toto corpore fumis elatis per venas in oculum, eiusq; pupillam opplentibus. Humorem autem totius mali huius proximam causam è cerebro per venas, & partim etiam per opticos in oculos transfundi

A maximis, & notissimis inchoandū.

Morbus.

Causa morbi.

Affectus nomenclatura.

Suffusionis differētia.

Propria suffusionis signa.

Consensus plures in suffusione, Vnde, & qua fluxio in oculos feratur.

indubitanter afferendum. Quod quidem præ nimia eius humiditate a natura comparata, accedentibus vaporibus a calidiore humidioreque hepate sursum assiduo sublatis complura colligit excrementa; quæ & copia, & acri etiam qualitate infestantia eiusdem cerebri expultricem facultatem irritant, vnde fluxit hæc. Humoris sanè acrimonia aliqua ex bilis pituitæ admixtæ portiuncula facile deprehendi potest ex modo deprauatæ visionis dextri oculi paucis abhinc diebus laborare incipientis, quippequod visa omnia citrino colore perfusa illi videantur; talia enim apparent, qualè est medium, per quod species obiecti pertranseunt. Porrò autem causas morbificas interiores antecedentes iam commemoratas iugiter auxerunt errata in sex rebus non naturalibus commissa, vt iuuenilis fert ętas. Nec non prægressa ægritudo satis illi molesta; variolis enim paulò antea laborauit. Addita quoque aeris sub hoc Cœlo Romano insigni humiditate, nunc præsertim maxime vigente ob illuuionem Tiberinam. Cur verò magis ad oculos, quam ad aliam partem fluxio hæc inclinauerit causam in connaturalem oculorum debilitatem referendam censeo nam præterquamquod oculus omnium corporis partium semper infirmissimus est, vt Aristot. etiam placuit 3. Part. Probl. accessit etiam Nobiliss. huic Iuueni maior a natura oculorum imbecillitas, vt eorum magnitudo prominentia, pupillæ amplitudo, venarum in his extuberantia, & visus imbecillitas a primo semine comparata cumulatissime indicant. Quid vero de cura sperandum censeam paucis exponam. Hypochyma, quę oculum Nobilissimi Iuuenis dextrum obtinet, quoniam adhuc incipiens est, per medicamēta dirigentia, vt digeri, superariq; possit, sperandum. Quę verò ad oculum sinistrum spectat curatu difficillima censentur, nam cum immodice concreta, & confirmata videatur, neq; ad digestionem, neq; ad eductionem idonea habetur: verum quoniam ex digiti impressione fusio quędam oboritur, eiusq; figura non nihil immutari apparet, nō vsq; adeo coaluit, quin sperare liceat, vt facta perforatione visus recuperari possit. Illud etiam spem aliquā recuperandi visus per eductionem auget, (vbi tentata prius medicamenta digerentia non contulerint) quod oculo dextro clauso, sinistri pupilla clarior euadit. Et licet oculorum in Perill. & Nobilis. Laborante connaturalis imbecilitas difficilem admodum curationem ostendat, iuuentus tamen, & virium robur multa bona pollicentur: ita vt non in præcipiti, sed in ancipiti casu (quantum ego puto) versemur. Nunc id, quod magis requiritur aggrediar, curationem nempe quæ in quinque præsidiorum generibus est posita. Primi generis medicamenta sunt preparantia, & purgantia cacochymiæ, tum pituitosæ, tum etiam aliqua ex parte biliosæ accōmodata. Huic succedunt prohibentia excrementorū prouentū. Nimirum victus ratio moderate calida, sicca magis tenuis, & attenuās in qua præscribēda illud tantū monebo. Cibi, & potus parsimo-

Humoris peccantis notæ.

Exterio-res causę.

Oculi omniū maxime infirmæ partes

Oculorum imbecillitatis notæ.

Presagia.

Curatio.

1. curationis scopus.

2. scopus.

ſimoniã, aquæ potum, & rei venereæ abſtinentiam maxime exigi.
Quod Gal. ex Archigene præcipit: vnum etiam addo, videlicet Cœ-
li mutationem; nam Cœlum hoc Romanum corpora fluxionibus *Cœlũ Romanũ fluxionũ Auctor.*
obnoxia perpetuo reddit. Reliqua verò ad victus rationem pertinen-
tia tanquam omnib. nota conſulto miſſa faciã. In eundem ſcopũ fe-
runtur medicamenta, tum quæ ſuſcipiuntur, tũ quæ extrinſecus adhi-
bentur, cerebri humiditatẽ, hepatiſq; caliditatem emendantia: quo-
rũ ampla eſt ſylua apud oẽs ſcriptores. Huc etiã ſpectare videtur inu-
ſtum cauterium in cruris dextri interiore parte ſubtus genu ad retra-
hendos vapores quominus in caput elati gignendis excrementis ma-
teriam ſubminiſtrare poſſint. Tertij generis medicamenta vſurpãda *Tertiũ ſcopus.*
eo ſpectant, vt excrementa quorum generatio prorſus cohiberi non
poterit, a capite, & ab oculis ad alias partes, & præſertim ad inteſtina
deducantur: ob id, & clyſteres alternis ſaltem diebus repetiti, & pilu-
læ de tribus cum Rhabarbaro frequenter deuoratæ, vel myrobalano
rum citrinarum, & chebularum ſimul infuſum propinatum mirifi-
cè conducent. Quarto loco occurrunt præſidia fluxioni cõpeſcendæ *Quartus ſcopus.*
opportuna, qualia ſunt auertentia omnia fluxurũ ad oculos humorẽ:
hinc partium inferiorum frictiones, vincula dolorifica lotiones, & cu-
curbitulæ hiſce partibus affixæ interdum cute inciſa, frequentius ſine
inciſione ex vſu maxime erunt: ſed quatuor præcipua afficaciſſimaq;
in hunc finem opera ſine mora præſtanda erunt. Laqueus in ceruice.
Veſicãtia in foueolis paulo ſubtus aures. Inuſtiones tres, vel quatuor Vesicantia
circa ſynciput Hippocratico more: vel harum loco ſinapiſmi, aut hu
iuſce generis medicamentum aliud, quod materiam ab intimis ad
extima euocare valeat. Atque ſanguinis detractio ex vena vtriuſque
brachij communi non ſolum auerſionis, cui nunc incumbimus gra-
tia; ſed etiam vt corpus magis idoneum euadat ad generoſa medica-
menta adminiſtranda propterea opus hoc alijs commemoratis tem-
pore præferendum erit. De auerſione autem, quæ fit per Errhyna, & *Errhynorũ, & apophlegmatiſmatũ cõſideratio.*
apophlegmatiſmata vocata medicamenta ſic ſentio. In oculorũ affe
ctibus licet Gal. Errhynis vtatur, omnes tamẽ Medici recentiores ab
his abſtinendũ putant ne cerebri excremẽta ob partiũ vicilitatem lar-
gius in oculos detrahantur, qua ſane ratione nonnulli etiam grauiſſi-
mi viri ſuſpecta habent maſticatoria. Ego tamen ratione, experimen
to, ac veterum teſtimonio ductus in hoc, & conſimili oculorum affe
ctu vtrumq; medicamenti genus fæliciter præſcribere, atq; vſurpare
ſoleo; ea tamen lege, vt placidiora mitioraque ſine labore trahentia
eligantur. Quapropter, vt Nobiliſs. hic patiens errhynis ex mannæ
modico cũ aqua hordei diſſolutæ frequẽter corpore exactè præpur-
gato vtatur, interimq; ẽt maſticem cum fœniculi ſeminibus & cera in
paſtillũ non admodũ durum ſine labore mandat, maxime commen *Quintus*
damus. Quinto poſtremoq; loco medicamentis omni ſtudio incũbẽ *ſcopus.*
dũ erit, quæ humorum reliquias in toto corporis habitu, atq; in ocu

lis prçsertim digerant dissipentq;. Quorum omnium efficacissimum erit salsæ pariliæ cum santalinis rubris decoctum additis in fine ebullitionis ad tantisper ebulliendum herbis ocularibus, vt eufragia præ cæteris, & chelidonia, quadraginta dieb. de more propinatum, quo tẽpore simul omni industria citra violentiam ciendi erunt sudores, ea tamen diligentia, vt caput ab omni incalescentia deffendatur, simulque vt hora somni vnc. med. conseruæ saluiæ seu betonicæ cũ drach. 1. confectionis humaim a Mesue adeo celebratæ deuoret, magnopere commendamus. Inter ea verò quæ oculis extrinsecus admouētur detergentia nempe, & discutientia maxime commendamus puluerem Sief albi sine opio lacte muliebri leuigatum. Aquam ex pane cum simplicibus ocularibus ex tota farina parato, & ex furno statim educto extracta, atque in oculos guttatim instillata primas etiam in hoc opere obtinet partes. Huic accedit sagapenum aqua rosarum, lacte, & albo oui simul cum saccharo cãdido dissolutum, ossis etiam sepiæ puluis oculo immissus eiusdem aqueos humores mirifice tergit. Quibus malo non cedente valentiora sunt tentanda præsidia, vt quæ ex animalium felle parantur; quorum tutissima sunt omnium fel perdicis, tauri, vel bouis, & apri, ex quibus collyrium optimum parari poterit, vt exempli causa ex fellis perdicis vnius cum dupla portione lactis muliebris, & portiuncula albuminis oui aqua fœniculi sæpius agitati. Quibus omnibus, si vitium non cedat, obserueturque suffusionem ad integram pertinacemque concretionem tendere, aliam tunc temporis medendi rationem iure opus erit, de qua in prçsenti, nobis minime agendum. Hęc autem sunt, quç ex tempore dicenda occurrebant pro reparanda Nobilissimi Iuuenis visione. Quç Deus salutaria illi concedat.

Salsæ decoctum.

Ocularia medicamenta.

De capitis dolore, ac de læsa visione pro admodum Reuerendo Patre Bartholomæo Blondo, Consultatio altera LVI.

QVoniam nullum de prçteritis consilium inire possumus; de prçgressis in proposito laborante nihil dicendum puto; prçsertim cum a Clarissimis Viris, qui ante me dicebant fideliter omnia non minus docte quam eleganter recitata fuerint, & quç preterierunt ad curandi rationem nihil conducunt; nisi quatenus in affectus cognitionem curaturum Medicum ducere possunt. Affectus autem praui, & magni Reuerẽdum admodum Virum hoc tempore sollicitantes duo sunt hiq; notissimi: Hemicrania, seu capitis dolor dextram capitis partem a medio capite vsque ad frontem assidue excrucians. Et oculi sinistri visio vsque adeo imminuta, vt nihil prçter lucem intueatur: dextri autem prorsus abolita visio. Hęmicranam hanc propriam non autem per consensum huic esse, duo manifeste declarant, doloris assiduitas cum remissione quidem interdum aliqua, sed sine inter-

Affectus.

Affectus proprius.

ter-

termissione: nullumque aliorum viscerum vitium vsque adeò insigne apparet, quod caput in consortium tale trahere possit. Non ibo tamen inficias hepar in hoc calidius iusto, & sanguinem in vniuerso corporis habitu calidiorem halytus tanquam materiam, ex qua excrementa gignuntur, ipsi cerebro suggerere; verum hic proprius legitimusque consensus non dicitur. Quòd ex longa etiam patiendi consuetudine affectus iam firmatus sit. Vtrum autem dolor hic exteriores, vel interiores capitis partes obsideat, obscurum videtur, cum vtriusque sortis extent indicia. propterea, vt huiusce rei veritatem assequamur, illud supponendum. Quod affectus capitis, qui omnes ferè sunt symptomata in tres ordines digeruntur; alij enim cerebri substantiam, alij ductus, & meatus per quos spiritus animales à cerebro in sensuum, & motuum organa distribuuntur; & alij membranas offendunt. Primi generis sunt facultatis principis symptomata, vt phrenitis, delirium, melancholia, & huiuscemodi alia: secundi ordinis sunt sensus motusque symptomata, vt vertigo, Epilepsia, apoplexia, conuulsio, paralysis, & eius generis alia. Ad tertiam verò seriem spectat dolor, de quo nunc agimus. Hoc autem symptoma (vt dicebamus) solas membranas, meninges nempe, & pericranium, vt exquisito sensu præditas exercet. Quod autem dolor hic externam membranam, pericranium videlicet offendat, sensu deprehenditur; nam cute ea in parte vel leuiter etiam pertractata, dolor ibi exacerbatur. Internas etiam intra caluariam membranas simul dolore affici non est dubitandum; siquidem, & grauitatis cuiusdam sensus, & auditus visusque organa oblæsa hoc ipsum manifeste declarant. Quibus, & illud accedit, quod inclinato capite doloris, & grauitatis sensus augetur. Addo etiam, quod dolor ad intimas vsque oculorum radices (ægro referente) pertingit, partis capitis interioris affectæ certissimum apud Gal. tertio de Locis affectis cap. 9. Argumentum. Et licet externi etiam capitis dolores eodem persæpe pertingant, quod ad nata membrana oculorum cauum succingens a pericranio deducatur, ij tamen non vsque adeo ad penitiores, profundioresque oculorum radices, atque interni, pertinere dicuntur. Hinc manifestum euadit Galenum iniuste ab aliquibus reprehendi in iam citata sententia. Causam autem exterioris doloris proximam, biliosum sanguinem esse non solum ex doloris partis externæ natura seu specie intelligere facile est, quod acer, erodens, ac perforans sentiatur, verumetiam ex cutis parti laboranti superpositæ rubro citrinoque simul colore cum pustulis eadem in parte eundem seruantibus colorem. Dolor quoque ad tempora, pulsatilis, & venæ oculorum extuberantes, totaque oculi adnata membrana rubore ad flauum tendente sanguinis biliosi copiam clare ostendunt. At si cerebri per nares, & palatum egredientia excrementa diligenter expendamus, crassa nimirum, & pituitosa, quibus sanguinis

Capitis affectus omnes.

Affecti pericranei notæ.

Gal. iniuste a quibusdam reprehenditur.

Exterioris doloris causa.

Interioris doloris causa.

non nihil continuo admiscetur, doloris interioris causam immediatam, humorem pituitosum sanguine nonnihil refertum, citra omnem controuersiam assignabimus. Quod quidem rationi est consentaneum: quandoquidem sanguinis biliosi redundantia hepatis calidam intemperiem consequitur; pituitosus verò humor caloris innati cerebri imbecillitatem, tum ex morbi diuturnitate, immodicis vigilijs, & animi passionibus, tum etiam ex longa inedia comparatam. De capitis dolore satis. Nunc de oculorum affectibus agendum. Igitur oculi sinistri visio, quæ fere perijt nullo apparente in hoc oculo vitio, quod sensu deprehendi possit, nisi quod ob humorum crassitudinem quandam, obscurior nonnihil videtur, symptomatis huius causam immediatam in neruum opticum obstructum, vel quouis modo adstrictum referendam esse persuadet: leuis enim illa humorum densitas visionem prorsus impedire minime posset. Oculi verò dextri omnino obcecati causam neruo pariter optico secundum eius ductum adstricto acceptam ferendam putamus; propterea quod breui tempore trium scilicet dierum spatio citra vllum in eo vitium visionem prorsus amiserit. Nec ab hac suspicione me auocat nebula illa, siue pituitosus humor, cui sanguinis portiuncula commixta videtur, corneæ tunicæ inherescens, licet pupillæ etiam opponatur: quoniam huius humoris adhæsu laborantes non omnino visu priuantur; sed per nebulam, fumum, aut caliginosum vaporem omnia obiecta se intueri putant. At quoniam oculus etiam hic nonnihil opacus cernitur, dubitare quis posset num forte affectus, qui oculi calligo communiter appellatur abolitæ visionis in causa esse possit. Hoc autem nequaquam asserendum arbitramur: quandoquidem, caligo tenebrosa est visio corneæ tunicæ crassefactæ, & nimium densatæ vitio: quod quidem rarum est ex morbo, frequens autem in senectute, in qua membranæ vnguium instar crassescunt: sed visionem non prorsus suspendunt. Quare relinquitur morbum a quo symptoma hoc immediate pendet esse optici nerui adstrictionem, seu etiam obstructionem. Sed objiciet quis, nonne huius affectæ visionis citra vllum in oculis vitium effatu dignum causa, in cerebro, non autem in opticis esse posset? Non equidem: propterea quod, non modo ad oculos, verumetiam ad alios sensus imbecillitas pertineret. Hac sane obseruatione affectæ visionis causa interior peruestiganda. Ex dictis luce clarius apparet oculorum ac præsertim dextri vitium in admodum Reuerendo Viro illud esse, quod Græci (Amaurosin) practicantes verò guttam serenam appellare consueuerunt. His itaque enarratis, affectus præter naturam laborantem hunc sollicitantes vna cum causis, & sedibus affectis se se in conspectum dant.

Oculorũ affectus. *Opticorũ affectorũ signa.* *Oculi nebula.* *Oculi caligo quid.* *Obiectio.* *Obiectionis solutio* *Gutta serena.* *Præsagia*

De futuro autem præsentium malorum euentu ita sentio. Hemicrania hæc, cum, & internam, & externam capitis partem exerceat,

atque

atque a feruido iecinore foueatur, non nisi curatu difficilis iudicari potest; ac præsertim cum ob frigidum, pituitosumque humorem neruos visorios obstruentem, medicamenta eo gradu, eaque mensura refrigerantia vsurpari tutò non possunt, qua calido huic capitis morbo satisfacere valeant. Quòd autem ad neruorum opticorum adstrictionem, seu obstructionem spectat, longa admodum, & difficilis curatio existimanda: tum quoniam crassi viscidique humores neruis visorijs semel impacti, vix excindi summoueriq; possunt, quod & sumpta, & admota medicamenta quantumque idonea eò peruenire vix possunt: tum quia cerebri in hoc laborante calidum innatum quotidianis medicationibus, & studijs violatum, vnde pituitosi humoris prouentus, reparare difficile admodum erit. Nihilominus, & ætas adhuc consistens, & Aegrotantis prudentia obsequentiaque nec non peritorum, & Doctissimorum Medicorum diligentia multa nobis bona pollicentur.

Curandi ratio duo capita complectitur; alterum ad hemicraniam, a qua veluti vrgentiore exordienda curatio pertinere videtur; Alterum ad visionis offensam. *Curandi Method.*

Cephalæa igitur hæc biliosa, nonnihilque sanguinea victus rationem tenuem quidem requirit, non tamē tenuissimam. Naturis enim biliosis hæc est inimicissima Qualitate frigida sit, & humida. Quo victu præscripto, mox antecedens causa reuellatur clystere refrigerante, in quo cholagoga sint dissoluta. Vel potione paulo valentiore, quoniam bilis hic quasi turgens est, & furiosa. *Victus ratio.* *Clyster.*

Deinde secta vena humerali, vel communi brachij dextri sanguis adimendus ad calorem euentandum, simulque ad sedandum dolorem, eius causa nonnihil imminuta. Parce tamen detrahatur, quod eo vacuato, laxatis veluti habenis, bilis excandescat efferuescantque. Interim topica etiam ab initio non sunt omittenda, ea tamen cautione, vt a mitioribus ad valentiora fiat progressus, vt Recipe Olei violacei, Nenupharini singulorum vnc. vnam, aquæ plantaginis, violarum, aceti albi an. drach. duas. Misce pro litu frontis, & temporum Vel Recipe Populei, infrigidantis gal. singulorum drach. 2. Olei Nenupharini vnciam vnam, aquæ rosarum, plantaginis an. vnciam sem. aceti albi drach 2. Misceantur pro consimili linimento. Quod si dolor non cedat ad narcotica parce sumenda, admouendaque confugiendum, reiterandaque erit purgatio cholagogis, apparatis prius humoribus biliosis syrupis, & aquis conuenientibus. Quo tempore frictiones lotiones, & vincula dolorifica extremorum auersionis gratia administrabuntur. Sicque, & cucurbitulæ cum leuibus incisionibus cruribus coxis, & natibus affigantur, vel apertis venis, quæ in sede sunt sanguis detrahatur. Cæterum quoniam vigiliæ laborantem hunc magnopere torquent, pro conciliando somno Recipe Vnguenti Populeonis vnciam semis, Opij, Croci an. grana 3. cum Oleo *Venæ sectio.* *Topica.* *Auersoria auxilia.* *Linimentum.*

Nenu

Nenupharino fiat linimentum pro pulſibus. In eundem vſum etiam dormituro exhibeantur aquæ lactucæ vnciæ tres cum ſyrupi de papauere vncia vna cum dimidia. Illud vnum, quod nunquam fallit, hic addere placet præſidium ad bilioſam cephaleam edomandam. Recipit autem foliorum mollium hederæ, foliorum plãtaginis, violarum an. partes æquales, & cum oxyrhodino terantur, & fronti temporibuſque imponantur.

Syrupus pro conciliãdo ſomno.

Egregiũ præſidiũ.

Stillicidium.

Quod ſi his non cedat malum, caput ſtillicidio ex lacte vaccino tepido de more ſubijciatur; vel ex hydreleo parato ex Oleo violaceo, & roſaceo, necnon ex aqua, in qua præbullierint flores chamæmeli Meliloti Anethi, ſemina fænigræci, lini, & huiuſmodi alia anodyna temperataque medicamenta ſimplicia, quibus addenda ſunt aliqua adſtringentia, & roborantia, vt roſæ, plantaginis folia, & conſimilia, ex Gal. præcepto Lib. ſecundo de Medic. loc. cap. 3. Cum quibus (dolore non cedente) ex interuallis bilioſi humores ſunt purgandi Catapotijs his. Recipe pulueris hyeræ ſimplicis Gal. drach. 1. Pilularum Arabicarum drach. 1. ſem. Trochiſcorum Myrobalanorum Citrinarum ſcrup. 2. & ſem. Rhabarbari drach. ſem. Spicænardi gr. 5. Cum ſyrupo violaceo fiat compoſitio, cuius drach. 1. a cœna per quinque horas deuoretur. Deinde ſubdormiat duabus, vel tribus horis. Ad hæc etiã repetenda erunt medicamenta localia, in quorum vſu cauẽdum omnino medicamentum ex Euphorbio a compluribus indifferenter vſurpatum. Quandoquidem Euphorbium quarto ordine excalfacit, quò fit vt exulceret, ruborem inflammationemque inferat: quapropter Gal. 2. de Med. Loc. in fine tali vtebatur medicamento in Hemicranicis ex frigido pituitoſoque humore. Quocirca medicamenti ex Euphorbio loco, vnum duntaxat nobis occurrit, quod citra calorem, redundantem omnem humorem doloris cauſam ex alto etiam mirifice euocabit. Conficitur autem ex cochlearum carnibus in mortario contuſis, ac ad læuorem redactis cum modico thuris in puluerem redacti, atque cum portiuncula Myrrhæ. Cochlearum etenim caro omnem ſuperuacaneum humorem ab intimis ad extimas euocat, ideoque partes, vel etiam penitiores humore quocunque grauatas omnium valentiſſime deſiccat, vt experientia quotidiana comprobatur. Quod etiam adnotauit Gal. Lib. 11. de Simp. Medic. Dum hæc omnia peraguntur, vt hepatis etiam feruidioris ratio habeatur refrigerantibus potionibus, nec non linimentis frequenter de more vtendum illi erit. Quemadmodum, & ad deflectendos feruidos humores, vaporeſq; a capite ad infernas partes Cauterium in cruris dextri interna parte paulo ſubtus genu excitatum diuq; geſtãdum incredibilem opem allaturum nemo dubitabit.

Pilulæ ꝓbatæ.

Animaduerſio.

Medicamentũ ex alto euocans.

Cochlearũ vires.

Hepatis feruorem emendantia.

Cauteriũ.

Quod ſane remedium licet ad auerſoria, de quibus antea egimus, pertineat, vltimo tamen loco proponere placuit, quod optime ſciam huiuſcemodi Cauteria Reuerẽdo admodum Viro minime arridere.

Sedato

Sedato capitis dolore, a quo veluti vrgentiore curatio exordienda erat, omne studium, & consilium eò dirigendum, vt abolitæ visionis causa, humor videlicet crassus, & lentus neruos visorios obstruens, viamq; visorijs spiritibus intercludēs pro viribus excindatur summo neaturque. Ea propter in primis causæ omnes euidentes erunt prohibendæ mutata victus ratione antea instituta. *Abolitæ visionis causa tollenda.*

Aer igitur verno hoc tempore iustò inclemētior corrigendus erit igne ex lignis Iuniperi in proprio cubiculo suscitato. Somno vtatur moderato, neque vnquam interdiu subdormiat. Et cum exercitio vti minime illi sit concessum, huius loco partium infernarum plures violentioresq; frictiones singulis diebus mane, & vesperi ieiuno vētriculo fiant. Aluus omni Arte lubrica seruetur. Animi motus omnes immoderati, assidueq; meditationes omnino declinentur. Cibi eligātur boni succi facilis coctionis paucorum excrementorum, & qui crassos succos nullatenus ingenerent. Vinum licet moderate sumptū excalfaciat, nihilominus quoniam, & maxime vaporosum est, & citissime distribuitur, ob idq; crudos succos in partem affectam facile transuehere potest dimittendum consulo. Parce quidem edat semper, sed cęna etiam sit prandio parcior. Et a cibis, vel coriandris sacchāro contectis, vel Diacitonio, aut Citri sacchāro conditi, portiuncula vtatur ad vaporum in caput ascensum cohibendum. In summa victus calfaciens, siccans, & extenuans cum mediocritate constanter seruari debet. *Victus ratio.*

Cum hac victus ratione instituta statim aluus subducatur acriori Clystere, mox pharmaco clementer primam regionem expurgante, vt Recipe Diacatholici drach. sex, Electuarij Lenitiui vnciam mediam. Rhabarbari scrup. duos. Misceantur, & fiat bolus horis quatuor ante prandium exhibendus. Deinde apparentur humores pituitosi medicamentis hisce opportunis, quibus modice etiam refrigerantia in calidioris hepatis, totiusque corporis habitus gratiam addantur, vt *Vētris lenitio.* *Humorū præparatio.*

Rec. Syrupi de stœchade, Syrupi capill. ven., Oxymellitis simplicis, an. vnc. mediam.
Aquarum Saluiæ, Betonicæ, Cichorei, an. vnc. vnam cum dimidia.
Misce pro syrupo in Aurora dando. *Præparātia.*

A nono, vel saltem septimo syrupo apparati humores purgentur pilulis cochijs, & de Agarico Mesues simul commixtis, vel fętidis cum Rhabarbari modico. De sanguinis missione, de qua audio a Clarissimis Viris in hac secunda medicatione dubitari, ita sentio. Cum Reuerendus hic Vir biliosa potius cacochymia, quam plethora laboret (quod ad totum corporis habitum spectat) huicque non semel tantum *Purgatio.* *De venæ sectione.*

tum

tum sanguis detractus fuerit in prima medicatione capitis dolorem vehementem respiciente, nulla video in hoc opus esse sanguinis missione ex cubiti vena, sed corpore, simulque etiam capite expurgato, iuberem vt quamprimum frontis vena secaretur; postea angulares venas ab vtraque nasi parte secandas consulerem ad demendam causam antecedentem sanguini commixtam, post hæc cucurbitula occipitio vtiliter cum scarificatione affici poterit. Quam quidem sanguinis ex commemoratis venis detractionem ex Aetij, & Pauli sententia rationi consentiente purgantibus medicamentis ego quoque anteponerem, si vitium hoc a sanguinis copia confertim opticos neruos obstruente penderet. Quod autem a crassorum viscosorumque copia malum hoc proficiscatur ex eo deprehenditur (præter alia signa antea adducta) quod capitis grauitas maxime in profundo iuxta radices oculorum interiores ab Aegrotante assidue persentitur. His peractis capitis pituitosa recrementa validis medicamentis per os, & nares expurgentur; item sternutamentum valido medicamento excitetur, vt humor meatus obstruens vehementi hoc motu auocetur: ob id vomitus etiam vi aliqua excitatus ex vsu erit. Quibus malo non cedente, caput aqua marina actu calida perfundendum, atque ad synapismum etiam ascendere licebit. Interim oculi foueantur spongia aqua marina insuccata.

Frontis, & angulorum venæ sectio. *Per os, & nares expurgatio.* *Capitis lauacrum.*

Collyria. Probantur etiam quammaxime Collyria, primum quidem ex melle, postea ex melle attico cum fæniculi succo. In id etiam omne fel, ac præsertim taurinum cum marrubij succo mirum in modum probatur. Præstantissimum etiam in hunc vsum collyrium conficitur ex croci, & piperis æquis portionibus cum Myrrhæ dupla portione felle taurino, & marrubij succo exceptis. Postremò vitio adhuc pertinaciter persistente setacium vel inustum cauterium in ceruicæ magnopere probo, simulque decoctum ligni guaiaci, & visci quercini cum simplicibus cephalicis, & ocularibus triginta saltem diebus de more propinatum. Tot dicenda occurrebãt pro admodum Reuerendi Viri valetudine reparanda, quibus Deus Optimus Maximus aspiret ex toto pectore precamur.

Setatium. *Guaiaci decoctum.*

De surditate auris sinistræ pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Sarnano, Consultatio LVII.

Affectus. SVrditas symptoma functio videlicet abolita facultatis sensitricis, & proprie sensus auditus in Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali morbum consequitur in via, angustiam nempe seu obstructionem alicuius partis ad aurem sinistram pertinentis, cuius auditus in totum offensus est. Morbi autem huius causam in crassos humores viscidosque ad aurem decumbentes penitus impactos, & cõquiescentes fertur: Hi enim omnium maxime sensus omnes eorumque functio-

Causa interior.

ctiones consopire solent. Huic accedunt, & auris illius, & capitis grauitas pituitosi humoris indicia. Ad hæc cum vitium hoc non sensim, vt morbi ex intemperie, sed confertim consequutum fuerit consuetā antea pituitosi humoris per nares nunc cohibitam excretionem, non aliunde quam ab hoc pituitoso humore profectum esse iure existimandum. De sede autem proprie affecta sic sentio.

Pars affecta. Grauis porrò auditio atque surditas sola magnitudine distantes fiunt, vel cerebro, vel primo audiendi organo, vel auris anfractu, aut læso, aut impedito. Hic cerebrum omni prorsus culpa vacare ex eo intelligitur, quod & functiones principes, & reliqui sensus omnes nullatenus impediuntur. Quod autem mali causa in meatu anfractuoso non sit, sensu deprehenditur; quandoquidem intromisso in aurem laborantem stylo seu specillo, aut auriculari illo cōmuni instrumento, nec caruncula, nec tuberculus, nec vlcus ea in parte inueniri potest. Reliquum igitur est, vt partem in hoc morbo affectam, expansum neruum sensus auditus præcipuum organum statuamus: hoc enim pituitoso humore referto, indeque angustato, & impedito, spiritibus è cerebro distributis via intercluditur, vnde sēsus hic in totum perijt. Cuius quidem morbificæ causæ origo accepta fertur impeditæ excretioni per nares consuetæ.

Prognostica. Quod ad futurum morbi huius euētum attinet; vt quæcunque ab origine, vel paulo post, sed longissimæ, & absolutæ surditates fiunt, nullo remedio superantur, vt recte adnotauit Paulus Lib. 3. capit. 23. ita, & recens, nec etiamnum consumata surditas alterius duntaxat auris, qualis est de qua nunc agimus, curationem sanationemque (licet aliqua cum difficultate) admittit. Vt igitur Illustrissimum, ac Reuerendissimum Virum a præsenti morbo vindicemus, simulque ab imminenti alterius auris surditatis periculo præcaueamus, quatuor remediorum generibus vtendum.

Curationis scopus primus. Primò, causæ morbi euidentes omnes prohibeantur, oportet, vniuersa victus ratione tenui attenuatoria, ac modice calfaciente, & siccante.

2. Scopus. Secundò auertentibus seu reuulsorijs vtendum erit; secta nimirum vena humerali brachij sinistri, cum sine plenitudine pituitoso humori sanguinis nonnihil commisceatur, vt ex per sputum excretis obseruatur. Cucurbitulis etiam cum scarificatione inter scapulas affixis. Necnon setaceo ceruici administrato, aut cauterio, vel saltem auersionis, & deriuationis gratia, vesicatorijs. Clysteribus pariter acrioribus, & chatharticis phlegmagogis per interualla quales sunt Pilulæ Cochiæ, de hyera cum Agarico, vel de Agarico Mesues, prægressa pituitosorum humorum præparatione syrupis idoneis. A qua purgatione, medicamentis, quæ per os, & nares pituitam eliciendo auertunt, necnon, & eis, quæ sternutamenta cient incunctanter agendum erit.

Ter-

3. *Scopus.* Tertiò medicamenta dissipantia, humorumque pituitosorum reliquias per halytum digerentia, simulque caput roborantia ex Galeni auctoritate tertio de Medic. loc. cap. primo administranda erunt, tum sumpta, tum etiam admota. Quamobrem ligni guaiaci secundum artem parati, decoctum triginta saltem diebus, vt moris est, summopere Illustriss ac Reuerendiss. Cardinali profuturum spero. Quo tempore Theriacæ, vel Mythridatij interdum drachma vna, nonnunquã conseruæ betonicæ, aut florum saluiæ vncia media alternis saltem diebus dormituro deuorãda exhibeatur. Interim semel, vel bis etiam in hebdomada lauare caput expediet lixiuio ex vitis cineribus parato, in quo simplicia cephalica siccantia citra insignem calorem præbullierint.

4. *Scopus.* Quarto postremoque ad topica deueniendum pharmaca, quę crassos viscososque humores incidant, ac secent, attenuentque ex quorum numero erit Absynthium cum aqua marina seu salsa decoctũ, ac per arundinem pro fomento adhibitum. Succus etiam hederæ depuratus cum Vino albo potenti instillatus mirifice prodest: oua quoque formicarum contrita atque cum succo cæpe in aurem infusa, quam vetustissimam etiam aurium surditatem persanant: item, & caprillum fel, vel leporis fel recens cum pari mellis portione mixtum, & in cæpe corio tepefactum in aurem immissum, auditum mirifice restituit. Olei etiam ex seminum sinapis guttula vna alternis diebus in aurem instillata mirum in modum conducit. Remedium omnium optimum ac sæpius comprobatum huiusmodi est.

Rec. Aloes — drachmam vnam.
Colocynthidis interioris }
Euphorbij } an. scrup. vnum.

Terantur subtilissime, & cum felle vaccino misceãtur, & fiant pastilli, qui siccati fricentur super cote, & cum succo raphani in aurem laborantem infundantur. Faxit Deus, vt hæc a nobis proposita prospera, ac salutaria Illustriss. ac Reuerendiss. D. eueniant.

De colli vesicæ sectione ad tollendos dolores lythyasi laborantes in reddenda vrina crudeliter excruciantes, pro Perillustri D. Iacobomaria Campanacio Illustrissimi Senatus Bononiensis a secretis maiore Cancellario ad Excellentissimum D. Flaminium Rotam Medicum Celeberrimum,

Consult. LVIII.

Gratiarũ actio. EX Litteris tuis, Vir Clarissime, facile collegi, te magnopere exoptare narrationem aliquam ex propria mea sententia de vesicæ calculis, sumpta occasione ab affectu, cui nunc incumbimus, quo fit vt quantum me ames, quantique meum iudicium facias aperte intelligam. Quapropter quas possum immortales tibi gratias ago, polliceorque

ceorque daturum operam, vt paucos mihi te vno cariores esse magis, magisque in dies certior euadere possis. Ad institutum autem accedo, neque de renum calculis quibus antea Perillustris laborãtis renes obnoxij fuere quidquam dicendum puto, tum quoniam quæ antecesserunt nihil momenti ad institutum, cui nunc alacriter incumbimus habere videntur, nisi vt ad curandi rationem ex cognitis affectibus pendentem conferunt; tum quia isthæc omnia tibi notissima fuisse certo scio, quemadmodum ex litteris tuis accepi laborantem hunc vesicæ lithyasi grauiter cruciari non amplius dubitandum. De quo quidem affectu nunquam hæsitaui ego, vt per litteras Excellentissimo Cucchio, & ipsi quoque laboranti a me ex Vrbe datas vnicuique compertum esse potest. Et quamquam affectus interiores quos Hippocrates obscuros appellare consueuit absente præsertim ægrotante assequi difficile sit: atque inter cognitu difficillimos, lapis in vesica vnus est, isque præcipuus, quod complura pãdat signa alijs vesicę morbis ita communia, vt hunc ab illo affectum vix discernere possit, vel etiam peritissimus in Arte Medicus. Ego tamen doctissimi senis sententia 4. Aphor. Aph. 79. ductus de hoc affectu nequaquam dubitaui, & vtinam in Clarissimi Viri Domini mei gratiam, & commodum Hippocratica hæc coniectura me decepisset quoniam nunc in tot ærumnis non versaremur. Sed in oblatum nunc mihi campum aliquantulum spatiari (quæso) condonetur. Hippocrates ergo Aphor. 79. quartæ sectionis a nullo neque ab ipso Galeno hactenus, vt decet, explicato hanc protulit sententiam. Quibus in vrinis sabulosa subsident, his vesicę calculo laborat. Quam quidem sententiam si ea ratione admittamus, quam interpres Galenus sequitur, falsam prorsus esse ex eo facile constat quod infiniti ferme homines vrinam sabulosam toto eorum vitæ tempore mingere obseruentur, & vnus ex illis sum, citra tamen vllam vnquam vesicæ lithyasis suspicionem, quo fit vt non possim non valde Galenum tantum Virum, & omnes alios post ipsum scriptores admirari, quippequi tanti momenti ad Medicinam faciendam Aphorismum, vel non intellexerint; quod quidem vix adduci possum, vt credam, vel saltem ob aliquam in eo ambiguitatem dissimularint, tota autem propositæ difficultatis explicatio ex illius verbi, sabulosa, proprio significatu palam desumitur: etenim hac voce sabulosa, græce autem psamodea, nil aliud summus Hippocrates intelligere voluit, quam sabulum crassum, cui veluti terra pinguis sit admixta. Hoc est lutosum siue argillosum quid, veluti nariũ muccus matulæ fundo tenaciter inhærescens. Signum sane lapidis maioris in vesica concreti pathognomonicum. Sed quoniam in rebus humanis nihil est perpetuum, mirari non oportet, si interdũ contimili affectu laborantis hoc signo destituantur, quod lapis in vesica sit exiguus, vt in Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Paleotto anno elapso obseruauimus. Causam autẽ huic cænosi excrementi

alias

Quæ præterierunt in ægro inter dũ æstimãda.

Affectus nunc vrgens.

Interiorũ affectuum difficilis cognitio.

Lithyasis verũ legitimũq; signũ ab alijs antea non cognitũ vel dissimulatum.

Galeni interpretatio suspecta.

Aphorismi Hippocratis propria Auctoris interpretatio.

Cardani cōmentū. alias fusiori sermone explicuimus. Difficultatem hanc solus Cardanus intellexit proposuit sed non persoluit. Inquit enim vbi calculi in vesica vel in renibus suspicio sit ad certiorem distinctionem Aegrum equitare, saltare exercerique vehementius suadet. Inde medicamēta lapidem comminuentia exhiberi. Ac dein subsidentia in vrinis inspici, in quibus si arenulæ appareant siue lapidum frusta, lapidem in vesica seu in renibus adesse indicabitur. Si nihil horum appareat omnis calculi suspicio excluditur.

Cardani de lithyasi cōiectura reprobatur. Ingeniosa profectò est hæc interpretatio, sed neque veritati, neque doctrinæ Hippocraticæ consentit; nullibi enim apud Hippocratem assertionem hanc reperies, neque lapidem comminuentia in vesica præsertim existentem atterere, & comminuere semper possunt, quod his durior lapis neutiquam cedat. Adde quod ab hoc vehementi motu, & exercitio maximum imminet periculum, ne homo in maximum vrinæ ardorem incidat. Solis igitur vrinis sabulosis secundum nostram interpretationem, vt vesicæ lithyasis proprijs signis fidendum. *Cur symptomata vesicæ calculo laborantes exerceat.* Etenim vt vesicæ calculus, situ, figura, colore, magnitudine, atque substantia plerumque variat, ita & varia symptomata laborantes tenent. Quorum nonnulla communia sunt eiusdē partis affectæ inflammationi vlceri adnatæ carunculæ, & gonorrheæ galicæ propria tamen calculi vesicæ signa hæc fere sunt. *Lapidis uesicæ signa propria.* Mictio crebra adeo vt, & tandem asiduo meiendum sit, vixque posit vrina cohiberi. Vrinæ fluor interdum repente intercipitur, obuiam quidem impulso calculo. Quo tempore laborantes cacaturiunt. Quod vesicæ ceruici anus consentiat, præsertim si lapis sit maior, tuncque incumbentis grauitatis ponderisque sensus percipitur: vnde difficilis laboriosus, & doloris plenus per salebrosa loca est incessus, atque cum repente laborantes sedendo alterum pedem vehementius concutiant dolorem molestum satis sentiunt iuxta anum in ima pudendi parte moto lapide subiectasque partes premente. Ac tum dolor alias vniuersum pudendi ductum, alias glandem solam affligit hisque acerrimus sub emictionis finem, cum calculis vrinæ cursu incitatus quasi proditurus sphincterem violentius comprimit. Cæterum cum pudendi interior tunica fere coeat cum vesicæ ceruicis interiore pariter membrana, hac affecta, illa quoque compatitur; dolor tamen persæpe acutior in glande, vt in parte exquisite admodum sentiente, (vt tu recte sentis) excitatur. Accedentibus forte etiam paruulis arenulis ea in parte angustiori firmatis, vel etiam vrina sensim tanquam aqua per parietem præter largum eiusdem fluorem glandem interius madefaciente. Præterea vrina alba crassa, & turbida interdumque cruenta redditur, cum calculus grandior iamdiu est in vesica concretus, cuius quidem sedimentum si purulentum, aut narium muccori per simile fuerit certissimum erit lythiasis signum. Assidua quoque pudendi perfrictio, erectioque cum meiendi desiderio, his com-

commemoratis signis adduntur. Sed ecce quam difficilis sit affectus, de quo nunc agimus per propria signa dignotio: nonnunquam enim summæ vesicæ adherescens calculus, & quasi ex illa propendens vix vllum ex iam adductis signis exprimit: proinde obseruamus non rarò laborantes, qui nullo dolore lapidem in vesica diu gestarunt. Quinimò neque digito in rectum intestinum ad explorandum lapidem, neque catheteri intromisso semper fidendum; quippequod lapis hic interdum membrana quadam crassiore contectus suffultusque nullam prorsus sui duritiem exhibet: quæ quidem signa omnia cum modò mitia sint, & obscura, modò seuiora, horumque plurima etiam in cauo, & sordido ceruicis vlcere spectētur, ad vnum tanquam verum, & legitimum calculi in vesica signum ab Hippocrate loco iam citato adnotatum confugiendum.

Quã difficilis sit lythiasis cognitio.

De calculorum causis, tum in renibus, tum in vesica quid sentiam paucis aperiam, omnes fere communiter consentiunt calculi duplicem esse causam, efficientem videlicet, & materialem, hanc crassum lentum viscidumque humorem statuunt: Illam verò renum, vel etiã vesicæ insignem calorem. Quorum neutium perpetuò verum esse ex eo deprehenditur, quoniam vt optime scis, multi calculis laborasse visi sunt, quibus nec renum calida intemperies, nec vllum in humoribus vitium deprehendebatur, quippequi, & optimo temperamento erant præditi, & congrua victus ratione constantissime vtebantur. Ergo præter geminas hasce causas lapidis aut in renibus, aut in vesica, tertiam adhuc causam necessariò concedere oportet, morbum nimirum in conformatione meatuum vrinariorum angustiam quandã natura comparatam. Hinc fit quod affectus hic magna ex parte hereditarius sit. Illud etiam de duabus prioribus causis adductis hoc modo definiendum est, si materia ex qua calculus procreatur tenuis sit, vt interdum accidit, insigni eget calore densante, si verò crassa admodum, & lenta fuerit fere sine calore, vel saltem exiguo sensim cõcrescens in calculum abit. Hęc autem dixisse volui, vt intelligas me neutiquam male sensisse de Clarissimis Medicis Bononiensibus propositi laborantis curationi præfectis, qui hunc lapidem in vesica gestare antea affirmare non ausi sint, tanta est huius affectus symptomatum varietas, & obscuritas. His prælibatis, vt petitioni tuæ aliqua ex parte satisfacerem, ad id quod instituti nostri est nunc venio. Doloris, & alia symptomata quibus perpetuò fere Vir Clarissimus sollicitatur, cum ab vna causa a toto genere præter naturam pendeant, videlicet a lapide eoque grandiore vesicam exercente curatio omnis in iam dictæ causæ amotione posita est. Verum quoniam medicamenta lapidem comminuentia seu atterentia, tum sumpta, tum per siringam in vesicam iniecta, nihil ferme operãtur ob lapidis grandioris duritiem, vnica Chirurgia superest, quæ eam detrahendo miserum ægrotantem a tam grauibus tamque assiduis molestijs,

Lapidis causæ.

Dubitatio circa causas.

Lythiasis morbũ esse hæreditarium.

Calculi materiæ differẽtiæ.

Lythiasis curatio.

ac doloribus pęne intolerabilibus liberare possit, sed cum opus hoc maximum sibi iunctum habeat periculum, potissimum in sene molliori corpore, & cacochimia laborante, iure optimo Clarissimi Viri recusarunt hoc præsidij genus, licet vt ex proprijs literis intellexi Aeger huiusmodi periculum sponte subire non formidaret, ac potius forsitan semel mori, quam certo miserrimam vitam ducere eligeret.

Anceps pſidium nõ contemnẽdum.

Porrò autem cum ex grauissimorum virorum decretis in præcipiti casu magis ex vsu sit ac longe melius pręsidium aliquod generosum licet anceps administrare, quam dimittere Aegrum mori; omnibus ad ægrotantis statum pręsentem, & futurum attinentibus diligenter summaque opera expensis, in eam veni sententiam vt (seruato Hippocratis præcepto) extremis morbis extrema præsidia esse adhibenda, ad ceruicis vesicę incisionem deueniretur;

Vesicæ ceruicis incisio.

ea sane in perinei parte, quę paulo supra pudendum est, parua facta sectione, eo consilio, vt lacerato musculo sphinctere comprimendo constringendoque ori vesicæ ad retinendam vrinam destinato per vulnus iniectum licet paruum admodum, vrina perpetuo inuoluntario sensim præterlaberetur. Hoc enim opere peracto dolores prorsus cessare solent, vt in nonnullis aliis a me fuit obseruatum, ac præsertim in Nobilissimo quodam Sauonense de Rearijs annum agente ni falor 72. qui deinceps fœlicem (aiebat) vitam semper duxit,

Cur celebrata ceruicis incisione in lythiasis dolores cessent.

siquidem in reddenda vrina geminam ob causam dolores excitabantur, tum quoniam vrinę egressuræ impetu calculus quasi proditurus dum dimonetur affectas partes lacerando ingentissimos parit cruciatus; tum etiam quia sub mictionis finem sphinctere musculo se se colligente, & constringente in causa est, vt subiectæ partes nonnihil vlceratæ a duriore lapide premantur vellicenturque. At nunc vtraque doloris causa confertim aperto loco cessat; quandoquidem neque vrina ibi colligitur, sed sensim continuo educitur, neque commemorati musculi compressio adstrictioque amplius locum habet, modo imposita tenui argentea, aut plumbea fistula vulnus apertum asseruetur quasi in fistulam callosam abeat.

Instantiæ solutio.

Neque nostram hanc sententiam illud infirmat, quod assidua hæc vrinæ excretio aliquod ægrotanti negotium facessat: longe enim maius commodum opere hoc Chirurgico ipsi ęgrotãti, quam incommodum comparabitur.

Ars naturã imitatur.

Auct. inuentum.

Profecto cum ars naturam imitari studet, obseruauerimq. ego non semel tm̃ in lythiasi affectis, disrupto ea in parte abscessu sponte nato ob causas iam dictas, dolores molestiasque omnes in vrina reddenda cessare a natura edoctus opus hoc non potui non semper celebrare, nostrum autem nouum hoc consilium qualecunque fuerit, si apud aliquem auctorem modernum huiusce ętatis reperias, scias velim, id totum a me accepisse. Quod quidem eò libentius amplector, quod nõ solum a te doctrina, & experimento insigni viro probatur, sed etiam a Clarissimis celeberrimisq. Bononiensibus: memini enim me annis

elapsis

elapsis in Bononiensi Gymnasio, vbi Anotomiam publicam tu, si recte recordor, administrabas præsentibus Excellentissimis D. Castelio, Vincislao Lazaro, Tagliacotio, Sachio, Enea Vizano, Claudino, atque Cortesio, Beluisioq. & Cucchio Viris in vniuerso terrarum Orbe Clarissimis, presidium hoc omnibus annuentibus proposuisse, nec mihi quis obijciat Holerium in suis scholijs commemorantem Virum quendam, qui aperto vesicę collo quomodo lythotomi faciunt, sperabat calculos comminutos per hanc apertionem tandem egressuros, quandoquidem alio fine operam hanc collaudare videtur nullaq. ratione medicinam facientes hortatur, vt in hoc naturam in finē a nobis propositū imitari debeant. Quod autem non ceruicem propriā, sed parum ante illam secaueris, improbare nec possū, nec debeo suppositis inde difficultatib. a te per litteras mihi significatis. Verum cum vesicæ collo eo modo, quem nos optabamus sectio illa adhiberi non potuerit, mirandum non est si dolores adhuc non cessauerint, quoniā dolorum causę ex vrinę profluuio, & partiū illarum compressione exorientes adhuc nō cessant, sed in posterum forte, vel comminutos, vel sublatos iri minime desperandum, quod Deus faxit. De vrina per communem canalem foras egrediente nulla admiratio me mouet, cum sphinctere musculo integro existente voluntaria illa excretio, vnde dolores irritantur, viget etiam. Nec animum meum vlla ratione suspendit, quod sine vrinæ interdum contactu in glande, ea tamen pars etiam doleat, licet vrina alio tunc feratur; propterea quod vesicæ collo vt antea diximus, consentit exactioriq; sensu pollet. Huic duæ alię accedunt rationes, prima vrina quāuis ita interdum per inflictum vulnus foras egrediatur, eius tamen portiuncula, vt antea fuit adnotatum tanquam aqua per papirum sensim in glandem delata dolorem ibi concitat. Altera vapores acerrimi in vrinæ motu, & commotione per interiores partes in internam glandem sublati nonnihil etiam doloris pariunt. De agendis autem pauca habeo, quę tibi, cui notissima sunt omnia proponam. Quorum triplex erit genus. Primum quidem in anodynis erit positum. Alterum in medicamentis cicatricem vulneratæ parti adducentibus si a te Viro prudentissimo iudicabitur nihil incommodi nostrum hunc ægrotantem fore percepturum? Tertium postremūque hoc peracto (faxit Deus, vt nobis non cōtingat quod in communi adagio est positum dum Romæ consulitur saguntū expugnatur.) De repetenda Chirurgia in vesicę collo parum ante sedem cogitandū erit, si vires suffecerint corpus fuerit egregie prępurgatū ęgerque alacri animo huic medicationi se cōmittere velit. Siquidē si priorem chirurgiā sine periculo expertus fuerit, tanto securius alteram experiri posse credēdum est, quod pars illa inflāmationi, & dolori assueuerit. Ob hanc causam legimus apud Paulum lib. 6. c. 60 habentes lapidem in vesica maiorē, facilius cōsanescere, quouiā his vesicæ collum

Incisio paulò ante vesicæ collū facta.

De agendis.

inflammationi,& doloribus iam aſſuetum eſt:contra verò minorem habentes lapidem,difficilius ſanantur propter oppoſitas cauſas. Hinc etiam obſeruamus,quod aſſueti cuiuis alio morbo,minus eo redeunte læduntur. Quod quidem ijs duntaxat qui in artis operibus diligenter ſunt verſati compertum eſt,licet vix alij id aſſequi poſſint, quos ſi rerum euẽtus huiuſce rei certiores nuſquam reddiderit,vna hæc ſola ratio præter eam quæ ab aſſuetudine deſumebatur,niſi hi admodum duræ ceruicis ſint,facile conuincit;lythotomi in adminiſtrãda hoc in caſu Chirurgia tenacula per iniectum vulnus intromiſſa grandiorem calculũ prompte ac ſine mora apprehendunt conſertimq; extrahunt; modo non vſq; adeo grandis ſit lapis,vt per inflictum vulnus euocari nequeat:minores autem veſicę calculi non ęque facile,nec primo inſtrumenti demiſſi occurſu apprehendi poſſunt,quo fit vt nõ raro vario ferramentorum genere partes proximæ diutius pertractatæ ſummis laborantis cruciatibus vulnerentur. Cũ igitur veſicę lythiaſis curandæ ratio vna ſola ſuperſit in lythotomia poſita,quæ faciliori negotio ijs adminiſtraretur,qui calculos paulo grandiores habent tũ quia doloribus inflammationibuſq; magis ſunt aſſueti, tum quòd calculi moderate grandiores ſtatim opportuno inſtrumento apprehenduntur propter priorem cauſam ab aſſuetudine acceptam,minori ſane periculo Petill. Vir alterã ſectionem in veſicæ collo paulo ſupra anum, vt antea ſtatutum eſt,ſubiturum fore ſperandum,cũ priorem ita feliciter expertus fuerit. Igitur,vt ad primum ſcopum redeam, quẽ quãprimum explere tentandũ, omni ſtudio ac diligentia aduerſus ingentiſſimos dolores anodynis pugnandũ. Qualia ſunt Oleũ Amygdalinũ dulce,Oleum nenupharinum, Oleum papauerinũ,Oleum violaceũ,nec non vnguentũ populeonis,aqua violacea ſępius elotum,quibus omnibus tepẽtibus pubis regionẽ, & perineum illinire opus erit, Inter ea que in veſicã per ſiringam iniciuntur,nullũ accommodatius preſidiũ eſt;lacte vel muliebri,vel vaccino, vel aſinino ſtatim ex vbere emulcto,cui permiſceatur quarta pars Olei papauerini recentis, & tepidi,ne lactis calorẽ innatum extinguat,Oleum etiam Papauerinũ recẽs napo tenui orbiculato impoſitũ,dolorem mirifice ſedat,quemadmodum,& emplaſtrum ex cocto napo in aqua violacea cum Oleo Amygdalino dulci,& butyro recenti paratũ,& pubi admotum. Inſeſſus quoq; ex hydreleo hunc in modũ parato maximi vſus eſſe ſolet.

Morbo cuius assueti minus periclitatur.

Anodyni præsidia.

Incertus.

Recipe decoctionis Altheæ, Maluarum, Parietariæ, Violarum, Nenupharis, capitum papaueris albi cum ſeminibus ſuis, Florum Chamæmeli, Meliloti, fęnugræci, ſeminum lini li. 60. Olei Oliuarum recentis lib. 20. Miſceantur, & bulliant ſecundum artem pro hydræleo. Quibus omnibus peractis, ſi dolores non ceſſent, vel ſaltẽ aliqua ex parte non mitigentur, curationis ſpes tota in vnam breuem inciſionem in veſicæ collo parum ante anum, vt antea diximus, factam conferenda eſt, modo non deliberauerit æger hoſce dolores toto

vitæ

vitæ suæ tempore se patienter compositoque animo admissurum. Quod quidem opus licet prima facie formidabile, atq; periculosum videatur, si tamen ea lege, & cautione administretur, quam antea explicuimus, non est tanto timore plenum: Certum enim est in hoc opere non tantam vim ægrotanti inferri, quanta lithotomi opera tã vario ferramentorum genere præter incisionem in extrahendo calculo inferri solet; quam tamen lithotomiam fęliciter sustinere solent, quoties, vt decet peracta fuerit, & qui in hoc opere pereunt non sectionis causa, sed ob laceratam in extrahendo lapide grandiori vesicam succumbunt. Hæc dicenda in tam graui casu ex tempore occurrebant pro salute Perillustris Viri, quæ salutaria, & prospera illi contingant Deum Optimum Maximum deprecamur. Quæ si non omnibus numeris absoluta tibi videbuntur Zecchium tuum, nunc cum doloribus podagricis maximam luctam agentem excusatum habeas etiam atque etiam rogo.

De insigni gulæ dolore ob deuoratam spinam. Pro Perillustri, ac Reuerendiss. D. Io. Baptista Riccio, Consultatio LIX.

NVncius tuus maxima me tristitia nunc afficit, quippequi mihi significet te insigni gulæ dolore vexari, ob inter prandendum deuoratam spinam illic pertinaciter inherescentem; Sed hoc etiam pręcipue inter cætera me vrget, quod non possum (vt magnopere opto) nunc ad te currere; quod Sanctissimum D. N. febre nunc correptum tantisper deserere nequaquam mihi liceat. Spero tamen auxilijs iam iam præscribendis Deo Opt. Max. annuente te ab hac molestia liberatum iri.

Igitur si spina deuorata in conspectum venerit, Chirurgico Instrumento huic operi idoneo quamprimum detrahatur. Sed si a faucibus ad gulam, vt audio, peruenerit, sine mora accepto vomitorio ex aquæ chamæmeli stillaticiæ vnc. nouem cum Olei amygdalini dulcis vnc. tribus tepido vomitus prouocetur. Quod si huic præsidio non obsequatur, Alumen cum Oleo amygdalino dulci teratur, & gulæ illinatur, linguæque radix digito valde comprimatur; vel carnis vaccinæ frustum filo ligatum deglutiatur: mox molliusculè extrahatur cum quo forte spina egredietur. Quod si caro hæc elixa non sit in promptu, loco huius vel panis bucella, vel lactucæ caulis vsurpetur. Ad idem maxime valet spongia filo circumcirca in orbe illigata, Oleoque Amygdalino dulci illita atq; deglutita: quæ paulò post filo apprehenso retrahi debet; quod quidem si frequenter repetatur, spina tandem spongię impacta proculdubio euocabitur. Quod autem Leonides apud Aetium scriptum reliquit cataplasmata laxantia, quò spina in pus conuertatur, excludendæ spinæ magnopere conferre, non est ab omni ratione alienum, nec adeò absurdum:

Chirurgicum opus.

Alterum præsidiũ.

3. præsidium.

4. præsidium.

5. præsidium.

Leonidis defensio.

quoniam licet puris materia caro sit contusa, & non spina vulnerata, tamen gulę pars a spina, in pusque tandem ea in parte commutata spinam expeditius demittet, quod fortasse Leonides intelligere voluit. Sed quoniã Nuncius tuus me festinat, & remedijs potius quam verbis opus est his paucis ero contentus, quibus (faxit Deus) vt ab hac calamitate quamprimum euadas.

De Vlcere decolore, & duro pro Domino Folcherio Iuuene Germano Nobilissimo, Consultatio L X.

Affectus præter naturã vna cum sede affecta & causa. Indicantia.

VT affectus præter naturam Nobilissimi Iuuenis sensu deprehenditur, vlcus nimirum rotundum, de color, & durum in crure dextro paulo subtus genu ab inusto ea in parte cauterio, quod antea gestabat; ita & vlceris huius causa cum indicationibus curatiuis luce clarius inotescunt.

Duo enim sunt quæ sui ablationem indicant: vlceris nimirum circa labia durities, & vlcus ipsum. Hoc mundificantia, carnem gignentia, & conglutinantia requirit. Illud verò (cui primum incumbendũ) emollientia efflagitat. Qualia sunt Oleum Amygdalinum, liliorum, lumbricorum, & seminum lini. Adeps gallinæ, anseris, anatis, vituli, bouis, & præ cæteris, vrsi, seu leonis. Quibus accedunt Oesypus, Muccillagines seminum Altheæ, fænugræci, & seminum lini, Vnguẽtum Basilicon, aut Dyachilon, necnon Emplastrum de Mucillaginibus: Quod si hisce linimentis vlceratæ parti sæpius admotis, vlceris labiorum durities nõ cedat, omni studio laborandum, vt dura vlceris labia demantur, vel Chirurgia, nouacula nempe, aut inusto ea in parte cauterio, vel caustico admoto. Aut medicamentis erodentibus. Inter quę Mercurij puluis, si vlceris labijs aspergatur maximi vsus erit huic operi, ad hoc ipsum maxime cõducit puluis nobis magnopere probatus. Huiusmodi autem est.

Emollienda Olei. Adeps emolliens. Muccagines. Chirurgia. Erodẽtia medicamenta.

Rec.	Lythargirij.	
	Lapidis Hematitis.	
	Vitrioli Romani	an. dr. 2.
	Præcipitati optimi	dr. 2. cum dim.

Misce, & puluerizentur subtiliter. Cum quibus si congrua victus ratio tenuis, & extenuans præscribatur, præscriptaque a Nobilissimo Iuuene retineatur, lenitaque a principio aluo sanguis ex vena iecoraria brachij dextri detrahatur, medicamentisque cacochimiæ accommodatis corpus vniuersum blande expurgetur, sperandum fore, vt breui etiam temporis spatio ab hoc malo illi potius molesto, quã periculoso liberari possit. Quod Deus Optimus Maximus concedat.

De

De cordis molestia in somno oppressione pro Excellenti D. Lucio de Rubeis, Consultatio LXI.

Cordis oppressionis Excellentem Virum inter dormiendum magnopere infestantis causam interiorem proximamque in flatus a ventriculo ægre concoquente ob eius frigidam intemperiem sublatos, atque in terros vapores ab hepate iusto feruidiore in cor eleuatos, vtique referendam esse putamus. Quod autem symptoma hoc noctu inter dormiẽdum magis suboriatur, inde est, quia calor per somnum ad intima collectus in obuia sibi excrementa valẽtius operatur, vnde & flatus, & melancholicos vapores euocat. Frigidi ventriculi signa (præter alia) sunt, & tarda coctio, & quia plus appetit, quam conficere possit. Iecoris autem iusto calidioris notæ omnes in hoc vno subiecto conueniunt; quas breuitatis causa hic non adducam. *Affectus causa interior, et proxima.* *Cur per sõnum affectus irritetur.* *Frigidi uẽtriculi signa.*

Quocirca, vt Iuuenis hic Excellens ab hac molestia liberari possit, ac præseruari simul ab imminenti periculo, aut syncopis, aut cordis affectus, quem palpitationẽ appellant, necessum est in primis, & congrua victus ratione obseruanda, & medicamentis viscera attemperantibus excrementorum, flatuum, melancholicorumque vaporum generationem inhibere: interimque cor ita roborare, ne peregrinos halytus suscipiat. Quos quidem scopos commode expleri posse, & iuuenilis ætas, & laborantis obsequentia, atque affectus nondum confirmati conditio indubitanter pollicentur. *Indicationes.* *Præsagia.*

Quod igitur ad victus rationem pertinet. Aer omnis inclemens, vitiosisque ventis afflatus pro viribus declinetur. Somnus omni studio concilietur. Corporis exercitationes sint temperatæ, & ante cibum. Aluus singulis diebus sollicitanda, vel molli clystere ex Oleo, & butyro, vel suppositis coriandris duobus, aut tribus saccharo æqualiter intectis. Animi curæ molestæ sollicitudinesque pro viribus vitandæ, omnisque cordis tranquillitas concilianda. Cibi coctu faciles, probi alimenti, paucorum excrementorum, minimeque flatulenti eligantur. Vt cruditates omnes sunt vitandæ, ita & nimia inedia maxime noxia erit. Proinde rarò cœnam amittat, prandium nunquam. Inter prandium, & cœnam nouem, vel saltem octo horarum spatium intercurrat. Quo tempore ab omni potu abstineat. Quod si clamosa interdum sitis vrgeat, aquam potabit, in qua cinnamomi, vel corticis citri portiuncula cum modico saccharo præbullierit. Qua quidem victus ratione hunc in modum præscripta inuiolabiliter obseruanda, vt viscera intemperata, ventriculum nimirum frigidum, & iecur calidum, ad temperationem redigi possint, corpus vniuersum purgandum est medicamentis pituitosæ, biliosæque simul cacochimiæ opportunis. Inter quæ syrupus de Polypodio primũ obtinet locum. Atque interim dum apparantia serapia propinantur *Victus ratio.* *Purgatio.* *Vena sectio.*

secanda erit vena cubiti interna brachij dextri, ex qua septem, vel octo sanguinis vnciæ detrahantur. Absoluta purgatione auersionis gratia a corde, & ab hypochondrijs vna cum melancholici sanguinis euacuatione, sex vel septem sanguinis vnciæ ex hæmorrhoidibus per affixas hyrudines maxima cum vtilitate detrahi poterunt. Hac blanda peracta purgatione omne curaturi Medici consilium dirigendum erit in frigidum ventriculum, & iecur calidum, vt vtrumque vicissim attemperetur. In ventriculi gratiam syrupis stomachicis vtendū erit, quorum præstātissimi sunt syrupus absynthij Romani, syrupus, seu mixta cytoniorum aromatica, & syrupus de mentha, qui etiam syrupi, hepati roborādo sunt idonei, quibus omnibus pręstat Diagalanga per horam vnam ante cibum deuorata, præsertim ad flatus ipsius ventriculi resoluendos zingiberis etiam conditi radix summo mane sumpta mirifice ventriculū firmat. Ad idem valent piperis grana quinque deuorata ante pastum integra, (ne puluerata ad hepar rapiantur) hora vna vel dimidia ante prandiū, vel ante cœnam. Per admota quoque firmabitur ventriculus, vt Oleo de spica, de Mentha, de Absynthio, aut Mastiche. Cum quibus, & aromatibus stomachicis, vnguenta, vel cerata confici possunt: remediorum forma sæpe mutata, ne vni assuefacta natura eius vires contemnat, ab eoque nihil patiatur. Stillicidia huic operi destinata non propono, quod absq; hoc præsidio D. Opt. M. fauente ventriculi vitium hoc sublatum iri putem.

Ventriculum roborantia.

Pro hepatis autem calore infrænando, aquæ thermales ex minera ferrea, quales sunt aqua villensis, aqua ficuncellæ, vel aqua porettana è porettā veteri, quæ in agro scaturit Bononiensi, omnes efficacissimæ censentur: Iecur enim refrigerant, & vt ferreę sunt naturę ventriculum potius roborāt. Quod si ad thermas accedere illi commodum non sit, antequā calores remittantur, seri caprini lib. saltem duas cum dimidia, additis succi cichorei depurati vncijs duabus, horis quinque ante prandium, quindecim diebus continuis alacriter sumat. Vespere autem horis duabus ante cœnam, aquæ dulcis tepidæ lauacro de more vtatur, tum ad euocandos, & per cutim dissipandos vapores melancholicos, tum etiam ad emendandum hepatis feruorem. Quo tempore Ceratum Mastichinum supra ventriculum retinebit. Quibus omnibus peractis, ad dissipandas excremētorum reliquias, simulque ad tollendas hypochondriorum obstructiones, ius galli antiqui ea ratione parat, quam ad melancholiam Arabes præscribunt, maximam allaturum opem non diffido. Interim pro auertendis a corde tetris vaporibus, vlcus candēti ferro in crure dextro paulo subtus genu ad partem internam excitatum, magnopere profuturum, nemo est qui iure negare possit.

Iecur roborantia. *Seri potio caprini.* *Lauacrū.* *Ius galli.* *Cauterium.*

Cæterum pro corde roborando, quod ad alterum duorum præcipuorum scopum pertinet, internis, & externis medicamentis hunc in modum vtendum erit.

Rec.

Rec. Conseruæ Borraginis.
Conseruæ Buglossi.
Conseruæ Rosarum an. vnc. 1. cum dim.
Conseruæ Acetositatis citri vnc. 2.
Specierum Cordialium temperatarum.
Specierum Diamoschi dulcis an. dr. 1. cum dim.
Specierum Triasantalorum dr. 2.
Miuæ citoniorum aromaticæ q. s. fiat Electuarium.

Corroborantia interna.

Cuius media vncia mane, & vesperi duabus horis ante cibum deuorabitur.

Extrinsecus verò Theriaca Vino græco dissoluta cum modico croco cordis regioni illita mane, & vesperi ieiuno ventriculo mirum in modum proderit. Quæ præsidia Deus immortalis salubria reddere non dedignetur. *Corroborantia externa.*

De Auris dextræ vehementi dolore ex interuallis repetente pro D. Carolo Armacioto Nobili Bononiensi,
Consultatio LXII.

DOloris auris dextræ, quo Nobilis hic Iuuenis statis quibusdam temporibus acerbissime sollicitatur, causam internã proximamque calidæ dolentis partis intemperantiæ cum biliosi humoris affluxu adscribendam aperte testantur, tum dolor vehementissimus in profunda meatus auditorij parte, tum calor insignis non solum partis illius, sed etiam totius capitis tum etiam febris dolorem hunc consequens, accedentibus iuuenili ætate calido temperamento, & prægressis causis calfacientibus, a quibus fere semper dolor hic suscitari solet, nullo præterea vitio in meatu auditorio tactui, aut visui noto. *Auris dolor.* *Causa interna.*

Quo circa vt Nobilis hic Vir ab hac molestia præseruetur (præseruationem enim duntaxat a nobis nunc expedit) accessum est in primis, vt victus rationem refrigerantem, indeque causæ morbificæ aduersantem continenter obseruandam eligat, purgationemque per medicamenta cholagoga ab Excell. Medico sibi familiari præscribenda admittat, ea tamen lege, vt dum humores apparantur communis vena brachij dextri secetur amplo vulnere illato, vt halytus calidi promptius exhalari possint, indeque octo seu nouem, plus minusue sanguinis vnciæ detrahantur. His enim prægressis præsidijs hepatis, vniuersique corporis habitus iusto calidioris intemperantia facilius expeditiusque emendari poterit, tum aquæ villensis potu, tum etiam seri caprini depurati cum cichorei succo de more administrati vsu, simul cum balneo aquæ dulcis proxima hac instante æstate: Hepatis enim attemperatione hac, simul cum proba victus ratione, biliosorum humorum, vnde vitium hoc pendet generationi ex arte occursum erit. *Præcautio victus ratio.* *Purgatio.* *Vena sectio.* *Corporis attemperatio.*

Mox

Auertentia medicamenta. Mox his non obstantibus biliosi adhuc humores colligantur, omni accurata diligentia a capite ad partes inferiores erunt auocandi; nimirum frictionibus, deligaturis, lotionibus ex aqua calente, & interdum cucurbitulis sine incisione partibus infernis adhibitis. Nec non repetitis ex interuallis purgationibus cum pilularum Aurearũ, sine quibus, & Agarici omnium simul drachma vna plus minusve. In quem etiam vsum, cauterium (si quid est) in interna cruris dextri parte sub genu insigne emolumentum allaturum esse, nemo est qui ignoret. Interim etiam diuretica cibis commixta non ignobilem vtilitatem afferre posse vnicuique compertum est. Quibus hunc in modum administratis, roborandi capitis per cephalica refrigerantia moderateque adstringentia tam interna, quàm externa ratio habenda erit. *Roborãdi capitis rõ.* Tot autem de præcautionis ratione per compendium dicenda occurrebant. Verumenimuerò ne quid de proposito casu intactum relinquatur, opportunum nunc etiam fuerit sententiam nostram de futuro huius affectus euentu explicare, iugiterque breuem quandã curationis rationem afferre, si forte fortuna dolor repeteret. Quod ad primum attinet cum affectus hic ætati, & laborantis temperamento correspondeat, neque hactenus vlla generosa præsidia pro debellando hoste vsurpata fuerint; non possum non magnopere sperare legitimam præcautionem, si quæ proposita sunt auxilia ad vnguem expleantur. *Presagio.* Quod si ob aliqua commissa errata dolor in posterum vrgeret, præter victus rationem præscriptam, purgationem, & auersionem ad topica remedia confugendum esset. *Topica remedia.* Quorum omnium mox præscribenda efficacissima tutissimaque sunt ad mitigandum dolorem cui quam maxime studendum est.

Rec.
Olei Rosacei Omphacini.
Olei Nenupharini.
Olei Amygdalini dulcis — an. vnc. med.
Succi solatri depurati — vnc. 1.
Misceantur, & omnia simul exacte confusa
sensim in aurem instillentur actu tepida.

Vel Anseris adeps, butyro recenti liquatus cum Oleo rosaceo in aurem pariter instilletur, vel (quod omnium optimum est) oui nuper nati album cum lacte Muliebri, & Oleo rosaceo subactum cum opij granis tribus, & croci tantundem, si tepidum in aurem instilletur mirifice dolorem omnem mitigabit. Quo etiam tempore præhabita purgatione aliqua idonea, & masticatoria, & errhina quoque medicamenta non erunt contemnenda, quemadmodum & ventosæ cum incisione aliqua spatulis affixæ, & ceruici, summopere proderunt inter alia auersionum genera.

Pulcherrima Auctoris obseruatio. Porrò duo hic apud me alicuius momenti silenda non puto: alterum Oxyrhodina valida ab aliquibus, vel etiam grauissimis viris in aurium inflammatione, & dolore imperata in aurem instillanda mihi

mihi semper ex eo suspecta extitisse, quoniam horum vsu periculum imminet ne defluxus humor, & etiam confluens in cerebrum summa cum ægrotantis pernicie retrocedat, idque per neruum auditorium a quinta neruorum coniugatione, & a dura meninge in meatum auditorium profusum, hinc fit quod in laborãte frenitide narcotica medicamenta liquata atque in aures instillata optimo sunt remedio. Alterum, multi medicinam facientes ad demulcendos aurium dolores a quauis causa pendentes indifferenter Benedicti Victorij fauentini Emplastro ex cæpa vtuntur insigni interdum cum laborantibus incommodo, quando præsertim dolor est in principio, & a calido pendet humore. Vbi verò doloris causa frigido morbo accepta fertur, vel inflammatio ad suppurationem tendit, remedium profectò felicissimo cum successu administratur. Idcirco hic describere placet.

Rec.	Cępæ sub ignitis cineribus excoctæ	num. 1.
	Butyri recentis	vnc. 2.
	Olei Chamæmelini.	
	Olei Rosacei	an. vnc. 1.
	Croci	scr. 1.
	Omnia simul confusa, & probe subacta ad formam emplastri redigantur.	

Quod quidem temperate calidum dolenti loco applicetur.

Hæc autem, & præseruationis, & curationis gratia dicta sufficiatn, quorum vtrumque Deus Optimus Maximus concedere non dedignetur.

De hydrocele pro Puerulo quodam de Alberinis Nobili Romano, Consultatio LXIII.

NObilem Puerulum tertium ætatis suæ annum nunc attingentem, hernia aquosa (hydrocele appellatur) duobus abhinc mensibus molestari aperte testantur, tùm partium scrotum implicantiũ, tumor indolens, firmus, non euanescens, tùm obiecta candela cerea accensa, omni alterius lucis intercluso aditu, tumor manifeste pellucens tactuique cedens. *Herniæ aquosæ signa.*

Cuius quidem tumoris causam immediatam, aquosum humorẽ esse in toto scroto contentum, nemo est qui ignoret. *Causa interna.*

Qui quidem aquosus humor non aliunde oriri potuit, quam vel ab imbecillitate vasorum partium scrotum implicantium, vel ab erratis in victu commissis, videlicet ob ingluuiem seu aquosorum edulium immoderatum vsum. Quandoquidem viscera omnia in hoc Nobili Puerulo, vẽtriculus nempe, lien, & iecur, omnino probè valent: ita vt scrotum primario affectu potius, quam per consensum laborare statuendum sit. *Causa mediata.* *Affectus per se non autem per consensũ.*

Pro-

Propterea vt infans hic ab hac molestia vindicetur, necessum est in primis omnia edulia aquosi alimenti illi interdicere, quemadmodum, & potum omnem largiorem. Et licet (scribente Hipp.) victus humidus pueris, sit opportunus, in hoc tamen sumpta indicatione ab vrgentiori, nimirū a causa morbifica, victu moderate siccanti vtendum, eo sane consilio, vt simul cum partium scrotum implicantium vasa roborantibus, aquosi humoris generationem inhibeamus.

Cum hac victus ratione, medicamentis, tum internis, tum externis aqueum hunc humorem discutientibus, digerentibus, & siccantibus vtendum erit. Vt radicis Chinæ decoctum satis dilutum pro potu, vel etiam pro syrupis ieiuno ventriculo propinandis. Interim pars affecta hunc in modum foueatur.

Radicis chinæ decoctum.

Topica pręsidia.

Fomentū.

Rec.	Lixiuij ex vitis cineribus parati	lib. 1. cum dim.
	Cimini	vnc. 1.
	Petroselini.	
	Apij	an. dr. 2.
	Salis communis	lib. mediam.

Bulliant insimul, & in fine ebullitionis adde ad ebulliendum Vini albi potentis lib. mediam pro fotu parti affectæ sæpius adhibendo, vel Cataplasma paretur ex stercore vaccino recenti, & tertia parte pulueris boli armenæ. Ad idem maxime valet, & mihi valde probatum est cataplasma nunc describendum.

Cataplasma.

Rec.	Stercoris capræ	vnc. 1. cum dim.
	Cochlearum cum suis testis contusarum	vnc. 1.
	Cimini puluerati, sulphuris puluerati	an. dr. 2.
	Misce, & fiat cataplasma parti laboranti applicandum, & sæpe remouendum.	

Cataplasma alterū

Quod si hisce, & consimilibus remedijs non cederet malum hoc (quod tamen omnino cessurum speramus, quod affectus non sit vetustus, neque malo corporis habitui iunctus) Punctione cum Phlebotomo, vel sectione tandem vtendum esset. Cuius quidem operis modum, & rationem in posterum (si opus erit) explicabimus. Hæc autē paucula adducenda videbantur pro liberando proposito puerulo ab hac molestia, quæ faxit Deus vt prospera illi succedant.

Præsagia.

De insigni capitis tumore præter naturam. Pro nuper nato Infantulo de Serlupis Nobili Romano, Consultatio LXIV.

Affectus.

CApitis tumorem præter naturam insignem quo infans nuper natus afficitur, Hydrocephalum nempe ex aqueo humore inter cutem, & caluariam contentum, complura indicant, tumor in dextera capitis parte vsque ad frontem productus turgidus satis, prementibus digitis cedens, & aliquando indolens interdum dolens, quod digitis presso tumore, infantulus interdum cruciari videatur, aliquando

Hydrocephali signa.

do minime, mollis, & concolor. Quæ quidem non solum affectũ, sed & sedem affectã, & causam internam proximã cumulatissime osten dunt. Cuius quidem tumoris causa externa, vel obstetrici infantis caput parum dextre tractanti, prementique vnde humor aquosus ob meatuũ raritatem in spacium hoc resudauerit; vel eius matri quippe quæ dũ vtero gestabat, ac præsertim duobus vltimis Mensibus frigidiorẽ, humidioremq; victum retinuerit, haud dubie accepta fertur. *Causa externa.*

Quare cum omnium inflationum curandarum ratio expostulet, vt quod præter naturam est vacuetur, in quocunque id contineatur humor aquosus inter caluariam, & cutim conceptus, vt amputetur primum indicat. Interim, ne noua materia, aquosus nempe humor cumuletur cumulataq; tumorem hunc augeat, victus ratio congrua, causæ nempe morbificæ aduersa, Nutrici est imperanda, parsque affecta pro viribus roboranda. *Indicationes.*

Quos quidem scopos assequi non admodum fore difficile arbitror. Etenim materia morbi huius causa non intra, sed extra caluariam continetur, & quæ prementibus digitis non vsque adeo contumax apparet. Quod quidem vt quamprimum obtineatur, victus Nutrici moderate tenuis, ac calfaciendi siccandique facultate præditus continenter obseruandus imperetur. Proinde a fructibus, a piscibus, a leguminibus, ab herbaceis, & frumẽtaceis edulijs abstineat: Carnes elixæ non reprobantur, quod pueri victu humido gaudeant; sed assatis frequentius illi vtendum, Vino vtatur oligophoro aqua limphato, in qua radicis Chinæ portiuncula cum coriandris præbullierit. Vrinam, & aluum moderate subducentia (modo cathartica non sint) & nutrici, & infanti maximi vsus erunt, quemadmodũ, & moderatum exercitium ante cibum, atque præ cæteris a cum Viro congressu, vt abstineat etiam atq; etiam hortamur. *Præsagia.* *Victus rõ nutrici imperanda.*

Victus ratione hac forma præscripta, medicamentis absumentibus aquosum humorem, simulque etiam affectam partem roborantibus vtendum. Vt sunt fotus, linimenta vel etiam Emplastra. Huiuscemodi.

Capitis irrigatio.

Rec. { Rosarum rubearum, furfuris, meliloti an. man. 1.
Florum Anthos, florum chamæmeli.
Saluiæ, Betonicæ, stæchados an. pug. 1.

Bulliant in sufficienti quantitate lixiuij dulcis ex vitis cineribus parati addita Vini austeri quarta; Quodquidem decocto modicè calente infantis caput singulis saltem octo horis irrigetur quinque vel septem diebus continuis. Dein

Linimẽtũ cephalicũ.

Rec. | Olei Chamæmellini, Olei Anethini an. vnc. 1.
Pulueris Absynthij, Pulu. Ros. rub. an. dr. 6.
Sulphuris exacte puluerati vnc. med.
Ceræ quantum sufficit, & fiat linimentum, quo ter in die naturali caput infantis liniatur, & lana succida obtegatur.

Interposito interdum præscribendi nunc cataplasmatis vsu. Recipit autem mellis lib. mediam, Origani manipulum vnum, salis communis vnc. mediam cum modico Vino austero, & Croci granis quatuor, vel quinque fiat Emplastrum capiti infantis de more adhibendum. Quibus exploratis præsidiis pro roborando magis capite. Recipe Castorei optimi, Rutæ an. drach. vnam. Nucis Moschatæ, Caryophyllorum, Galangæ an. scrup. vnum, Moschi gr. 6. cum succo Maioranę, formetur pomum infantis naribus sæpe admouendum.

Emplastrum.

Pomũodorandum.

De Chirurgia nihil proponendum duco, quod tumorem hunc præsidijs præscriptis ex Arte administratis omnino cessurum putẽ. Verumenimuero quia de futuris contingentibus nulla est determinata veritas, si punctione, seu incisione pro educenda aqua opus esset, aqua sensim ac paulatim, non autem tota simul continuo euocetur, ne infantis vires deijciantur.

Cautio in uacuatione habẽda

Quam quidem cautionem in omni conferta vacuatione obseruãdam Hippocrates suppuratorum, & aqua intercutem laborantium exemplo, omnes confertas vacuationes noxias, imò lethales esse innuens Aph. 6. Aph. 27. ostendit. Hæc autem pro salute propositi infantis dicenda occurrerunt; Quibus Deus immortalis aspirare non dedignetur.

De Veneni epoti suspicione pro Iuuene Nobilissimo Germano, Consultatio LXVI.

QVoniam nihil in Arte Medica est adeo firmum, quod controuersijs obnoxium non sit; haud quaquam mirãdum est, si apud Clarissimos Viros qui ante me dixerunt controuersum sit num symptomata varia, quibus Nobilissimus hic Iuuenis statim ab assumpto cibo acerbissimè tractatur, sumptum venenum, vel quempiam morbum alium sequantur. Sumpti veneni argumenta hæc adducuntur, Iuuenis hic animo, & corpore antea sanus, nunc statim ab assumpto prandio in grauissima incidit symptomata. Ergo ex veneno epoto ex Gal. Doctrina sexto de Locis affectis cap. 5. Symptomata autem hæc sunt; nausea assidua, ventris insignis grauitas, inquietudo, anxietas, & (ipsomet Aegrotante referente) cordis morsus. Adductum argumentum non concludere ex eo demonstratur, quod symptomata hæc non sunt propria epoti veneni signa: quippe quæ aliunde suboriri possint, vt ab erratis in victu; quod quidem in proposito casu maxime locum habere videtur. Quandoquidem, & ex assistentium relatione, & ex ijs, quæ ex ipsiusmet ægrotantis ore iam iam accepi, satis constat Nobilissimum hunc Iuuenem in hodierno conuiuio cum sodalibus compluribus sibi prębibentibus in ciborum, & potuũ diuersorum, tùm quantitate, tùm qualitate multum deliquisse. Quare vt libere dicam quid sentiam, commemorata isthæc symptomata

Argumẽta sumpti veneni.

Argumẽtorum solutio.

Cõmemoratorum symptomatũ causa.

non

non aliunde proficiſcuntur, quam ab aſſumptis cibis, & potibus largiori copia, quam ventriculus ſuſtinere poſſit. Qui quidem aſſumptũ cibum, & potum arctè amplecti, ac atterere, atque tractare ſolet, donec in perfectam Chyli ſubſtantiam redegerit. In quo quidem opere, vbi obiectum eius vires præ nimia copia ſuperet, mirum in modũ defatigatur hinc fluctuationes in ventre, acidæ eructuationes, nauſea, inquietudo, anxietas, atq; etiam cordis paſſio, ob maximum cordis cum ventriculi ore conſenſum. Ergo non ab epoto veneno (quantum mihi aſſequi licet) ſed ab immoderato cibi, & potus vſu ſymptomata hæc ortum ducunt.

Præterea epoti veneni ſigna ex Gal. ſexto de Locis affectis cap. 5. & Aetio Lib. 17 cap. 47. magis propria ſunt, ſingultus, ſitis continua, ſyncope pulſus defectio, cordis veluti tremor, febricula, manuum digiti, & vngues nigreſcentes, quòd venenum cordi ſemper inſidietur, & vngues ex a corde euaporationibus gignantur, necnon ventriculi, & inteſtinorum morſus, quos malignos dolores appellabat Gal. ſexto de Morbis vulg. ſec ſexta Cõment. 5. Quorum quidem ſignorum cum nullum in propoſito laborante legitimum obſeruetur, omnis deuorati veneni ſuſpicio excluditur. Sed vos (Viri Celeberrimi) rogatos volo, vt verba hæc mea non moroſè, ſed amice obaudiatis. *Sũpti veneni ſigna.*

Quibus hunc in modum conſtitutis vnicuique compertum eſſe poteſt vomitum in Nobiliſſimo Iuuene quamprimum eſſe prouocandum hoc nimirum vomitorio. *Curandi ratio.*

Vomitorium.

Rec.	Butyri recentis	vnc.	2.
	Olei Amygdalini dulcis	vnc.	4.
	Seminum Raphani in puluerem redactorum	dr.	1.
	Aquæ ſtillaticiæ florum chamæmeli	lib.	1.

Miſce, & potio hæc tepida propinetur.

A vomitu duabus vel tribus horis ad educendas inconcocti cibi reliquias aluus ſubducatur hoc clyſtere.

Rec.	Decoctionis carminatiuæ	lib.	1.
	Mellis Roſati ſolutiui	vnc.	3.
	Olei chamæmelini.		
	Olei rutacei	an. vnc.	2.
	Hyeræ compoſitæ	vnc. med.	
	Cum ſale, & vitelo oui fiat clyſter.		

Ab iniecto clyſtere capiat vnciam vnam ſyrup. de Mentha, cum vncia vna, & media Miuæ cytoniorum aromaticæ. Deinde ventriculi regio illinatur Oleo de Nuce Moſchata, eo ſane conſilio, vt ventriculus iam exinanitus aliquantulum firmetur. Cœnam dimittat, ac ſomnum procuret, quod ſi vigiliæ eum detinerent hora noctis tertia, aut quarta Theriacæ nouellæ, drach. vnam deuorabit. Quibus paucis adminiſtratis præſidiis dubitandum non eſt Iuuenem hunc Nobiliſſi- *Ventriculum roborantia.* *Preſagia.*

mum ab hac molestia liberatum iri. Morbi enim ex repletione pendentes, vacuatione seu innanitione tolluntur.

De varijs, grauissimisque symptomatis ab esu fungorum subortis, pro Perillustri D. Marcoantonio Maximo Nobiliss. Romano, Consultatio LXVI.

Dubitatio

DVo in proposita Consultatione in dubium vertuntur primum, num symptomata Nobilissimum hunc Iuuenem acerbissimè fatigantia ex epoto veneno, vel ex fungis deuoratis in hodierna Mensa originem ducant; Alterum, an expediat quamprimum vomitorio aliquo medicamento vomitum in Perillustri Iuuene prouocare. In qua quidem controuersia de rebus ad theoriam spectantibus disputationem in alium locum seruandam consultius esse existimo; quod casus vrgeat, & occasio sit præceps. Quapropter quid nunc agendum, hic primum expediendum puto, nimirum vt sine mora non solum vomitorijs, sed etiam lenienti clystere aliquo, superne, inferneque deuoratos fungos euocare studeamus. Quod quidem securius multo, atque facilius futurum non diffido. Dum autem hæc in Nobilissimi Laborantis valetudinem ex communi omnium consensu administrantur, propositas quæstiones pacato, placidioreque animo soluere nobis licebit. Pro quarum quidem solutione binas determinationes nunc afferam.

Quid agēdum.

Quæstionis solutionis.

Prima nemo est tam contumaci, ac præpostero ingenio natus, qui inficietur nauseam, singultum, ventriculi morsum, cordis anxietatē, & animi deliquium cum sudore, & partium extremarum refrigeratione, necnon inquietudinem indeficientem, statim fere a cibo suscitata symptomata in subiecto hoc præsertim natura saluberrimo, vel epoti veneni, vel cibi alicuius venenati sumpti quasi certissima esse indicia: Ob id tamen Nobilissimum hunc Aegrotantem venenū bibisse, coniectura non conuincit: quandoquidem a fungis venenata fortassis qualitate conspurcatis, quos in prandio auide deuorauit symptomata isthæc originem duxisse nemo est, qui negare possit.

Obiect. solutio.

Neque obstat, quod a Viro doctissimo obijcitur, videlicet fungos quos comedit, fuisse Boletos, quippe qui ex Galeno lib. secundo de Alim. fac. inter fungos belle in aqua elixati, propè accedunt ad cibos insipidos, ideoque omnium fungorum ij minimum sunt noxij: etenim, & largiori copia, & non probe elixi deuorati, os ventriculi præmunt, grauant coarctantque: vnde, & respiratio difficilis, & cordis passio per sympathiam, quam cum ore ventriculi maximam obtinet cor ipsum. Quo quidem affecto, & animi deliquium, & symptomatici sudores, & praua omnia symptomata suscitari posse vnicuique satis compertum est. Vnde mirandum non est, si Hipp. ventriculum

Ventriculus mari æquiparatur.

lum mari æquiperare solet, quod viscus hoc vitia sua omnibus corporis partibus communicet. Præterea non desunt etiam, qui Galenum boletos fungos laudantem morose potius quam amicè calumnientur, cum ipsemet Lib. octauo de Simplicium Med. fac. scriptũ reliquerit fungos omnes frigidos admodum, & humidos esse, proindeque ad deleteriam enecantemue facultatem proxime accedere. Vtut sit. Boleti, vt & alij fungi omnes, multis de causis venenosi gignuntur, vbi videlicet clauus ferreus, in quo rubigo sit, aut panni marcor adfuerit: aut si iuxta serpentis cauernam, arboresue quæ noxios priuatim pariunt fructus erumpant. Quemadmodum adnotabat Dioscorides Lib. 4. cap. 78. Ea propter omnium commemoratorum symptomatum Nobilissimum Iuuenem seuissime fatigantium causam non aliunde prouenire quam a fungis, & largiori copia maleque paratis, & fortasse etiam venenatis in hodierno prandio comestis. Altera determinatio hæc est, quod licet, (vt Doctissimus Vir opponebat) euacuatio ingestorum fungorum vomitu ipso, ex eo suspecta videatur, quoniam venenata materia ad os ventriculi male affectum trahitur; nihilominus quoniam tracta illic nõ persistit, sed confertim emittitur; plus vtique commodi ex hoc opere, quam incomodi laboranti comparatur. Quo sane consilio in dysenteria etiam per ventrem purgatio conceditur. Quid amplius? iam demum intelligitis a perito assistente quod Nobilissimus hic laborans a præscripto paulo ante vomitorio epoto, satis perbelle euomuit, & a vomitu symptomata omnia continuo longe imminuta videntur. *Alterius obiectionis solutio.*

Propterea sum in sententia, vt aliud vomitorium quamprimum repetatur, deinde a vomitu clyster inijciatur, vt vniuersa venefica materia, superne inferneque prorsus extrahatur. Mox ventriculus tanquam pars primario affecta, & cor secundario, omni studio roborare oportebit. *Curãdi ratio per proprias indicationes.*

Idque facile assequemur medicamentis partim sumendis partim etiam extrinsecus admouendis. Curationem hanc ex voto successurum tum ob multa alia, tum præsertim ex symptomatum solo vomitu vno remissiore facile deprehendimus. Sed iam ad opera accedamus. *Præsagia.*

Vomitorium.

Rec. { Iuris pulli gallinacei pinguis vnc. 9.
Succi Raphani depurati vnc. 3.
Butyri recentis eodem iure calente liquati vnc. 2.
Misce, & tepida tota hæc potio propinetur.

Clyster.

A vomitu clyster inijciatur ex decoctionis carminatiuæ, vel iuris, cuiusuis sit carnis, lib. vna, cum Olei rosacei vncijs quatuor, & mellis rosati vncijs tribus, Tripheræq; persicę, vel Theriacæ drach. duabus, cum sale, & ouo fiat clyster. Pro roborando ventriculo. *Ventriculum roborantia.*

Rec. | Syrupi de corticibus citri.
| Syrupi de Mentha.
| Miuæ citoniorum aromaticæ an. vnc. 1. cum dim.
| Specierum Aromatici rosati drach. med.
| Misceantur, & tertia pars exhibeatur duabus horis ante prandium.

Ab assumpto liquore præscripto, inungatur ventriculi regio, vel Oleo caryophyllorum, vel ex Nuce Moscata.

Corroborantia. Interim cordi, perinde atque parti secundario affectæ roborando studendum erit, tùm epitematibus cordialibus temperatis tum illitione ex Oleo de corticibus, aut floribus citri, tum etiam (quod omnium maxime probo) Theriaca Vino albo potēti dissoluta addito citri succo nouiter expresso. Quo tempore confectis Diacynthos drach. vnam deuorabit horis quatuor ante cibum tribus diebus continuis. Deinceps duobus sequentibus diebus, si tribus vel quatuor horis ante prandium Theriacæ optimæ drach. vna, cum Vino albo potenti dissoluta trium, vel quatuor vnciarum mensura, & vncia vna cum dimidia succi citri vtatur, omnia votis responsura non dubitamus. *Victus rō.* Præsertim si toto hoc tempore victus rationem congruam a Clarissimo Viro illius curam gerente præscribendam firmiter retinuerit. De Chirurgicis auxilijs nihil in præsenti dicendum occurrit, nullam enim mittendi sanguinis occasionem video. Verumenimuero si symptomatis omnibus sublatis, calor quidam præter naturam hunc molestaret, vnde inflammationis periculum immineret, tunc *Venæ sectio.* præcautionis potius, quam curationis causa, sanguis e vena iecoraria brachij dextri vtique mittendus esset. Atque de his hactenus, quæ vt votis respondeant Diuinum auxilium imploramus.

De suspecta sterilitate pro Nobilissima Muliere Romana, Consultatio LXVII.

Quæstiono mine improbanda. QVando de verborum proprijs agitur significatis, siue de verbo controuerso probatorum Auctorum vsus seruetur, quod grammaticorum est, siue ornatus, Rhetorum, siue significati natura, & genus in decem primis rerum omnium generibus (prædicamenta vocant) communibus iuxta conuenientiam differentiamve, quod est Dialectici: Vtut sit constat, ad scientiam, in qua de rebus agitur non attinere: ea propter disputationem a Clarissimis Viris nunc propositam, videlicet de sterilitatis nomine intactam relinquam. De nominibus enim minime disputandum monet Galenus, modo rem ipsam assequamur. Nihilominus num Nobilissima hæc mulier, quæ biennium tantummodo Viro copulata adhuc non concepit, sterilis proprie appellanda sit paulo infra exponam.

Certe lectissimæ fœminæ affectus, de quo nunc agimus, actio est

læsa, abolita nempe facultatis conceptricis ipsius vteri. Cuius quidē symptomatis causæ variæ ab Auctoribus, ac præsertim ab Arist. 2. de generatione animalium c. 5. numerantur. Quib. omnib. prętermissis, meminisse satis fuerit vteri humiditatis laxitatisq. seu leuitatis secundum interiorem eius partem: vnde omnem huius vocatæ sterilitatis occasionem præstitam fuisse iure optimo suspicandum. Cuius quidem sterilitatis causæ inter reliquas, Hipp. & Gal. Aph. 5. Aph. 62. meminerunt. Hanc autem insignem vteri humiditatem leuitatemq. testari possunt, & menses tum copiosi, tum tenuioris substantię, & loca muliebria, quæ semper madent, vt ab huius Nobilissimæ Iuuenis Viro, & ab obstetrice iam iam nobis relatum fuit. Quo fit etiam, vt non multum post cum Viro congressum, semen ex vtero decidat: ita vt cum nullum aliud vterini vitij signum animaduerti possit, totam impedimenti huius causam in vteri interiorem superficiem humidiorem leuioremque iusto referre necessum est. *Affectus causa interna.* *Signa.*

Quapropter, si Clarissimam hanc fęminam fæcundam reddere cupimus, operepretium est in primis corpus eius ab omnibus redundantibus excrementis expurgare, eo sane consilio, vt medicamenta tam interna, quam externa laboranti vtero siccando roborandoque destinata tutius expeditiusque administrari possint, quod quidem, vt obtineatur, non admodum difficile futurum arbitror. Quandoquidem licet affectio hæc ascititia non sit, sed illi connaturalis, vt à Clarissima eius Matre patefactum nobis fuit, nihilominus quoniā, iecur, ventriculus, cerebrum cæteraque omnia alia viscera ita bene valent, vt neutiquam formidandum sit fore, vt a toto, vel ab aliqua corporis parte peregrina vitiosaque excrementa ad vterum præcipitari possint. Huic accedit, quod humidæ cuiusuis partis intemperantiæ facilius corriguntur, quàm siccæ. Præter hæc duo alia sunt, quæ huius susceptæ prouinciæ prosperum, fœlicemque successum pollicentur: iuuenilis ætas, habitusque totius corporis, quo egregia hæc fæmina donata est pulcherrimus saluberrimusque. Ita vt si commemorata iam argumenta futuræ fæcunditatis spem non leuem nobis promittunt, lectissimam hanc fæminam nullo modo sterilem proprie appellandam esse statuimus, quod (vt inquiunt Philosophi) a priuatione ad habitum non detur regressus. Meam etiam opinionē hanc, illud confirmare potest, quod nulla adhuc explorata sunt præsidia vtero exiccando roborandoque accommodata: (quinimo, vt ex propositæ Nobilissimæ Mulieris matre nuper accepimus) ab ineunte ferme ætate nullam vnquam limitatam vitæ rationem obseruauit, ita vt non tantum putatæ sterilitatis causam internam criminari nobis liceat, quantum & errata etiam externa; quibus sublatis, facilius erit assequi quod intendimus. Omni igitur studio proposito operi incumbendum, non modò fæcunditatis, (cui primum insistimus) verumetiam salubritatis causa: quippequod (scribente Hippo. *Indicatio curatiua.* *Pręsagia.*

in lib. primo de Morbis muliebribus) fæminæ, quæ nunquàm peperunt aliis multo grauius ægrotare solent. Quare hoc tempore, instante nempe vere, vt medicationem præscribendam aggrediatur etiam atque etiam hortor.

Victus rō. Præscripta igitur victus ratione tenui, attenuante atque moderate siccante neque admodum calfaciente, ab excellenti Viro Nobilissimæ mulieris curam gerente limitanda. Quamprimum serapia pi- *Purgatio.* tuitosos humores apparantia de more exhibeãtur, vt apparati phlegmagogis facilius expurgari possint. Hac lege, vt a tertio, vel quarto serapio cubiti dextri vena iecoraria secta, octo vel nouem sanguinis *Venesectio.* vnciæ detrahantur, vt, & purgãtia, & alia administranda medicamenta altius penitiora vasa subire possint. Aluo lenita prius vel molli clystere, vel leniente blando pharmaco.

Mox ad medicamenta vterum siccantia roborantiaq. confugiendum. Hæc autem plura sunt, tum quæ sumuntur, & per os, & per vterum, tum etiam extrinsecus adhibentur, ex quibus eligenda sunt siccantia, modiceque calfacientia, & quæ natura propria fæcunditatem respiciant. Vt Myrthi Baccæ, Malicorium, Auellanæ vstæ cum vino *Medic. vterum roborantia per os sumenda.* datæ. Ex compositis Diamoschus, Diambra, Conserua Saluiæ, & Theriaca, quæ a Galeno, & ab Auenzoar mirifice commendatur. Quemadmodum, & ego maxime comprobo infra præscribendam confectionem si huius media vncia cum vino odorato, & generoso tribus quatuorve diebus continuis ieiuno ventriculo, ante mulieris cum Viro concubitum propinetur.

Rec.	Moschi, ambræ	an. gr. 3.
	Castorei	dr. med.
	Ligni Aloes, Cinnamomi, Caryophyllorum.	
	Rasuræ eboris	an. scr. 2.
	Spicæ piperis longi	an. dr. med.
	Doronici, Zedoariæ,	
	Galangæ	an. dr. 1.

Sacchari vel mellis q. s. fiat mixtura secundum artem: vtilem etiam, imo omnium efficacissimam hunc in vsum confectionem nunc describendam inueni.

Authoris tabella.

Rec.	Satirij	dr. 2.
	Specierum diamoschi dulcis.	
	Rasuræ eboris	an. scr. 2.
	Vteri leporis siccati, & puluer.	dr. med.
	Succi saluiæ depurati.	
	Succi herbæ Tabach, seu sanctæ Crucis,	an. vnc. med.
	Sacchari albissimi in aqua artemisiæ q. s. fiat confect. in rot.	

Cuius drachmæ duæ Nobilissimæ mulieri exhibeantur desinentibus Mensibus tribus diebus continuis hora vna ante cœnam, deinde superbibat vncias duas Vini albi generosi. Quo tempore omittenda

non

non erunt suffitus, & pessi in hunc finem tendentes, qualis hic erit. *Medic. per vterũ suscepta.*

Rec.
- Zingiberis.
- Cinnamomi.
- Spicæ nardi an. dr. 1.
- Nucis moschatæ.
- Macis.
- Belzoini.
- Styracis an. dr. 1.
- Caryophyllorum.
- Ladani an. dr. med.
- Castorei scr. 1.

Cum Terebynthina fiant Trochisci, quibus vterus suffumigetur. *Modus suffumigia administrandi.* Porrò dupliciter suffumigia præscripta administrari solent, vel per fistulam argenteam, vel plumbeam. Aut vas angusto ore eligitur, & carbonibus accensis repletur, super quos pulueres insperguntur, dein vas panno circundatum muliebribus locis supponitur, ita vt exhalãs halytus vterum percellere possit.

Sicque & ex Bdellio, Myrrha, Arthemisia, Matricaria Testiculis vulpis assatis, Gallia moschata, & alijs consimilibus tum suffumigia, tum pessi vario modo parari possunt.

Extrinsecus autem, præ cæteris magnopere probo, vt spongijs decocto nunc præscribendo, calente quidem imbutis, dein expressis imi ventris regio singulis octo horis ante cibum foueatur, & post fotum præscribendo etiam linimento illinatur. *Extrinsecus adhibenda.*

Rec. *Fotus, & insessus.*
- Arthemisiæ.
- Matricariæ.
- Melissæ.
- Pulegij.
- Lentisci.
- Myrthillorum.
- Rosarum rubrarum.
- Gallarum an. man. 3.
- Florum mali punici man. 4.
- Nucum Cupressi num. 20

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ cœlestis pro fotu. Ex quo etiam fieri potest insessus, vt moris est; a fotu, vel ab insessu.

Rec. *Linimentum.*
- Olei Nardini
- Olei Caryophyllorum an. vnc. 1.
- Croci
- Spicænardi
- Styracis. an. dr. med.
- Folij seu Malabathri dr. 1.
- Zibetti scr. 1.
- Vini optimi dr. 2.

Ceræ q.s. fiat linimentum. Quod si sub commemoratis præsidijs lectissima hæc fœmina sui culpa non conciperet vnius vel alterius mẽsis spatio; longiore grauioreque medicatione aliqua opus erit. Quapropter corpore iterum leniter repurgato, antequam insignes calores aduenian̄t guaiaci decoctum infrascripta ratione paratum triginta saltem, aut pluribus diebus accipiat magnopere suadeo. Recipe Ligni Guaiaci vnc. 5. Salsæ vnc. vnam, aquæ communis lib. nouem Infundantur horis 24. deinde bulliant ad consumptionẽ medietatis, & in fine adde ad bulliendum Artæmisiæ Matricariæ, Saluiæ, Betonicæ an. pug. vnum. Coletur, & vsui seruetur pro syrupo. Item Recipe Ligni Guaiaci vnc. 2. Salsæ vnc. mediam. Aquæ communis lib. 15. bulliant ad consumptionem quartæ partis, & in fine ad bulliendum coriandrorum vnc. mediam, cinnamomi drach. vnam. Coletur, & conseruetur pro potu quotidiano vel saltem pro attemperando Vino. Quo tempore, & fotibus, & suffumigijs, & insessibus, nec non linimentis præscriptis ex interuallis saltem vti poterit. Quibus omnibus peractis si adhuc fœcunditas desideretur, vt tempore opportuno ad balnea Sãcti Cassiani, quæ in Agro Senensi scaturiunt ad confinia Vrbis Veteris se se transferat magnopere hortor: Balneique magni, della Terra, Vulgo appellati aqua præ cæteris fœcunditati inducende maxime opportuna, & in potu, & in Balneis aliquot diebus vtatur. Huius enim Balnei vsu complures Illustrissimas Matronas fęcundas euasisse mihi compertum est, quæ ante pluribus annis Viris coniunctæ non conceperant. Tot ex his quæ nondum administrata fuere pręsidia proponenda occurrebant, quibus Deus Optimus Maximus aspirare non dedignetur.

Balneum sãcti Cassiani.

De secunda derelicta pro Illustrissima D. Marchesia Rcani, Consultatio LXVIII.

Quid nominis.

MEmbrana, qua fætus in matris vtero obuoluitur (chorion a Græcis appellata,) Latinis secunda, seu secundina dicitur, quod secundum sit ab vtero inuolucrum seu domicilium, perinde atque fętus indumentum. Hæc autem vna cum fætu in lucem ædito, vel paulò post partum si non educatur varia affert symptomata, cor, cerebrum, ventriculum, & vniuersum tandem corpus acerbissime sollicitantia, idque vaporibus mediantibus ab vtero in vniuersum corpus elatis.

Secũdę derelictę incommoda

Porrò secundam hanc in Illustriss. hac Muliere a partu nuper pręgresso derelictam esse testantur, obstetrix, dolor grauis imum ventrẽ premens, febris excitata, & alia molesta symptomata. Affectus sane morbus est in numero, seu in excessu, partem affectam vterum esse satis notum est. Cæterum cum morbi huius triplex statuatur causa, os vteri, ita obturatum, vt membrana hæc etiam decisa foras egredi,

Affectus.

Causa.

non

non possit. Vel quia vteri fundo tenaciter inhæreſcit. Aut quando ſeiuncta circa vteri partem aliquam pilæ cuiuſdam inſtar circumuoluitur. Duas priores cauſas, hic negotium nobis faceſcere ex eo coniectandum, quod referat obſtetrix os vteri præ duritie, & dolore contrectationem vix poſſe ſufferre, fueritque partus ſatis difficilis. Ita vt extractionis membranæ huius opus valde difficile futurum exiſtimem; idq. non ſine Illuſtriſs. Laborantis vitæ periculo. Quocirca ad generoſa remedia huic operi maxime opportuna quamprimum cōfugiendum. Ex quibus vna cum Hipp. 5. Aph. 49. maxime probamus ſternutatoria atque ſpiritus frequenter retentionem, ore, & naribus Arte obturatis. Inter ea vero, quæ per os ſumuntur magnopere probat Hipp. primo de Morbis Muliebribus ſilphiū ad Fabæ vnius magnitudinem ex Vino albo ſubdulci datum, Dictamum creticum obuli vnius menſura. Porri etiam ſuccus cum vino epotus mirifice ad ſecundinam educendam valet. Sed quod omnium efficaciſſimū hoc in caſu ſemper fœlici cum ſucceſſu comprobauimus eſt huiuſmodi. *Preſagia.* *Preſidia primum.* *Alterū remedium.* *Oīum efficaciſſimū remediū.*

Rec. Boracis mineralis ſcr. 2.
Trochiſcorum de Myrrha ſcr. 1.
Succi ſabinæ depurati q.s. fiat bolus deuorandus, poſt quem ſtatim ſuperbibat decoctionis Artemiſiæ vnc. 5.

Interim ſuffumigia adminiſtrari poterunt ex Myrrha, Thuræ, Caſtoreo, & eius generis alijs. Ex quibus quoque cum adipe anſerino, & Oleo irino Peſſi in hunc vſum parandi erunt. Quibus adminiſtratis remedijs omnibus, ſi membrana hæc adhuc pertinaciter perſiſtat ad Chirurgicum opus tandem deueniendum. Quare vel Chirurgus aliquis, vel peritiſſima obſtetrix eligatur, quæ ſiniſtra manu Oleo Amygdalino intincta, atque molliuſcule in vterum intromiſſa ſecundam hanc apprehendat apprehenſamque non ſtatim, nec recta deorſum trahere tentet ob vteri deſcenſus periculum: ſed citra omnem violentiam oblique huc illucque hanc ſenſim circumagens, tandem extrahere ſtudeat. Quod ſi huic operi membrana non cedat, ſecurius vtique multo erit hanc biduum, vel triduum dimittere, quam violenter extrahere: quippe quæ retenta computreſcat, & naturæ opera fœliciter interdum extrudatur. Verumenimuero hoc tempore ad cohibendam futuram inflammationem magnopere hortor, vt e vena tali vtriuſque pedis ſecta, ſanguis pro viribus detrahatur, locaque Muliebria lacte, vel vaccino, vel Muliebri cū roſaceo frequenter abluantur. Quibus etiam maxime conducit pro linimento Oleum ex vitellis ouorum. De victu quotidiano ſeruādo non eſt, vt diligenter quid proponamus: quandoquidem peritiſſimo aſſiſtenti Medico omnia, & nota, & forſan hactenus explorata eſſe veriſimile eſt. Interim a Deo precamur huic Illuſtriſs. Mulieri ſanitatem, & futuram fæcunditatem. *Chirurgicum opus.*

De Ophtalmia pro Perillustri D. Valentino Sfortia Perusino, Consultatio LXIX.

Excusatio QVamuis ad recte ferendum iudicium de quocunque morbo cognoscendo atq; curando, ægrotantis temperamenti, & præsentis status cognitio requiratur, quæ duo non nisi coniectura quadam asseIqui possum, quod res agatur cum absente laborante minime mihi perspecto; ex scriptis tamen, ac nonnullorum relationibus aliqua accepi, quæ in Perillustris Iuuenis præter naturam affectus, eiusque futuri euentus, atque abhibendorum præsidiorum cognitionem me ipsum non nihil docere possunt.

Ophtalmiæ signa. Perillustrem Iuuenem Ophtalmia laborare, & adnatæ oculorum tunicæ robore affectæ, & lachrymæ ex oculis manantes, nec non sordes quædam in maioribus oculorum angulis aceruatæ cumulatissimè indicant. *Causa interna.* Cuius quidem causam interiorem non aliunde ortum ducere arbitror, quam ab vniuersi corporis plenitudine: etenim & ætas iuuenilis, & calidum humidumque temperamentum, & victus prægressus iusto liberarior pleniorque simul cum alijs notis, hoc *Curatio.* ipsum aperte commonstrant. Quo circa omni studio prospiciendum erit, ne quod modo vitium exiguum videtur, incrementum suscipiat; quod quidem facile erit assequi, si idonea huic morbo profligando remedia administrentur. *Victus rō.* Igitur victu refrigerante imperato constanter obseruando: nec non tenui, quò partes inanitæ firmius humores retineant ne ad oculos confluant. Proinde carnes, oua, Vinum, & huiusce generis, quæ sanguinem augent, prorsus ablegantur. Somnus, & quies in aere obscuro ex eo maximè laudantur, quod his oculi, & humores quiescant: hoc inquam præscripto victu, *Auertentia.* reuulsorijs auxiljs quamprimum erit vtendum. Quapropter aluo lenita vel communi clystere, vel melle rosaceo solut. aut medullæ cassiæ cum Tamarindis, sanguis è media, aut iecoraria secta vena vtriusque brachij mittatur, deinde eadem die aliquot interpositis horis vtraque *Venæ sectio.* cephalica secabitur, sanguine pro plenitudinis, magnitudinis morbi, & ægri virium ratione maiori minoriue copia detracto. In eundem etiam vsum partium extremarum frictiones, ligaturæ dolorificæ, fotus ex aqua calenti earundem partium extremarum, cucurbitulæ cruribus, coxis, & natibus scapulisque affixis interdum cum scarificatione, & sæpius sine incisione. Huc quoque spectat purgatio per placida medicamenta qualis est.

Purgatio. Rec.
- Medullæ cassiæ nouiter extractæ } an. vnc. med.
- Medullæ Tamarindorum }
- Rhabarbari S. A. infusi in aqua endiuiæ drach. 1. s.
- Syrupi ros. solutiui vnc. 2.
- Aquæ Buglossæ q. s. Misce fiat potus.

Interim

Interim fluente humore repellentia haudquaquam omittenda. Parantur autem ex aquis rosarum, plantaginis, & portulacæ cum albumine oui, & aceti modico, qui quidem liquores linteis excepti capitis anteriori parti, fronti & temporibus assidue adhibentur. Quod quidem præsidij genus non inuitus admitto, quoties fluxio per venas, & arterias extra cranium erumpat. *Repellẽtia*

Eiusdem etiam generis medicamẽta oculis immittenda quale est

Rec.
Aquę Rosarum } an. vnc. 2.
Aquę Plantaginis }
Collyrij albi Rhasis sine opio drach. 1. s. *Collyriũ.*
Tutię pręparatę scrup. 2.
Sarcocollę nutritę scrup. 1.
Misce, & fiat collyrium.

Sed si dolor Perillustrem Iuuenem sollicitet, prescripto collyrio adde emulsiones seminum papaueris, & Muccaginem psyllij. Quibus dolore non cedente, Rhasis collyrium cum opio vsurpandum.

Cum his quoque remedijs humores biliosi e multo eoque feruẽte sanguine suscitati apparandi, & apparati purgandi erunt colagogis medicamentis, quę apud omnes tam nota sunt, quã quod notissima. Tandem humoris oculum exercentis reliquię summouendę erunt medicamentis citra insignem calorem resoluentibus: vt fęnugræci, feniculi seminum, & chamęmeli decocto, spongia, aut molli linteo oculis admoto. Efficacissimum autem hoc in opere medicamentum est, quod ex drachma vna Aloes, cum vncia vna aquę fęniculi, & lactis muliebris modico paratũ, oculo applicatur, quippe quod humorum in oculis conceptorum reliquias absumat, siccet, atque oculos maximopere corroboret. Idem etiam prestat sarcocolla lacte muliebri nutrita, & soluta in oculum instillata. Balneum quoque, & Vini potus ex Hipp. sententia in id referuntur, quando plethora imminuta fuerit, & dolor fiat a sanguine crasso venas adnatę membranę replente. Quę omnia auxiliorum genera, quibus oculorum inflammationes, & dolores sanantur Hipp. Aph. 6. Aph. 31. breui admodum oratione complectitur, licet citra vllam limitationem adhibitã. Hac sane completa medicatione, Perillustrem hunc Iuuenem a presenti molestia liberatum iri speramus, si eius obsequentia, & industria accesserint, nec non periti Medici diligentia non desit; quandoquidem fluxio hęc ad oculos (quantum ex literis coniicere potui) externa potius, quam interna iudicatur, cuius rei illud firmum argumentum esse potest, quod oculorum palpebrę simul cum adnata vtriusque oculi membrana non solum rubore, sed etiam tumore satis apparente afficiuntur. Huic accedit, quod affectus hic non est inueteratus, Iuuenemque exercet bono habitu (vt audio) conformatum, ita vt de futura eius salute, vel etiam breui temporis interuallo, sperandum. Faxit Deus, ne nostra nos fallat opinio.

Purgatio altera. *Resolutio.* *Præsagia*

De

De strumis in vtraque ceruicis parte. Pro Nobilissima Puella Romana, Consultatio LXX.

Affectus. TVmores præter naturam duros, & attractatu indolentes, quibus Nobilissima Puella duobus fere abhinc annis in vtraque ceruicis parte tenetur, chærades, idest, glandulas induratas, quas strumas appellant esse, nemini dubium esse debet.

Causa proxima. Quorum tumorum scyrrhi speciem præseferentiū origo è gypsea pituita est. Quæ è capitis parte externa per ceruicis tendones, & adenes sensim, ac lento cursu defluit: illicque persistēs ob moram, quam trahit crassescit.

Curationis ratio. Curationis ratio duo opera requirit: nimirum quæ fluxionem è capite finire valeant: & quæ emolliendo, ac digerendo, simul commixta per halytum causam tumorum continentem dissipare possint.

Præsagia Quos quidem scopos propositis operibus mediātibus nos assequi posse ob id minime diffido, quoniam huiusmodi strumæ paruæ sunt, minimeque malo more consociatæ; verumenimuerò curationem quamprimū aggrediendam nihilque differendam maximopere suadeo, atque hortor. Etenim pituitosa hæc materia temporis progressu, caloris vi ac putredine excandescēs; acrimonium conquirit, vnde carcinomatis vim, & conditionem strumæ hæ sortiuntur.

Victus ratio. Primum igitur ratio victus imperanda causæ contraria. Cacochymiæ expurgandæ idoneis phlegmagogis sine mora incumbendum, pilulis præsertim ex Rhabarbaro, & Agarico paratis, prægressa tamen peccantium humorum præparatione. Deinde omni

Fluxionis inhibendæ ratio. opera, & studio siccandum roborandumque caput erit, tum sumptis, tum etiam admotis idoneis præsidijs. In quo quidem opere ad singularia non descendam, quippequi certò sciam hæc, & alia omnia Clarissimo Nobilissimæ Iuuenculæ Medico notissima esse. Duo tamen ad opus Chirurgicū attinentia minime silenda puto. Primum,

Setacei vsus. ad auersionē cum euacuatione, setaceum in occipitij fine diu gestandum efficacissimum vtilissimumque futurum sperarem.

Vena sectio. Alterum, licet ex Galeni præceptis pueris ante decimum quartum annum sanguis mittendus non sit, nihilominus Puella hæc annum ætatis suæ vndecimum agens firmo habitu confirmata sanguinis missionem è vena iecoraria siue communi (parce tamen) brachij dextri commode tolerare poterit; idque inter medicationis incunde initia præstandum consulo, vt medicamenta tum sumenda,

Animaduersio. tum admouenda, suas in corpus vires expedire exercere valeant. Quod ad topica spectat, illud in primis animaduertendum, medicamenta immodice calfacientia siccantiaque hic suspecta esse, vt quæ materiam crassefaciant. Calorem igitur tepidum, humiditatem verò, nec

rò, nec

rò, nec multam, nec minimam habeant, oportet. Quorum maxime probata sunt.

Rec. { Lentium cum aceto excoctarum vnc. 4.
Succi Apij depurati vnc. 2.
Seminum coriandrorum dr. 1.
Cum adipe porci masculi fiat cataplasma. } *Topica.*

Extendatur super linteo, & bis in die affectis locis applicetur. Ad idem

Rec. { Pulueris foliorum, & radicum tussilaginis vnc. 2.
Farinæ seminum lini vnc. 1.
Cum adipe suilo fiat cataplasma. }

Interim, vt Electuarium nostrum in hunc vsum maxime probatum sumat, etiam atque etiam hortamur. Est autem huiusmodi.

Rec. { Ossium gallinarum elixatarum
Ossium vertebrarum humanarum } an. vnc. s.
Trochiscorum viperinorum dr. 2.
Scordij, Margaritarum an. dr. med.
Mellis despumati q. s. fiat Electuarium. }

Cuius vnciam mediam mane duabus horis ante prandium, & sero quando it dormitum deuorabit. Et hæc dicta sufficiant pro explendis scopis, & operibus propositis. Quibus Deus aspirare non dedignetur.

De ventriculi imbecillitate, Motibus quibusdam conuulsorijs, & anxietate ab aßumpto cibo ad Excellentißimum Monticellum Medicum, Consultatio LXXI.

EX Litteris tuis doctissimis mihique gratissimis facile intellexi, te Perillustris Achillis Blanchetti casum, curationis scopos, & ijs explendis opportuna præsidia vigilanti animo, & vsque adeo accurate inuestigasse, vt nullo meo opus sit consilio; Cæterum, vt tibi, & Perillustri D. meo, cui debui (plurimum quidem vtrique debeo) morem geram, hæc paucula ex tempore scribam. Angustia, hoc est anhellandi tacita quędam difficultas, aliquot horis ab assumpto cibo, symptoma nempe in genere actionis facultatis motricis lęsę, duplicem (quantum ego puto) morbum consequitur, nempe in via partium spiritualium atque in intemperie earundem calida; quandoquidem imbecillus ventriculi calor in conficiendis ingestis cibis vehementer cum laboret, & deffatigetur, natura, vt huic operi tam necessario opem ferat, spiritus omnes, & calorem huc confert, quo fit, vt tunc temporis excalfactus ventriculus, cor, cæterasque partes spirituales in consensum trahat: proinde respirationis vsu non nihil aucto anxietas illa succedit. Rursus hoc in opere tum ciborum ingestorum conuersionis in chilum, tum chili distributionis per meseraicas obstructas in iecur, *I. affectus.* *Causæ internę pręter naturam.* *Cum causa.*

non

non sine maximo labore ob visceris imbecillitatem flatus suscitantur, qui diafragma distendentes, respirationisque instrumẽta coangustantes, huius angustiæ concausæ sunt censendæ. Motus autem illi brachiorum, & crurum conuulsorij noctu tantum infestantes, symptomata videlicet in genere functionis motricis voluntariæ deprauatæ, suum pariter morbum committantur, is autem est partium neruosarum tumor, & distentio quædam tum a vaporibus a ventriculo ægre concoquente sublatis, tum etiam a pituitoso quodam humore in partibus impacto, statisque temporibus commoto. Quod autẽ flatus conuulsiones excitare valeant Arist. lib. 2. Meth. c. de Terremotu. Auerroes 3. col. c. 33. & vetustissimus Auctor lib. de Flatibus Hipp. adscripti declararunt.

Alter affectus.

Causæ.

Conuulsio an a flatu.

Quod autem noctu dormientem patientem ij motus conuulsorij sollicitent, haud mirari oportet, quod noctu nobis dormientibus innatus calor ad interiora reuocatus, humores, excrementaque sub agitet, indeque crassos vapores, & flatus extrahit subleuatque, qui nerueas partes crurum præcipue, & brachiorum, veluti a fonte caloris magis distantes, distendentes, ac forte etiam acrimonia quadam vellicantes deprauatos illos motus efficiunt his similes, quos vulgares Granfos appellare consueuerunt. Cum igitur a ventriculo refrigerato, siccatoque natiui caloris pabulo deficiente, tum ob prægressos morbos diuturnos, tum etiam ex animi immodicis sollicitudinibus, veluti ab vno fonte cætera mala scaturiant; curationis hoc in casu scopi eò dirigendi erunt, vt calfacientibus moderate, & substantifice humectantibus, necnon humiditatem excrementitiam hunc ipsum relaxantem siccantibus, pristinum robur magna ex parte sublatum huic visceri restituatur. Et quoniam a feruido Iecinore frigida ventriculi male commutantis excrementa crassefacta, & pene exusta, meseraicarum, & hypochondriorum obstructiones prodeunt, hisce reserandis, & hepatis incendio refrenando inuigilandum erit. Opus sane non quidem perpeditum, sed haud facile futurum, tum ob affectuum copiam, & vetustatem, tum etiam propter indicantia contraria, ac inuicem pugnantia; nihilominus, & Perillustris Patientis obedientia, & tua consueta prudentia, & diligentia spero fore, vt pristina sanitas recuperari valeat; præsertim cum neque ætas, neque natiuum eius temperamentum reclament. Hac itaque spe ductus, breuiter & ipse quid hoc in casu agendum putem exponam; Et primum quod ad victus rationem attinet, quæ ex Arte instituta vigilantissime retineri debet; in cibo, & potu parcus sit, oportet, ac potius sæpe, & modice, quam multum, & rarò comedat, omniaque tum ad quantitatem, tum ad qualitatem, tum etiam ad substantiæ modum, ad ordinemque spectantia ea lege vsurpentur ne in concoquendo laborem ventriculo afferant; quamobrem sorbitiones hoc in opere maxime commendantur, quòd tum facile concoquantur, tum promptissime digeran-

Conuulsiones hæ cur magis noctu sollicitent.

Scopi.

Præsagiũ

Victus ratio.

gerantur. Illud vnum hic silendum non est, Vinum vinosum, & potens languenti ventriculo nocentissimum esse, si largius potetur; ęgre enim admodum superatur. A frigido potu prorsus abstineat. Cætera autem ad primum hoc Artis Medicę instrumentum lubenter proponerem, nisi certò compertum mihi esset; eam esse ingenij tui præstantiam, & in medendo dexteritatem, vt & nocua deuitari, & proficua amplecti egregie possis. Id etiam non omittam, nempe, quod in diuturnis, & contumacibus morbis Cœli mutationem præstantissimum omnium esse præsidium omnibus est in confesso. De sanguinis detractionis generosissimo pręsidio, quid dicam non habeo; siquidem neque a morbo, neque a morbi causa, neque a symptomatis indicatur; præterquam quòd in succorum frigidorum copia, atque laborante ventriculo suspectum semper fuerit apud Gal. remedium: quemadmodū nec in brachijs, nec in cruribus cauterio aliquo opus esse mihi persuasum habeo; hoc enim opere natura ad demittendos excrementitios humores, in hasce partes affectas inuitata, motus illi conuulsorij vehementiores excitarentur. De materia medica; ventriculo Melle rosaceo soluente non nihil expurgato, magnopere iuuaturum sperarem ius pulli vel gallinacei, vel columbini cum mentha, cichorio, borragine, & modico nucis miristicæ quinque, vel sex vnciarum mensura quindecim diebus ieiuno ventriculo de more datum. Interim ceratum ex solo Mastice, & nuce miristica Oleo masticino liquatis cum portione terebinthinæ, & picis modico, supra ventriculi regionem assidue gestandum, multum profuturum minime diffido, hac adhibita cautione, vt tertio saltem quoque die dimoueatur, & mundo linteo exsiccetur; solet enim excrementitiam humiditatem euocare, & allicere, quæ nisi detrahatur, operi, quod intendimus impedimento esse potest; qua etiam ratione singulis quinque diebus innouari debet. Mox, roborato aliqua ex parte ventriculo, serum caprinum depuratum, cū succo cichorij, & borraginis, diebus aliquot, octo, vel nouem vnciarum pondere, quatuor saltem horis ante prandium excalfactum tamen, propinatum efficacissimi erit vsus, tum ad remittendum hepatis feruorem, tum etiam ad reseranda vasa obstructa. Valida autem purgantia Medicamenta proponere, non audeo quod horum vsu, male ventriculum tractari certo sciam. Quo etiam consilio de thermalibus aquis nihil in medium afferam; propterea quod thermas omnes vehementer exsiccare nemini est dubium: liceet aqua tetuciana duobus vel tribus dumtaxat diebus exhibita plus commodi detergendo, & expurgando afferat, quam incommodi quadantenus siccando. Dum isthæc aguntur affectarum etiam partium suscipientium ratio aliqua est habenda: Proinde vespere dormituri patientis brachia, & crura illinire operæprecium erit cerato ex Oleo vulpino, & Theriaca cum modico spicænardi, & cera confecto; superpositis postea vulpinis pellibus. Quod si hæc per

An sanguis mittendus.

Cauteriū an expediat.

Pharmacia.

Ceratum.

Serum.

Aquæ thermales

Pro cruribus linimentum.

acta

acta medicatione mala non cessent, vel saltem non imminuantur, hisce temporibus feruidissimis sola victus ratione congrua erit agendum cum tribus, vel quatuor granis masticis ex Vino dulci, vel ex iure pulli, aut ex ouo sorbili immediate ante omnem cibum deuoratis. Autumno dein ineunte, malo non cedente, duo efficacissima præsidia absque vlla suspicione vsurpanda erunt; Alterum, ius galli anniculi, vel bimuli, cum mentha, borragine, cichorio, & nucis miristicæ modico, viginti diebus continuis de more exhibitum. Alterum, stillicidium ex Oleo amygdalarum dulcium, & Vino albo potenti, cum mastice, Nuce Moschata, & ligno Aloes, cum portiuncula Mirrhæ electæ supra ventriculi regionem, ad sinistrum hypochondrium non nihil inclinantem, viginti saltem diebus ex arte administrãdum. Hoc autem auxilium quantum habeat momenti ad ventriculi inflationes & durities absumendas, nec non ad pristinum robur deperditum instaurandum, atque ad natiuam humiditatem innati caloris pabulum reparandum, & ratio, & quotidianus vsus manifeste indicant. Et hæc habui quæ in hoc meo cruciatu podagrico ex tempore proponerem in tui, & Perillustris Blanchetti D. mei gratiam; Faxit Deus, vt prospera, & salutaria illi succedant. Vale, & non desinas me (vt facis) amare, sciasque certo non minus te quoque a me amari.

Ius galli.

Stilicidiũ

De capitis fluxione. De vigilijs immodicis. Molestis insomnijs. Ventriculi languore, vnde acidæ eructationes. Aluo pigra: atque corporis totius extenuatione, imbecillitateque. Pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Pepulo, Consultatio LXXII.

Destillatio a capite ad infernas sedes; præsertimque ad os, & gingiuas cum dentium raritate, & vacillatione. Nec non ad frontem, vniuersamque sinistri lateris maxillam; vnde dolor cum tensione quadam ea in parte grauis: indicium nempe membranas destillante humore repleri, ac distendi. Vigiliæ frequentes, & immodicæ. Molesta insomnia. Ventriculi imbecillitas, vnde flatuum ab ore erumpentium, frequens copia. Aluus adstricta, & corporis innaturalis macies cum membrorum omnium imbecillitate quadam, vitia sunt, quibus Illustrissimus, ac Reuer. Cardinalis multis ab hinc diebus multum angitur. Quorum omnium interiores causæ vna cum sedibus affectis diligenter sunt inuestigandæ, vt, hisce cognitis, idonea præsidia ex proprijs indicationibus, & ita recta methodo præscribi possint. Atque a destillatione exordiar, veluti a prima omnium commemoratorum vitiorum origine. Cuius quidem symptomatis in genere immodice excretorum causam interiorem, frustratæ coctioni ipsius cerebri adscribendam putamus. Quippe quòd frigidiore, humidioreque temperamento sit prædituum, vt frigidorum excrementorum è capi-

Destillationis causa.

capite emanantium copia clare ostendit. Neque obstat, quòd falsa
interdum destillatio persentiatur: hæc enim alimenti a calidiore ieci-
nore demandati soboles esse potest. Sed quoniam ex longa patiendi
consuetudine (decem enim fere abhinc annis caput laborat) innato
calore violato, cerebrum secundum eius propriam substantiam, sic
citatem quandam contraxit; haud quaquam mirari oportet, si vigi-
Vigiliarũ causæ.
lijs immodicis detineatur, quæ calidam siccamque eiusdem cerebri
intemperiem consequantur. Huic etiam accedit, quod frigida humi-
daque excrementa quamdiu cerebri substantiam obsident, non so-
lum somnum longiorem, sed soporosos etiam affectus morbosos
conciliare valent: sed si statim atque gignuntur, concitato motu de-
labantur, nihil habent momenti ad somnum conciliandum. Ad hæc
Cerebro frigido humidoq; existẽte cur aliquãdo vigiliæ cõtingant.
mæror, animi passiones, & sollicitudines vigilias excitare valent, fri-
gido etiam humidoque cerebro existente. Tristitia de futuro qui-
dem, non quæ de præterito est, ad somnum potius inuitat. Hinc non
solum destillationis, verumetiam, & vigiliarum causæ deprehendun
tur. Quod verò ad molestia insomnia spectat. Triplex insomnium
cum sit, Diuinum, quod a Deo immittitur ad prophetas, vt apud Ho
Tristitia modo somnũ modo vigiliã excitat.
merum, ab Ioue insomnia ostenduntur. De quibus nullus in præsen-
ti est sermo. Animale, quod ex animi prouenit affectibus, iuxta illud.
Somnia ne cures. Quod hic quidem locum habet. Naturale, quod
corporis dispositionem naturalem, nempe humorum, vaporumque
redundantium naturam consequitur. Secundi, & tertij insomnio-
Insomniũ triplex.
rum generis causæ in Illustriss. ac Reuer. Cardinali maxime vigent,
quandoquidem & varijs animi affectibus continuo exercetur, & va-
pores in caput conscendentes, ægre per halytum digeruntur, quòd ce
rebrum (vt antea dictum est) iusto sit frigidius, humidiusque. Præter-
quam quòd molesta insomnia ex vitiosis cibis etiam contingant;
nam allia, & Cæpe terribilia Phaseoli turbulenta, & caules tristia in-
somnia faciunt. Vnde & vigiliarum, & tristium insomniorum causæ
in Illustriss. ac Reuer. Viro facile deprehenduntur. Ventriculi autem
Vẽtriculi imbecillitatis causa.
imbecillitatis causa non aliunde proficiscitur, quam ab eiusdem fri-
gida intemperie cum frigidis pariter humoribus, tum quantitate,
tum qualitate peccantibus, non solum in eius capacitate fluctuanti
bus, verumetiam tunicis imbibitis, qui quidem, & localem in hoc vi-
scere generationem habent, & aliunde etiam a cerebro nempe susci-
piuntur. Frigoris enim sensus in parte affecta, nulla sitis, multa saliua-
tio ex humoris in ventriculo copia per continuitatem interioris tu-
nicæ ad os. Tarda coctio eructationesque acidæ hoc ipsum aperte
commonstrant. Sed cur aluus perpetuò pigra adstrictaque sit vtique
Aluus adstricta à qua causa.
hesitandum: cum omnes causæ quatuor, quæ mollem, & lubricum
reddunt ventrem in hoc simul concurrant, siue potius concurrere vi
deantur. Stomachus nempe iusto frigidior, quem appetitus maior se-
qui solet: atque subinde ventris mollicies: quoniam quæ ex ingestis
cibis

cibis vberior copia quam par ſit, cruda congenita excrementa ſolent ab hepate contemni, & per ventrem præcipitari. Præterea excellens frigiditas non aliter quam humiditas lubricam eatenus aluum reddit, quatenus expultrici facultati robur addit. Hoc iamdudum ruſticorum nouit experientia, qui nudis pedibus humi obambulant, vt ventrem pertinacem infirment. Rurſus, cum corpus vniuerſum emacietur, coniectare quis poſſet alimentum non probe diſtribui, ob quam cauſam laxa etiam aluus eſſe ſolet. His accedit, quod frequentiſſima mollis ventris cauſa eſt ipſa cholera, quæ a veſica fellis ad inteſtina defluit, quæ quidem in Illuſtr. Viro in firma adhuc ætate conſtituto (nondum enim quadrageſimum ætatis ſuæ annum attingit) atque calidi iecinoris vtique ſuperfluit potius quam deficiat. Quando ergo tot modis venter emoleſcit, nimirum, aut quia plus cibi accipitur, quam pro indigentia, aut quia ęgre diſtribuitur, aut ob retentricis facultatis imbecillitatem, & expultricis robur, aut ob redundantiam bilis. Atque totidem his oppoſitis cauſis induratur, periculoſe admodum faciunt qui pigram adſtrictamque aluum cathartico medicamento laxare ſemper tentant; Adſtrictionis cauſam non diſtinguentes, atque ita demum contrarium remedium non apponentes, ſed ad vnum perpetuo idemque auxilium confugientes. Ex quibus ſatis patere arbitror Hipp. ſententiam Aph. 2. Aph. 20. non perpetuò, ſed magna tantum ex parte veram eſſe. Nimirum plerumque aluus laxa in iuuentute, adſtringitur in ſenectute: & adſtricta laxatur. Neutrum tamen ſemper contingit, quia cum quatuor ſint cauſæ adſtrictionis alui, & laxitatis, ex pleriſque fit commutatio, non tamen ex omnibus. Id quod vtriuſque mali cauſas omnes perpendenti compertum erit. Diuerſitas quippe harum mutationum pro diuerſa intemperamentorum fortuna euenit: nam aliud aliam mutationem obtinet. Ergo (vt ad inſtitutum redeamus) hic de adſtrictionis ventris cauſa iure dubitatum fuit. Sed mihi rem ipſam diligenter expendenti, triplex huius vitij cauſa innoteſcit. Prima ſumma inappetentia, vnde ſequitur, vt parcius, quam pro naturæ præſcripto, eſculenta & poculenta ingerat. Et licet frigidus ventriculus ex eo melius appetat, quod frigus denſando, & cogendo partes ventriculi diuulſionē quandam efficiat, proindeque vaſorum ſuctio maiore cum moleſtia percipiatur; quando tamen ventriculus plurib. humoribus repletur, appetere nequaquam valet. Altera propoſiti affectus cauſa in Illuſt. Card. accepta fertur inſigni huius viſceris humiditati. Scio ęquidem humiditatem mediocrem roborare expultricem facultatem, ideoque aluum laxare, verum hæc eadem ſupra modum aucta expultricem potius infirmat. Iuxta illud vulgatum. Omnis immodica intemperies deijcit actum cuiuſque facultatis. Tertiam huius incommodi cauſam reijciendam eſſe putamus in frigidorum excrementorum copiam: quippe quę a ventriculo ad inteſtina præcipitata choleram, quę

Adſtrictā aluū cathartico perpetuo laxare periculoſū.

Aluū laxā in iuuētute, in ſenectute adſtrictā & è cōtra nō perpetuo verum.

a felle

a felle ad intestina defluit ita frangant & infirmẽt, vt expultricẽ irritareq. excitareq. nequeat, sed vt ad corporis habitũ, qui magis magisq. in dies extenuatur, nostram orationẽ conuertamus, illud prælibandũ esse cẽsemus, duplicem videlicet esse corporis maciem. Altera enim est perfecta absolutaq. extenuatio cum cute tensa, & arida, in qua nõ modo spiritus, & humores absumuntur, sed etiam animalis carnes, & humidum primigenium partium solidarum. Altera est imperfecta extenuatio, quæ in præsenti negotium nobis facescit. Hæc autem est, cum cute humida, & laxa, in qua spiritus tantum, & humores dissipantur. Cuius meminit Hipp. in Lib. 1. de coacis prænot. sect. 1. tex. 27. Hæc sane corporis macies in Illustrissimo Cardinali triplicem habet causam. Alimenti defectum ob inappetentiam. Siccitatem ob immodicas vigilias, & animi passiones. Necnon vitiosum ob frustratam ventriculi operationem alimentum. Læso enim ventriculo totius corporis robur dissoluitur, cum cibus ab eo aliis membris subministrandus, aut nullus, aut incommodus præparetur; adeo vt alia membra congruo alimento destituta, collabantur, emacienturq;. Ob id Hippoc. inter Græcos, ac inter Latinos Serenus ventriculum totius corporis regem non immeritò appellarunt. Quibus & quartã extenuationis causam addere possumus, salsam, nimirum fluxionem a cerebro in subiectas venas delabentem, sanguinemque ita coinquinantem, vt incommodum magna ex parte nutrimentum alendis membris subministretur. His itaq; hunc in modum constitutis morbis, causis, symptomatis, & sedibus affectis, curationis, & præcautionis scopos per proprias indicationes intelligere, haud difficile erit. Hi autem fere sex erunt, videlicet, vt cerebri intemperies frigida, & humida destillationis interior causa corrigatur, somnus concilietur, offensæ ex somno, tristia nimirum insomnia arceantur, ventriculus ita firmetur, vt suum coctionis munus valenter obire possit, Aluus lubrica pro viribus reddatur, atque corpus vniuersum reficiatur, mediocriterque pinguescat. Quę sane omnia assequi arduũ fore ideo suspicor, quoniam capitis & ventriculi vitia, vnde reliqua omnia mala originem ducunt laboranti fere sunt connaturalia, vel saltem longo tempore contracta. Huic accedit, quod contraria vitiorum natura difficultatem ostendit. Cæterum cum, nedum generoia vlla præsidia sint administrata, atque ægrotans prudentissimus prorsus deliberauerit se nihil omissurũ eorum, quæ ad recuperandã, & retinendam sanitatem attinet, sitque in consistenti, & firma ętate adhuc constitutus, mala hæc omnia temporis progressu, aut prorsus extincta; aut saltem imminuta iri speramus; modò nec patientis industria desit, nec Medicorum diligentia desideretur. Illud vnum me bene sperare facit, quod certò sciam commemorata mala alias etiã opportunis præsidiis fuisse superata, vt hinc conijcere liceat, naturam remedijs subleuatam, causas morbificas sponte a se repellere posse. Itaque

Corporis macies duplex.

Prima. 1

Triplex secũda maciei causa.

4. emaciationis causa.

Scopi.

Predictio

Victus rō. se. Itaque ea in primis victus ratio præscribenda est, rigoroseque obseruanda, quæ calfaciendi temperate, & siccandi facultate polleat: ea tamen lege, vt humidum natiui caloris pabulum non solum retineat foueatque, sed etiam emaciata membra instauret. Hæc autem erit Analeptice, quæ per cibos coctu faciles, boni & multi alimenti macici occurrit, qualia sunt, lac optimum & probe coctum, hordei ptissana, in qua cinnamomi modicum vel piperis grana quatuor vel quinque prębullierint. Iuscula, in quibus carnes contabuerint. Mel, modice tamen sumptum; quod iunioribus nonnihil sit suspectum, cum facile bilescat. Caro caudarum chelarum in lacte, vel in aqua hordei elixatarum. Saccharum rosatum, quod cibi & medicamenti facultatem habet. Vinum quoque album, aquosum, defecatum subdulce cibus est, potus & medicina; siquidem nutrit, sitim sedat, abstergit velociterque in calorem naturalem, & spiritus cõuertitur. De *Medic.* medicamentis autem. Radicis Chinæ optimæ decoctum ex iure pulli gallinacei, vel columbi domestici vim certe obtinet siccandi superuacanea corporis excrementa, ac per halytum digerendi citra natiui humidi iacturam. Idem quoque præstat ligni indici gumosi decoctum ex iure pariter, quippe quod sua quadam (vt ita dixerim) resinacea humiditate innatum humidum non solum foueat, sed etiam augeat: proinde indies obseruamus, complures huius decocti vsu pinguiores euadere. Adde, quod remedia huic operi destinata, tum sumenda, tum extrinsecus admouenda calfacientia, atque exsiccantia, iure, atque alijs liquoribus humectantibus adeò sunt castiganda, vt eorum vis siccandi nullum habeant momentum ad corporis maciem augendam. Hac igitur cautione a paucis in consimilibus casi-*Aer.* bus animaduersa morbificam humiditatem delere, natiuamque & fouere, & etiam augere tuto possumus. Verumenimuerò quæ ad victus rationem attinet, vt cumulatius explicemus, ducto initio ab aere, consulimus omnem aeris inclementiam præsertim perniciosis ventis afflati sibi totis viribus fugiendam, necnon frigidum humidumq. Cęlum vitandum, calidum autem moderate atq; siccum am-*Somnus.* plectendum. Cæterum, cum nihil pene sit, quod æque desiderari debeat, atq; somnus, quo natiuum calorem recreari, & proinde omnes coctiones melius celebrari nemo est qui dubitet, complura ad somnum conciliandum, tam externa quam interna paulò inferius in mediũ afferre non grauabor; nunc illud non tacebo; somnum videlicet, & longiorem, & diurnum perniciosum esse; quemadmodũ, *Exercitium.* & otium; proinde exercitationes præsertim matutinæ, vel etiam vespertinæ in locis apricis, frictiones, præsertim capitis, horis matutinis magnopere conducent: animi motus vehementiores, ac præsertim mærores, iræ, profundiores cogitationes & mentis perturbationes omnes pro viribus ablegentur; siquidem (scribente Platone) omnia ferè corpori mala ab animo accedunt: aluum quotidie fluere

procu-

procurandum est remedijs varijs paulo post a me præscribendis. Omnis autem immodica, siue repletio, siue inanitio semper inimica erit: cibis ergo repleti malum, & præsertim humidis, frigidis, crassis, atque excrementitijs; vnde a piscibus fere cũctis, a caseo, a fructibus crudis, exceptis caricis, vuis probe maturis, & prunis dulcibus, melonibusq; moderate sumptis, ab oleribus, leguminibus, laganis, a salitis, & ab aromatibus abstinendum erit præterquam a pipere, & cinnamomo parce quoque sumptis: & ex pluribus, quę proponi possent, ptisanam modo ex hordeo, modo ex oriza, interdum ex farre paratam maxime probo; ita tamen, vt succus Amygdalarum adijciatur; quippe qui vel per se solus, vel iuribus commixtus somno conciliando maxime sit opportunus; propterea, inter fercula, quod ex ouis nuper natis cũ succo menthæ, & lacte amygdalarum dulcium recentium, cum pane trito, saccarique modico paratur, primas partes hoc in casu obtinere, & ratio, & quotidiana experientia plane ostendunt; Inter herbas Borrago, Lactuca conciliando somno accommodatæ, interdum coctę vtiliter concedi poterunt, quemadmodum & cichoracea omnia. Et quoniam eius ventriculus ingestos cibos tardè admodum cõcoquit, nouem ad minus horas inter prandium, & cœnam (quæ prandio parcior esse debet, vbi antiqua consuetudo non reclamet) interponere oportebit, omnemque a cibo concitatum motum deuitabit. Vinum quod potabit, sit suaue, subtile, modice austerum, siue album, siue rubellum, & potius generosum, quam debile, non tamen immodicè vinosum; huius quidem Vini vsu pręterquam quod infirmus ventriculus recreatur, animam quoque mansuescere ratio, grauissimorum virorum auctoritas, & quotidiana experientia commonstrant, si in quauis mensa vnius lib. duodecim nempe vnciarum mensuram raro excedat: quod quidem parcius etiam in cœna, quam in prandio potandum. Ex carnibus eligendæ erunt quæ egregie alere possint, quales sunt, vitulinæ, hædinę, caponum, pullorum, perdicum, phasianorum, auium montanarum, columborum domesticorum in turribus degẽtium, & aliarum consimilium, quarum cathalogum hic describere non est opus, oua tremula, & sorbilia, quę tantum nutriunt, quantum ponderant, in vsu frequenti habenda sunt. A cibo semper coriãdrum saccharo conditũ sumat, vel Diacytonium sine aromatibus, vel persicam conditam, aut borraginis, buglosiue conseruam. Interdiu si vexabitur siti, sacchari rosacei semiunciam in aqua pura, vel in qua cinnamomi modicum præbullierit eliquati potabit, neque a cœna somno se dedat, nisi duabus saltem horis. Ad compotationes raro accedat, cruditatesq; omnes tanquam pestem fugiat. Præter rectam viuendi rationem, in qua omni diligentia, & constantia pergere debet, alia agenda erunt pro expugnando priore cerebri morbo aliorum causa potissima. Idcirco duo præ cęteris sine mora sunt pręstanda, vnum vt destillatio coerceatur, alterum, vt cerebri frigida humidaque intem-

Inanitio, et repletio.

Cibus.

Potus.

peries, a qua omne prope malum pendere videtur diligenter corrigatur. Id autem fiet medicamentis, tam internis quam externis catarrhum ſiſtentibus, atq; caput exſiccantibus, & corroborantibus, purgatione totius corporis primum, dein capitis exacte peracta. Igitur nunc Autumno iam ineunte, aluus hunc in modum lenienda erit.

Purgatio.

Rec. Mannæ electæ vnc. 2.
Electuarij lenitiui. dr. 5.

Diſſoluantur cum decoctione cordiali q.s. pro potu hora vna ante cibum propinando, deinde ſeptem diebus continuis potabit infraſcriptum ſyrup.

Rec. Decoctionis ex iure pulli.
Acetoſæ.
Borraginis.
Betonicæ.
Cichorei.
Menthæ vnc. 4.

Cui adde Syrupi de cichoreo
Syrupi acetoſi ſimplicis
Syrupi de Betonica
Syrupi de Mentha } an. vnc. ſem.

Pro potu dando in Aurora. Acceptis ſyrupis vniuerſum corpus vna cum cerebro purgandum erit hunc in modum.

Rec. Pil. de Hyera cum Agarico
Pil. Cochiarum } an. ſcr. 2.

Venæ ſectio.

Cum aqua betonicæ fiant pillulæ num. v. quas in Aurora deglutiet. A tertio ſyrupo ſanguinis ad vncias quinque, vel ſex detractionem vel ex iecoraria dextri brachii, vel ex hæmorrhoidibus, tum hepatis caloris euentandi gratia, tum etiam auerſionis cauſa, necnon vt corpus generoſis remediis vſurpandis opportunum magis reddatur, magnopere conducturam non diffido. Alias enim largam vena ſecta, ſanguinis miſſionem catarrhus non requirit, niſi impenſe calidus ſit, vel iunctam habeat febrem, aut in partem aliquam mobilem præceps, atque periculoſe irruat. Purgato, euacuatoque hac ratione toto corpore, atque aliqua ex parte capite ipſo, ad peculiarem cerebri purgationem per Errhyna vocata medicamenta, & maſticatoria propius accedendum, his ſane remediis.

Maſticatoria.

Rec. Seminis nigellæ Romanæ
Seminis Aniſi
Seminis coriandri
Pyretri. an. dr. 1.
Caryophyllorum an. dr. med.
Maſticis dr. 2. } miſce.

Pulueriz̄etur omnia diligenter, & cum cera fiat maſticatorium. Vel

Rec.

Rec. Agarici dr. med.
Puluer. diambræ gr. 6.
Cubebarum
Ligni Aloes an. scr. 1. } misce.

Cum aqua Iridis fiant Trochisci siccati in Sole, commansi ieiuno ventriculo caput purgant, & roborant simul. Sternutatoria quoque præscribi solent in hunc vsum, verum non nisi considerate admodũ vsurpanda, quod sepius humores trahendo liquando, & dissoluendo catarrhos commoueant. *Sternutatoria an conueniăt.*

Purgant etiam cerebrum Errhyna, quæ non nisi corpore præpurgato instituantur; sunt autem huiusmodi Rec. Pulueris Moschi grana duo, Aquæ maioranæ vncias tres fiat Errhynum, vel maioranæ succus depuratus per nares è vola manus tepidus deducatur. De masticatorijs, & Errhynis dubitare quis posset, num, humore a cerebro in ventriculum illabente, coctionemq. proinde vitiante, hæc ex vsũ sint. Quandoquidem, vt certum est, in destillatione è capite in subiectas thoracicas partes ideo suspecta esse; quoniam humores horum vsu in os deducti facile per asperam in thoracem præterlabũtur, quo nomine Errhyna etiam periculosa esse videntur, cum patentissimus meatus a naribus in palatum, & inde in os perueniat, sic quoque attractam in nares materiam, dein in palatum etiam inuitari, & tandẽ in ventriculum per gullam præcipitari credibile est. *Errhyna. Difficultas de Errhynis, et masticatorijs.*

Nihilominus tamen cum attracta per palatum in os materia facile per sputum; priusquam ventriculum subeat, excerni possit, hic cõmemoratorum remediorum vsum nequaquam formidare oportet. Neque est par ratio de catarrho in membra spiritalia decumbente, siquidem destillatio sæpe furtim, & insensibiliter per omnes asperæ arteriæ partes in pulmones defluit, ita vt per sputum foras detrudi tunc minime possit. Iam venio ad propositos scopos, & primum ad capitis fluxionem firmandam, cui (si quando ita vrgebit, vt nocturnum somnum interrumpat) hæc accommodata erũt remedia. Loch de papauere. Diatragacanthum frigidum, & his consimilia in ore detinenda hora somni. Valentiora autem huic operi valde opportuna erunt. *Difficultatis solutio. Ad firmandam fluxionẽ remedia.*

Rec. Diatragacanthi frigidi vnc. 2.
Boli armenæ imparati dr. 1.
Terræ sigillatæ scr. 1. } misce.

Cum syrupo de papauere, vel myrtino fiant pilulæ paruæ in ore continendæ, hora somni. Vel

Rec. Boli armenæ lotæ cum aqua rosacea.
Terræ sigillatæ cum decocto papaueris, an. dr. 1.
Diatragacanthi frig. cum album. oui dissol. vnc. med. } misce.

Cum syrupi rosati de rosis siccis quantum sufficit fiant pilulæ ad lupini mensuram, quarum vnam, vel alteram dormiturus ore contineat.

neat. Vel Recipe succi rosarum drach. mediam, Boli armenæ impa-
Siccantia & roborãtia caput.
ratæ tantundem, fiant pilulæ tres hora decubitus capiendę. De altero scopo, nempe vt cerebri frigida humidaque intemperantia corrigatur, complura proponere possem remedia tum interna, tum externa, vt capitis lauacrum ex lixiuio parato cum simplicibus cephalicis modice calfacientibus siccantibusque capitis inunctiones, pulueres capitales commissuræ coronali admouendi, saccelli, & cucuphæ simplicibus cerebrum siccantibus roborantibusque imbutæ, cerata capitalia siccantia, synapismi etiam, & vesicantia, si pręceps fluxio nimium vrgeret, quo in casu inustio quoque sincipiti adhiberi solet, & consimilia. Inter ea autem, quę sumuntur, Theriaca, mythridatica confectio, Conserue Betonicę, Saluię, Rorismarini, & Nux moschata cũ sacchario condita. Quorum aliqua, eaque tantum præcipua hoc loco proponenda duxi. Et primum.

Rec.	Resinę	vnc. 2.
	Ladani	vnc. med.
	Myrrhę	
	Masticis	an. drach. med.
	Sandaracę idest vernicis	drach. 3.

Gummi soluantur in lixiuio cum quarta aceti parte confuso, & coquantur ad densitatem, & consistentiam decentem, & cum drachmis sex cęre albę fiat emplastrum siue ceratum vertici ad applicandum. Vel si pręsidium hoc ab Illustrissimo Laborante recusetur,

Rec.	Masticis	drach. 2.	
	Rosarum rubearum.		misce.
	Sandaracę	an. drach. 1.	
	Caryophyllorum.		
	Macis.		
	Corticis citri sicci	an. scr. 2.	

Fiat puluis pro coronali. Interim suffumigium mirum in modum vtile pręscribatur.

Rec.	Styracis liquidę	drach. 2.	misce.
	Ligni Aloes.		
	Costi	an. scrup. 2.	
	Olibani.		
	Sandaracæ	an. scrup. i.	
	Gallię moschatę	scr. med.	

Fiant trochisci pro suffumigio ter in die, mane, in meridie, & vesperi excitando. Deinde tribus interpositis diebus idem repetatur. Quibus omnibus si forte destillatio non cederet, (omnino tamen cessuram speramus) tempore idoneo, ad thermarum in coronali commissura stillicidia capienda se conferat, quarum minera aluminis ferri, & sulphuris nonnihil particeps sit oportet; Vel in proprijs ędibus aquarum

rum

rum arte paratarum citra insignem caliditatem siccātium stillicidio caput de more subijciat. Sed radicis chynæ (si optima haberi possit) decoctum viginti saltem diebus sumptum magnopere collaturum esse speramus: quod quidem ante stillicidij vsum potandum erit. Vel eius loco ligni, & salsæ decoctum hunc in modum prescribendum erit.

Rec. Ligni sancti incisi vnc. v.
Salsæ pariliæ incisæ dr. 6.
Aquarum Betonicæ.
Stæchados.
Cichorei.
Endiuię an. lib. 3. | misce.

Infundantur per 24. horas. Deinde bulliant ad consumptionem medietatis, & in fine adde ad ebulliendum menthæ viridis pug. 2. ligni sassafras drach. 2. Anisorum drach. 1. Postea coletur, & vitui seruetur pro syrupo quinque horis ante cibum ad vncias sex propinando triginta saltem diebus continuis. Idem deinceps lignum cum salsa iterum bulliat in aquæ communis lib. 15. ad consumptionem quintæ partis, & in fine adde ad ebulliendum coriandrorum drach. 2. cinnamomi drach. 1. Tum coletur, & percolato adhuc feruenti appone corticis citri recentis incisi vnc. 2. in quo vase bene obturato tribus horis asseruetur, dein abiecto cortice decoctum pro quotidiano potu seruetur. Quo quidem interdum syncero, nonnunquam Vino confuso in ventriculi gratiam vti poterit, compari seruata victus ratione. Huius enim decocti vsu non solum redundantia in corpore vniuerso, ac præcipue in capite, & ventriculo excrementa per halytum absumentur, verumetiam cerebri, & ventriculi humida intemperies, citra innati humidi iacturam emendabitur. Præsertim si conseruæ betonicæ, vel saluiæ vnc. med. aut interdum Theriacæ, siue Mythridaticæ confectionis drach. 1. immediate ante matutinum syrupum acceperit. Quæ omnia eo diriguntur, vt tum sumenda, tum admouenda cerebrum siccando firment roborentque. Interim cerebri excrementorum auersionis gratia cauterium, quod in altero gestat brachio, non solum maxime probamus, sed etiam eadem ratione pilularum de tribus cum Rhabarbaro drach. vnam cū dimidia si vesperi parum ante cœnam ex interuallis quibusdam sumpserit, multum inde emolumenti precepturum pollicemur. Dū hæc peraguntur duobus præter naturam affectibus a destillatione immediate pendentibus simul etiam consulendum, dolori videlicet frontem vniuersamque sinistri lateris maxillam infestanti, & erosis cum dentium raritate, & vacillatione gingiuis. Priori hunc in modum occurrendum erit. *Auersoria psidia.*

Rec. Mucillaginis fęnugræci.			misce.
Mucillaginis feminum lini.			
Mucillaginis feminum Meliloti	an. vnc. med.		
Vnguenti Alabastrini	dr. 3.		
Olei Liliorum alborum	dr. 2.		
Opij, Croci	an. gr. 3.		

Omnia simul ducantur in mortario marmoreo, quousque fiat linimentum quo partes capiti subiectæ dolentes singulis octo horis illinantur. Vel Recipe radicum cucumeris siluestris, foliorum Absinthij ana man. 1. Bulliant in hydrelæo ad consumptionem tertiæ partis, & ex fęce contusa pistaque fiat cataplasma, post fotum cum spongia commemorato dedocto imbuta. Vtrumque enim præscriptum remedium ad omnem capitis, partiumque immediate subiectarum dolorem leuandum mirifice valet. Ad gingiuas erosas, & commotos dentes.

Ad gingiuas erosas, & cōmotos dentes præsidia.

Rec. Mellis	vnc. med.	misce.
Vernicis.		
Ammoniaci.		
Aluminis scissilis.		
Thuris	an. dr. med.	

Bulliant in aquæ vitæ vnc. 3. & aceti albi vnc. 1. vnica ebullitione dein coletur, & percolato adhuc calenti adde Croci grana 2. & cum bōbace hóc liquore calido imbuta dentes, & gingiuę fricentur. Quod quidem pręsidium non solum mobiles dentes confirmat, & roborat, verumetiam congelatos in pristinum restituit statum, dolorem sedat, & rheuma desiccat. Rursus ad incrementum gingiuarum corrosarum. Recipe farinę Orobi vnc. 1. cum melle, & Vino albo fiant Trochisci, quibus igne, vel sole siccatis in tenuissimumque pulueremque redactis adde sanguinis Draconis, Libani, Calami odorati, Corallorum rubeorum an. drach. 1. Fiat puluis, & insperge. Gingiuas etiam inhęrescere ex collutione aceti, cum sua fece sępe, ac sępius sum expertus. Atque hęc de capitis fluxione aliorum pene vitiorum interior causa dicta sint satis. Qua in re ne quis me de nimia prolixitate iure redarguere possit, illud commemorare non omittam, videlicet nullam fere corporis humani ęgritudinem esse, quę non defluxione humoris alicuius e capite aut excitari, aut incrementum accipere possit: Omnes enim destillationes perdurantes graues periculosas, & pene lethales esse nemini medicinam facienti ignotum esse, persuasum mihi habeo: quippe quę si partes corporis externas exerceant, arthritidem, si internas tussim, asthma, pectoris, pulmonumque vlcera, & denique tabem immedicabilem efficiant; proinde in hisce pertractandis nunquam satis diligens Medicus esse potest. Nunc quę conciliando somno auxilia conueniant paucis exponam. Recipe seminum Alterci albi vnc. 1. cum albumine oui lacte mulie-

A defluxione a capite omnes ægritudines.

Somni cōciliandi ratio.

muliebri,& aceti momenti fiat illitio fronti hora somni. Idem præstant folia alterci albi viridia sub puluino imposita. Flos etiam ligustri odore somnum conciliat. Vel

Rec. Seminum anethi
Croci
Florum Liliorum alborum.
Violarum an.dr.med. | misce.
Nympheæ.
Seminum lactucę an. scr.1.
Foliorum mandrag. aridorum, scr.2.

Cum succo foliorum papaueris formentur pilulæ numero 25. quarum binas, aut ternas sumat dormiturus. Fluxionem firmāt, simulq. somnum alliciunt. Ad molesta verò insomnia remedia erunt. Margaritæ collo suspensę. Melissa a cœna comesta, vel Recipe seminum anisorum, seminum lactucæ cum saccharo conditorum, an dr.med. A cœna deuorentur, vel in puluerem redacta cum Vini albi modico potentur. Omitto nunc crurum, & brachiorum lauacra ex decoctione simplicium somnum conciliantium veluti omnibus nota. Posthęc ventriculo frigido, & humido temperamento prędito, ob idque non probe concoquenti, omni diligentia est incumbendum, vt ita excalfiat & siccetur, ne interim etiam innatum eius humidum deperdatur. Et licet pręscriptorum remediorum vi superata finitaq. destillatione omnium fere malorum origine maxime sperandum sit ventriculum in pristinum statum restitutum iri, nihilominus, ne in re tanti momenti vlla desideretur industria, peculiaria huic visceri roborando auxilia nunc proponam. In primis illud minime silendum puto, cathartica omnia infirmo ventriculo magnopere offensa esse: propterea vbi aliqua opus erit ventriculi purgatione nullum occurrit efficacius, securiusque medicamentum aqua Teruciana, trib.plus minusve diebus de more accepta, quippe quę ventriculum, & intestina clementer repurget iugiterque confirmet. Pilulę etiam de tribus cum Rhabarbaro, aut Rhabarbarum ipsum bis, vel ter in Mense tuto conceduntur. Quemabmodum Aloes, idque ex dr.med.cum syrupo absynthino in tres pilulas redacta, per horam ante pastū deuorata, bis in hebdomada. Diebus autem quibus a pilulis abstinebit, Nucis Moschatę, Gingiberis viridis conditi vtriusq; dr. med. capiat ante prandium, & ante cœnam per horam. Interim mane, & vespéri ante cibum ventriculi regio illinatur.

Ad molesta insomnia presidia.

Ventriculi frigida, humidaq. intēperies corrigitur

Cathartica ventriculo infirmo offensa.

Linimentum pro stomaco.

Rec. Olei Nardini vnc.1.
Caryophyllorum.
Nucis moschatæ. | Cere albæ q.s. fiat vng. solidiusculū.
Zedoariç.
Gallię moschatę an.scr.

Absyn-

Fomen ū. Vel Rec. | Abſynthij. Menthæ. Roſarum rubearum an. man. 1. Calami Aromatici. Cyperi an. man. med. | miſce.

Bulliant in aqua q. s. & in fine adde ad ebulliendum vnica leui ebullitione Vini albi odorati partem mediam pro fotu mane, & veſperi cum ſpongia noua ieiuno adhibendo. Atque poſt fotum illinatur ventriculi regio præſcriptis linimentis, vel Oleo Nucis Moſchatæ ſincero. Quæ quidem, & aſſumpta, & admota vtique ſuffectura ſpero, quę (ſi forte non ſuffecerint) ad ſtillicidium cōfugiendum, quod quidem parari poterit ex Oleo Amygdalarum dulcium, Vino, maſticæ, ligno Aloes, nuce myriſtica, & libano medicato. Modum autem, quo ventriculus tali ſubijcitur ſtillicidio, taceo tanquam omnib. notiſſimum.

Cæterum, tametſi aluum nunc adſtrictam (ſymptoma quinto loco poſitum) impoſterum laxam euaſuram ſperandum, pituitoſis nūc diſſipatis excrementis, quæ antea bilem ad inteſtina delatam expultricis irritamentum refrenabant; tamen quoniam ſuas in tot malis partes habere certum eſt; omni diligentia vtendum, quò ſingulis ſaltem diebus ſemel aluus fluat: ea propter clyſtere, vel ex lacte cum ſaccharo, vel ex iure pingui pariter cum ſaccharo, aut ex Oleo communi, & butyro recenti ſemel in die cienda eſſet: Clyſteres enim acriores ſiue valida purgantia medicamenta, aluum tandem pigram reddunt. Verum quoniam clyſteres abhorret, prunorum dulcium, aut paſſulatum in ſenæ decocto elixatarum vnciam vnam, vel alteram etiam immediate ante cibum mane ſumere poterit. Panis mica recenti butyro, & melle hiſpanico illita immediateque ante paſtum comeſta ventrem ſatis placide ſubducit, præſertim ſi panis eligatur ex tota farina Ius quoque carnium, in quo braſſicæ folia parum præbullierint immediate ante cibum potatum, quatuor vel quinque caricis pinguibus prius deuoratis, ſatis commode aluum mouere ſolet, quin etiam tartari ex Vino albo in puluerem tenuiſſimum redacti, & traiecti drachmæ duæ ex iure in prima menſa propinatæ, & aluum emolliūt, & ventriculum detergunt. Quibus, & egregium illud accedit remediū. Si in vini optimi ſemilibra, mannæ diſſoluatur libra, & deinde addatur cynnamomi inciſi tenuiter drachma vna, Pruna ſelecta viginti quinque, & lento igne vaſe probe obturato bulliant quouſque pruna totum abſorpſerint liquorem, quarum ſex, vel ſeptem excalfacta mane capiantur ante alios cibos. Venio tandem ad corporis maciem, & extenuationem, quod vltimo loco propoſitum erat. Cui quidem (ſi opus erit) duplici occurrendum erit præſidio, aquæ nimirum dulcis balneo, & lactis vſu. Balneum enim aquæ dulcis temperate mediocriterque calidæ, triplicem vſum in corpore humano præſtat, vacuan-

Lubricæ aluus redendæ ratio.

Balneum ad maciē.

euandi, implendi, atque attemperandi. Quod autem corpus repleat, ac crassius efficiat, Gal. Lib. de Salubri dieta Comment. quarto clare ostendit. Nec non secundo de sanitate tuenda c.7. De modo autem balneum administrādi nihil dicam, quod omnibus in arte, vel etiam mediocriter eruditis id maxime compertum sit. Illud tamen minime omittendum puto, quod vbi corpus implendū, eatenus in Balneo immorandum, donec corpus intumescat: quod idem Gal. lib.7. Methodi c.6. expressit: proinde præcauere expedit, ne vltra pergat calor, alioquin quod iam atractum est, in halytū digeritur. Neque hac in re communem veterum vsum seruare licet, nam curiosis nimium balneorum apud veteres apparatus iam exolenit. De altero remedio lacte nimirum reficiendis corporibus maxime opportuno pauca habeo, quæ proponam. Certum.n.est, & ab Hipp. & Gal. concessum, lac tum humanum, tum bubulum primas obtinere partes ad nutriēda reficiēdaq; corpora emaciata, vt asininum omnium maxime idoneum est pro humectandis corporibus exsiccatis, humidissimum namque est, & omni acrimonia priuatum, vt asserit etiam Hipp. 4. de Ratione victus in acutis. Quare, vt omnibus alijs præhabitis medicationibus Illustriss. Cardinalis lacte Muliebri vel bubulo 20 saltem diebus de more vtatur, etiam atque etiam hortamur. Neque ab hoc cōsilio me auocant hypochondria interdum murmurantia, eructationesq; acidæ, caput imbecillum, & ventriculus frigidus multisque pituitosis excremētis nunc refertus: in quo statu lactis vsum valde suspectum esse Hipp & Gal. cum pluribus in locis, tum præcipue Aph. 5. Aph. 64. memoriæ prodiderunt, & certe lac vtraque qualitate temperatum cum sit, tenuiq; substātia præditum, omni causæ, & iniuriæ est obnoxium: vnde in omnē partem, cui occurrit, & in humores quibus accedit facile alteratur, ita vt non nisi temperato ventriculo conueniat, in frigido facile acessit, in calido bilescit. Iam neque infirmo capiti conuenit, quod lac ex natura vaporosorū sit. Nec minus officit morbis frigidis laborantibus: tales sunt, in quibus hippochondria murmurant: id.n. citra flatulentam copiam fieri nequit. Hęc inquam obiecta nō conuincunt: etenim pręsupponimus omnia isthęc vitia, quę lactis vsum tanquam suspectum excludunt, pręsidiorum antea commemoratorū vi fore sublata. Atq; tot de Illustriss. ac Reuerendiss. Viri valetudine reparanda conseruandaq; proponenda erant. Faxit Deus, vt salutaria, & felicia tanto Viro contingant.

De lactis vtilitate.

Quæ lactis vsui reclament.

De neruorum diuturno affectu, ad Perillustrem, & Excellentiss. Dominum Guarinonium S.C.M. Medicum Primarium,
Consultatio LXXIII.

QVod Illustrissimus Dominus ita afficiatur, quemadmodum per Litteras nobis relatum est, vt ex interuallis quibusdam, ac præ-

Affectus. sertim horis pomeridianis, omnium ferme corporis partium motus vsque adeo impediatur, vt nec crura trahere, nec manibus vti, nec in dorsum, nisi omni conatu, intenta ceruice, se se erigere possit, causam *Causa.* reijciendam esse arbitramur vel in tenuem, serosumque humorem, *Pars affecta.* a capite in spinæ exortum præcipitantem; vel etiam in crassum, nebulosumque vaporem, ibidem contentum, spiritibus animalibus facultatem motricem deferentibus iter præcludentem: etenim cum affectus hic toti corpori communis sit, quod commune etiã membrum, ac principium exerceat, existimandum est: cæterum accessus, atque recessus celer, tenuem, facileque mobilem materiam indicat, vt Perillust. & Eccell. Guarinonius in doctissimis suis, & elegantissimis litteris asserere videtur. Ac licet nihil certo definiri possit, pro curandis affectibus, priusquam eorum, & laborantium integra natura constituta sit, vt magnus Hippocrates, ante omnes alios, non semel docuit: nihilominus quoniam litteræ tantũ efflagitant; Vtrum Balnea hæc nostra Illustriss. Domini ægritudini quidpiam auxiliari posse existimemus, ceteris omnibus omissis, nostram hac in re sententiam breuibus aperire consilium erit.

Ergo si quid inuenitur, in quo spes locanda videatur, pro tollendo inueterato hoc affectu, qui crescentibus annis exacerbari posset; plane sunt ea cuncta, quæ digerendi, calefaciendi, ac desiccandi caput, neruorumque principium potestatem habent; cuiusmodi sunt aquæ omnes naturales nitrosæ, aluminosæ, nõnihil sulphureæ, atque etiam ferreæ; cuius ratione roborare quoque satis conspicuum est; hæc enim ab effectus natura. Cerebri nempe, & neruosarum partium intemperie frigida, & demum a materia ipsa indicantur. Similes autem inueniri aquas in Agro Senensi, quales sunt Sancti Philippi, & Sanctæ Mariæ, Sancti Cassiani, quotidiana experientia locupletissime testatur; quod frigidos, maximeque neruorum affectus rebelles vario modo administratæ imminuant, atque expugnent. Ex quibus parato stillicidio, & Caput, & spinæ superior, atque inferior pars, mane, & vesperi, felici cum successu subijcitur; Mense præsertim Maij, aut etiam Iunij. In Agro præterea Neapolitano & Sudatorium, & Fumi, & Terra, Sulphatara nuncupata, extant huic negotio non inepta præsidia, a quibus non multum distat Ischiæ Insula, in qua Thermales Aquæ eiusdem etiam virtutis, ac valoris reperiuntur: Sed Senarum Balnea, a nobis paulo ante commemorata, cum pro stillicidio, tum etiam pro lauacro, proposito nostro magis videntur satisfacere. Hæc habebamus hoc tempore, quæ pro valetudine Illustrissimi Viri reparanda proponeremus. Faxit Deus Optimus, Maximus, vt prospera, ac salutaria succedant.

Balnea digerentia calfacientia, & desiccantia caput & neruorũ principiũ.

De Aſthmate pro Nobiliſſima Matrona Anconitana, Conſultatio LXXIV.

Aſthmatis quatuor iam ab hinc Annis, Maio Menſe, Perilluſtrem Mulierem quotannis grauiter ſollicitantis cauſam proximam, in ſpiritus meatuum anguſtiam, ex craſſo lento, viſcidoque humore profectam, reijciendam eſſe arbitramur: tum quia, eo tempore, vigente iam vere, ſuperuacui humores in prægreſſa hyeme accumulati, frigidi nempe, promoueri ſolent: tùm quia Auxilia a Clariſſimo Medico inſtituta, vt Chinæ decoctum, & eius generis alia, talem humorem reſpiciunt: quem quidem ſtatutis iam commemoratis temporibus, a capite per aſperam arteriam in pulmones prolabi, multa ſunt, quæ perſuadere videntur. Primum, quoniam morbi ex fluxione pendentes certa Peryodo reuertuntur. Alterum; quia Illuſtris Mulier, multis antea annis, Capitis dolore vexabatur, quod eſt Capitis infirmi indicium. Tertium: quoniam inſtante affectu, tument oculi. Quartum, nares, vt ex tranſmiſſis ad nos litteris intelleximus, ita obſtruuntur, vt ne minimum quid emittanr, neque odoratos halytus admittant. His accedit, & vocis illa raucedo (Broncoſam vocem appellare conſueuerunt) Deſtilllationis a Capite non obſcurum indicium. Ex quibus colligimus etiam, Cerebrum humidum impenſe, ideoque infirmum, commemoratorum excrementorum Auctorem vnicum eſſe. Quare vt proſpicere valeamus, quo minus affectus repetat, totius corporis, & capitis præſertim, excrementis detractis, capiti roborando ne in poſterum accumulet, incumbendum erit. Et ſi quæ, vt ſolet in eo ſuperuacanea excrementa aggenerentur, ad alias partes, quæ actionibus minus incommodent, auertenda erunt. *Affectus cauſa.* *Scopi.*

Quapropter ineunte Autumno, lenita aluo, vel Diacatholicone, vel Melle Roſaceo ſolut. vel conſimili leniente medicamento: nec non ſecta communi vena brachij dexteri, atque humoribus præparatis ſyrupo de Bettonica, Capillorum Veneris, Oxymellite, cum aquis, vel decoctionibus eiuſdem farinæ, exquiſita totius corporis purgatio ineunda erit ex Agarico, vel ex Pilulis de Agarico Meſues, aut ex Cochijs Raſis, & Aggregatiuis Meſues ſimul permiſtis, vel ex alijs eius generis purgantibus Medicamentis, quæ Clariſſimo Medico curam gerenti notiora ſunt, quam explicari debeant. *Curatio.*

Qua peracta Purgatione, Auerſionis, Deriuationiſque gratia, & errhina, & cauteria duo, alterum in crure dextro, alterum in ſiniſtro brachio magnopere ad præcautionem Perilluſtri fœminę profutura ſperamus. In quem vſum etiam Pilulas aliquas ex dictis, bis in Menſe, toto Autunno, & hyemis tempore deuo-

randas summopere laudamus. Interim Pilularum loco, bolus ex Terebynthine claræ vnc. sem. & Pulueris Iuæ dr. 1. paratus, quatuor horis ante cibum oblatus admodum salubris censetur. Cęterum quoniam in diuturnis passionibus, & præcautionis, & curationis gratia, nullum fructuosius præsidium excogitari potest recta victus ratione obseruata; huic totis viribus insistendum esse etiam, atque etiam hortamur: quam ab Excellentissimo Viro alias ex Arte præscriptam fuisse, & in posterum esse præscribendam haud dubium est. Idcirco singula huic operi destinata recensere superuacaneū putamus. Illud solum in memoriam reuocandum, quod dicere consueuerat Hippocrates, Cœlum quod morbos peperit, interdum mutandum esse. His omnibus opportune administratis, capiti roborando, Medicamentis sine vehementia, & citra insignem calorem siccantibus consulendum erit, vt conseruarum capitalium vsu, & Mytridaticę confectionis interdum; nec non capitis lotionibus ex lixiuio in quo capitalia simplicia, moderate siccātia præbullierint. At verò ineunte vere, Aprilis initio, eadem prorsus medicatio ineunda erit, quæ & in Autumno.

Qua quidem peracta, speramus fore, vt vel non repetat affectus, vel saltem longe mitior. Verum si commemoratis auxilijs non obstantibus, malum eadem sæuitia rediret, præter commemorata præsidia, duo alia efficaciora proponuntur: Alterum auersionis gratia, cauterium in ceruice: Alterum stillicidium capiti admouendum ex aquis medicatis, siccandi citra insignem calorem facultate præditis. Quid autem moliendum sit malo infestante, atque forte fortuna vrgente accessione; Doctissimo tunc curanti Medico tanquam notissimum relinquimus.

De mentis Torpore, memoria labente, linguæ Paralysi, orisque tortura; pro Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Taruggio Dignissimo,
Consultatio LXXV.

Affectus. Mentis torpor, imminutaque memoria, symptomata in functionibus principis facultatis imminutis in Illustrissimo, ac Reuerendissimo Viro annum ætatis suæ septuagesimumquintum agente, cerebri morbum consequuntur, intemperiem nempe frigidam cum humore: hæc enim functiones omnes torpidas segnesque reddere solet. Linguæ autem impeditus motus, Paralysis videlicet, sed imperfecta, quoniam incolumi seruato huius partis sensu, motus ex toto non perijt, symptoma actionis motricis facultatis imminutæ a morbo pendet in meatu, ijs nimirum neruis aliqua ex parte impeditis, qui a septima cerebri coniugatione prope spinalis medullæ initium deriuantur. De oris autem tortura controuersum est apud Clarissimos Consultores, num videlicet spasmus cinycus, vel Paralysis affectio censenda sit. Qua quidem in re quid ipse sentiam, paucis exponam.

Morbus. Frigidi morbi incōmoda. Quis affectus paralysis imperfecta. Morbus. Oris tortura.

Cum

Cum in cinyco spasmo labrum, facieique partes absque voluntatis imperio instar ridentium frequenter contorqueantur, in Illustrissimo autem, ac Reuerendissimo Viro huiusmodi contorti labri motus minime obseruetur, sitque vitium hoc in figura potius deprauata, Paralysis poterit rectius appellari, quam spasmus; præsertim cum laborantis partis sensus hebes, & torpidus sit. His accedit quod in conuulsione labrum in affectam partem contorquetur, in Paralysi autem ad oppositam, sanam nempe. Quod quidem in Illustrissimo, ac Reuerēdissimo Viro obseruatur, in quo quidem faciei pars tota dextra prætumida apparet, ab oculo eiusdem lateris humor quidam aqueus instar lachrymæ assidue prolabitur, labrumque eiusdem lateris colapsum depræhenditur; quæ quidem signa partem hanc, dextram scilicet, primò affectam esse cumulatissime indicant: Nihilominus oris tortura in sinistra parte magis manifestatur, quandoquidem partis huius musculi agentes, oppositam trahunt, cuius quidem musculi resoluti prorsus otiantur. Igitur affectum hunc non spasmum cinycum, sed imperfectam Paralysim appellandum censemus, symptoma videlicet functionis ablatæ facultatis motricis, & diminutæ sensitricis. *Cōuulsionis, et Paralysis differentia.*

Sequitur autem vitium hoc neruorum magna ex parte a cerebri tertia cōiungatione prodeuntium obstructionem vel coarctationem a pituitoso succo tenaciter impacto; spirituum influxum, distributionemque interpellante. Porrò affectus omnes præter naturam iam commemoratos, a cerebri frigida humidaque intemperatione cum materia, veluti a fonte vno scaturire, communibus calculis inter nos statutum fuit. Vitium autem hoc cerebri ætatem declinantem consequens, magnopere auxere, & temporis præsens constitutio admodum frigida, & tum animi, tum corporis labores immodici, assiduæ meditationes, atque sine vlla fere intermissione studia. Quæ quidem quantum innatum viscerum, & cerebri maxime calorem violare possint, omnibus compertum esse haud dubito. De morbi autem futuro euentu sic sentio. Morbus hic magnus quidem, si non propriæ essentiæ, partis tamen præstantiæ, cerebri nempe, ratione, in sene futuram Apoplexiam portendit minaturque ea propter vix certò polliceri possumus Illustrissimum, ac Reuerendissimum Cardinalem ab hoc apoplexiæ impendente periculo tutum fore; præsertim cum alias etiam in hæc eademque fere mala inciderit: si tamen affectus in posterum non recurrat, quod faxit Deus, sperandum fore Illustrissimum, ac Reuerēdissimum Virum ab hac molestia liberatum iri; quoniam affectus hi omnes, quibus in præsenti tenetur non sunt vsque adeò consumati quin ex toto deleri, vel saltem ita excindi possint, vt vitam in multos annos protrahere, consuetaque munia obire possit. Id autem vt succedere possit, in primis omni diligentia, & sedulitate, rectę, & constanti vitæ rationi incumbendum est, vt morbificæ causæ omnes *Paralysis quē morbū sequatur.* *Affectuū omniū prima origo.* *Causæ externæ.* *Præsagia* *Curationis scopus primus.*

nes

Victus ratio. nes externæ prohibeantur. Quocirca, aerem inclementem, Cœlum frigidum, ventos & solem Illustrissimus D. fugiat, oportet. Et quoniam somnus concoquit, vigiliæ autem digerunt, atque vtroque opere hic egemus, vt in somno, & vigilijs mediocriter se se gerat, quam maxime hortamur. Neque somno se det nisi duabus saltem horis a cœna, quæ prandio vtique parcior esse debet. Supinum etiam decubitum, quo cerebri excrementa in neruos procurrunt, inter dormiendum deuitet. Corporis motus, & exercitationes moderatæ, vt deambulationes in locis apricis vtiles quam maxime censentur, ieiuno ventriculo mane præsertim. Quemadmodum, & capitis frictiones, pectinationesque. Aluum fluere singulis diebus omni Arte procurandum, si natura in hoc opere defecerit. Ab animi laboribus immodicis importunisque studijs pro viribus abstineat; ob id tamen studia moderata, piasque meditationes nequaquam interdicimus, quod (vt dicebat Philosophus) meditationes memoriam non solum confirmant, sed etiam augent; conari enim intellecta ad memoriam reuocare hanc ipsam firmat roboratque. Quod verò ad cibum, & potum attinet, cibi omnes frigidi, humidi, crassi alimenti, excrementitij difficilisque coctionis prorsus sunt vitandi; vt Pisces vetustiores, legumina, herbacea, lagana, caseus præsertim vetustatæ induratus, carnes durioris substantiæ, fructus, & huiusce generis alij. Quemadmodum, & qui in caput facile euaporant, vt allia cæpæ & consimiles. De potu autem sic sentio. Vinum licet ob id valde suspectum habeatur, quia caput & neruos ferit; ætatis tamen ac virium ratione, Vinum tenue minime vinosum, & decocto vel Guaiaci, vel ligni visci quercini attemperatum tuto concedi potest. Cuius quidem vsu animam mansuescere Ruffus Medicus dicebat. Et ne a cibo praui vapores in cerebrum ferantur, indeque excrementa sucrescant, ab ingestis semper cibis, vel coriandris saccharo contectis vel Diacytonio, vel saccharo rosaceo in tabellis vtatur, oportet, atque de victus ratione causas morbificas externas declinante, hæc pauca dixisse sufficiat.

Victus ratione hunc in modum instituta, constanterque obseruata occursum fuerit causis euidentibus, quominus earum importunitate pituitosa recrementa in dies cumulentur.

Secundus scopus. Mox omnis impura humorum colluuies purganda erit vel pilulis cochijs, vel de Hyera cum Agarico, vel fœtidis, aut de Agarico Mesues, quæ quidem minori copia per interualla repetenda erunt, apparantium pharmacorum vsu interim non neglecto, vt Clarissimi Medici prudenter præstare cœperunt. A peracta vniuersali purgatione, cerebri excrementa cursu naturali per nares expurganda sine mora erunt; Errhinis nimirum medicamentis citra sternutationem. Quorum maxime opportunum erit decoctum ex melanthio, Veratro nigro, & betæ radice. Apophlegmatismi autem, & ma-

stica-

sticatoria hoc in casu suspecta non nihil ex eo iudicamus quod materiam ad os ipsum attrahant. Corpore vniuerso simulq. cerebro priuatim expurgato, ad prauorum succorum reliquias dissipãdas, simulq. ad cerebri frigidam humidamq. ascititiam intemperationem corrigendam, ligni guaiaci decoctum a Clariss. Viris propositum non possum non nisi summopere comprobare, eoq. maxime si cum ligni visci quercini modico paretur, atq; in ebullitionis fine simplicia aliqua cephalica ad ebulliẽdum addantur; seruata victus ratione (vt antea diximus) calfaciente, siccante, attenuante, & tenui quidem, sed cũ quadam mediocritate, ætatis, & virium ratione. Quod vero tertio loco agendum consulimus, est, vt cerebrum ætatis decursu, & euidentiũ causarum importunitate refrigeratum, & plus iusto humectatũ, pristino pro viribus temperamento restituatur; idq. medicamentis, & internis, & externis. Ea propter Theriacæ dr. vna, vel Mitrydaticę cõfectionis totidem hora somni vtiliter interdum exhiberi poterit; nõnunquam conseruæ, vel Betonicæ, vel anthos, aut saluię vnc. med. cum spicę nardi scrupulo medio horis tribus ante prandium per dies aliquot propinabitur. Quo tempore etiam medicamentis forinsecus admouendis incumbendum erit: sunt autem, & pulueres (vt a facilioribus exordiamur) capitales ex rosis, Betonica, Thure, Mastiche, Sandaraca (vernicem appellant) & ex alijs consimilibus confecti, qui syncipiti melle prius illito applicantur. Eiusdem Classis sunt, & cerata capitalia, & sinapismi, ac tandem (malo non cedente) metasyncritica, hoc est conceptum in cerebro humorem ex alto euocantia, quæ commissuræ pariter coronali tuto admouentur. De inurendo in hunc vsum capite iusta anteriores sutturas, de quo opere video a Clarissimis consultoribus dubitari, sententiam meam libere proferam. Capitis inustionem supra sutturam coronalem candenti ferro ad os vsque peruenientem multis in locis, ac præsertim Romæ vsque adeò celebratam non modo improbo, sed quam maxime detestor, quippe qui certo sciam opus hoc tum ob multa alia, tum ob ossis ea in parte tenuitatem, valde periculosum esse: quapropter iubet Hippocr. in tractandis capitis vulneribus, omni diligentia & sedulitate cauendum, ne suttura contangatur: ob id fortasse vnicam dumtaxat vstionem, eamque in sola cute supra commissuram faciendam, Doctissimi Viri consulunt, quam quidem non improbo, sed ad euocandam ex alto materiam cerebrum exercentem, atque ad siccandum roborandumque cerebrum vnicam vstionem hanc cutaneam minime suffecturam haud dubito. Plures autem capitis supra sutturas ab Aetio in hunc vsum celebratas inustiones (osse intacto) veluti ad hoc opus efficaciores non inuitus comprobarẽ, nisi dolorifica, & quasi inhumana operatio hæc me deterreret. Hinc factum esse arbitror, quod Gal. lib. secundo de Medic. compos. S. L.

Ligni decoctum.

3. scopus.

Caput roborãtia interna remedia.

Caput roborantia externa.

De capite inurendo. Auct. sententia.

hoc in casu Metasyncritica medicamenta, nulla de inustionib. mentione habita, eligit: de quibus tamen Hipp. non semel tantum meminisse non ignorabat. Igitur (vt ad pensum redeam) tentatis prius sumptis, & admotis præsidijs siccando capiti opportunis, vt confectiones, pulueres capitales, inunctiones, fotus, cerata, atq; sacelli ex milio, furfure, sale, seminibus fæniculi, anisi, & bacis lauri, torrefactis, necnon huiusmodi alia temperate siccantia, de quibus antea diximus; malo vrgente in Illustriss. D. iam ætate confecto, sinapismos vstionibus longe lubentius anteponerem.

De stillicidij vsu. Stillicidium autem ex aquis naturalibus sulphureis aluminosis, & nitrosis, seu salsis, quod ad siccandum roborandumque caput interdum administrari solet, hic non nisi inuitus amplecterer, quod & ratione, & quotidiano experimento compertum habeam, stillicidij lõgo vsu cerebrum plus iusto exsiccari: hoc autem in casu medicamenta impense siccantia ob id suspecta censentur, quia cerebri humidũ innatum caloris pabulum, quod ætatis cursu violatur, magnopere dissipãt; *Siccantia medic. suspecta.* quemadmodum nec suffitus ex halytu sulphureo, qui in Agro quodam Neapolitano hauriri solet, in capite hoc valde infirmo probare possum. Porrò de hoc medicamenti genere Gal. quarto de Medic. Loc. c. 4. sententia verificari potest, videlicet quod medicamentorum sæpe promissiones amplę sunt, & maximæ, sed effectus interdum nullus, vel valde exiguus; neque ob id Neapolitana sulphurea suffumigia isthæc vbique magnopere celebrata detestor, sed illud innuere volo, quod in horum vsu, summa cautione ratio habenda sit laborantis temperamenti, ætatis, virium, & temporis constitutionis. Quod si in capite etiam per proposita medicamenta perbelle roborato, recrementi aliquid in posterum gigni contingat, id totum deriuabitur *4. scopus.* simulq. euacuabitur per nares errhinorum vsu, quo etiam opere auersio a partibus affectis cerebro subiectis non ignobilis obtinebitur: in quos eosdemq. vsus cauterium in nuca excitatum, diuq. apertum *Cauteriũ.* seruatum, primas inter auertẽtia auxilia partes obtinere tam notum est, quam quod notissimum: quinimmò per vlcus ea in parte excitatum, nerui linguæ inseruientes impediti, facilius expediri poterunt, quippe qui a septima cerebri coniungatione prope medullæ spinalis initium (vt antea dictum est) propagantur. De venæ sectione ad *venæ sect.* præsidia Chyrurgica pertinente nihil habeo, quod nunc proponam, quoniam tale præsidium neque a morbo frigido cum humore indicatur, neque ab ætate, & viribus permittitur. Cum vero medicamẽta roborando cerebro accommodata administrantur, simul etiam topicis vtendum erit pro discutienda materia neruis ipsius linguæ tenaciter impacta, necnon vt musculi partis faciei dexteræ inferioris cum suis neruis, qui & languidiores effecti, & humore flaccescentes in sinistram partem concidunt, expediantur, moderate siccentur, roboren-

rentúrq. Igitur ad linguam resolutam. Recipe Nucis Moschatæ puluerataæ drach. 1. Pyrethri Puluerati, Ligni Sassaffras singulorum scr. vnum Croci, scrup. med. & cum oxymellite formentur pilulæ nouē, quarum vna ore assiduo contineatur, huc illucque ducatur. Interim partes resolutæ ad labrum, & ad faciem pertinentes singulis quatuor horis illinantur, vel Oleo Costino calente, vel Vulpino, & interdum etiam Oleo de Nuce Moschata. Sunt etiam, qui hoc in casu fęlici quoque cum successu cucurbitulas duas paruas ceruici cum leui incisione affigunt. At verò ad figuræ vitium eximendum Auicennas Paulus, & Aetius deligationem, qua faciei pars contorta pristino restituatur loco, magnopere commendant. In quem vsum etiam poterit Illustrissimus, ac Reuerendissimus Vir speculum ex Chalybe frequenter intueri eo consilio, vt omni conatu assidue partes contortæ in pristinam sedem deducantur. Hæc autem certa, & admodum tuta est non solum pręsentium malorum curatio, verumetiam imminentium præcautio, quæ si rite administrentur nunquam (vt spero) nos fallet. Placeat Deo Immortali salutaris, & prospera Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali de Republica Christiana Benemerito quamprimum eueniat.

Ad linguæ paralisi.

Ad labra resoluta.

Cucurbitulæ ceruici affigendæ.

Ligatura.

Speculi vsus.

De Morbo Gallico pro Nobilissimo Iuuene quodam Hispano, Consultatio LXXVI.

NObilissimum Iuuenem propositum Lue venerea teneri, & prægressa, & præsentia aperte declarant; etenim a congressu cū Muliere quadam hac Lue infecta, tribus vel quatuor diebus pudēda primum contagionem senserunt; deinde paulo post, caput, & externæ corporis partes pustulis quibusdam subrubris laborarūt. Subinde dolores circa articulos, & ossa infestare cęperunt, quibus nunc etiam sollicitatur, qui tamen dolores circa dextrum duntaxat crus in pessimos tumores (Gummata vocant) desinerunt.

Affectus.

Causa externa notissima est, Gallica videlicet contagio.

Causa.

De morbi autem huius natura, varii varia sensere. In summa pustulæ rubræ pruriginosæ, dolorem punctorium inferentes, quæ vt plurimum inter morbi huius initia contrahuntur, necnon capillorū profluuium, calidam in hepate conceptam intemperiem luce clarius ostendunt: cui tamen totius substantię morbum iunctum esse nemo inficiabitur: cuius quidem ferocia in natiuum calidum vitæ nostrę principiū sæuit, & debacchatur. Licet tempore ob dolores, vigilias & animi tristitiam, natiuo violato calore, frigidi subinde tumores suscitentur. De morbi futuro euentu ita determinandum puto.

Morbi natura.

Præsagia.

Quamuis Lues hæc vetustate altius radices suas egerit nihilominus, & iuuenilis Laborantis ætas, & opportunum medicationibus tempus, ver nimirum quod iam iam instat, multa nobis bona polli-

centur, modo vna cum peritissima prioris Medici diligentia & studio laborantis patientia obsequentiaque non desiderentur. Illud vnũ quoque futuræ salutis spem non parum auget, quod medicamenta Bezahartica pestifero morbo huic profligando propria, (Guaiacum nempe, & Salsa) secundum congruam medendi rationem minime huic administrata fuere: Etenim & lignum, & salsam in puluerem redacta cum sena, Polypodio, Agarico nonnullisque medicamentis soluentibus commixta, per multos dies sine vllo successu ab Empiricis quibusdam propinata illi fuere. Porrò data hunc in modum ista hæc medicamenta nihil vel parum iuuare, & ratio, & quotidiana experientia me docuit: Guaiacum enim, & Salsam pariliam non solum Bezahartica facultate cum hac Lue luctari, verumetiam quatenus noxios humores ab intimis ad extimas corporis partes euocando, vel per halytum digerunt, vel sudore dissipãt, nemo est, qui neget. Sed motum hunc a medicamento purganti ab extimis ad intimas trahente impediri, quis nam inficiabitur?

Lignũ & salsa dupliciter agunt.

Error primus.

Igitur purgantia medicamenta nec Guaiaco, nec Salsæ sunt commiscenda. Duo alia quoque peccata commissa fuere in ligni & salsæ vsu. Primum statim ab assumpto medicamento (vt ex Perillustris Iuuenis Nuncio accepi) omni arte violentiaque sudorem euocare contendebant Assistentes: vnde id consequebatur incommodi, quod distractis vna cum natiuo calore spiritibus, sumptum medicamentum non ita conficiebatur, vt per vniuersa corporis vasa cõmode distribui dispensarique posset: quo fit etiam vt vtriusque medicamenti decoctum consultius sit propinare, dein ab epoto decocto hora saltem vna sudorem prouocare, quam vtrumque vel alterum in substantia (vt vocant) exhibere. Alterum peccatum commissum fuit in victu, quem (vt audio) tenuem & exquisitum toto hoc curationis tempore semper retinuit; vnde violato natiuo calore, natura, quæ morborum est curatrix, perniciosam hanc luem viribus suis frenare minime potuit. Hinc illud colligitur præceptum in præscribenda victus ratione tum sanis, tùm ægris perpetuo obseruandum: videlicet victum tenuem, & exquisitum semper periculosum esse, ac corporibus præsertim biliosis, quibus summa inedia est inimicissima. Ergo (vt eo redeamus vnde digressi sumus) cum remedia huic morbo explodendo opportuna, hactenus decenter vsurpata non fuerint, si quam primum hæc eadem, sed apposite repetantur, Nobilissimum hunc Iuenem tandem sanatum iri non dubitamus. Licet in biliosis corporibus, quale est, cui nunc incumbimus, lues hęc magis effera sit, mitior autem calidis & humidis, quoniam vt ex Gal. colligitur quarto de Tuenda valetudine, sanguis, & naturalis pituita naturæ propriæ clementia acres, biliososque humores infrenare solent.

In ligni, et salsæ vsu errata duo.

Præceptũ

Galical-ue biliosis inimica magis.

Remedia erunt, quæ biliosam magna ex parte, & non nihil pituitosam cacochymiam abigunt purgatione per deiectiones, vomitiones,

Curandi ratio.

nes, expuitiones, sudores, vrinas, ac per insensibilem halytum. Vbi.n. redundantes praui succi corpus vniuersum exercent, ex Gal. præceptis omnibus pariter euacuationum speciebus vtendum: licet quæ fit per vomitum, antecedentem potius, quam continentē morbi causam respiciat. Duo hic non leuis momenti sunt aduertenda, nimirū purgantibus bilem, & pituitam ex interuallis repetitis semper commiscenda esse, quæ atram bilem blande deturbare valeant: neque vnquam concedendæ sunt pilulæ a compluribus hoc in casu vsurpatæ, argentum sublimatum continentes, vt quæ venenatę sint & naturæ nostræ inimicissimę.

Gal. pręceptum.
Curatio p vomitum.
Obseruanda in purgatione.

Corpore apposite prępurgato, ad luem hanc delendam, decoctum Guaiaci primas quidem partes obtinet, verum in subiecto hoc ex lōga inedia vsque adeo extenuato, ad Chinæ cum Guaiaci modico vigoratę decoctum libentius confugerem: China enim licet siccet tertio fere gradu, in actiuis tamen qualitatibus temperata est.

Chinę decoctum.

Decoctum autem sic parabitur Chinę orientalis radix densior recentior, & minus carie implicata deligatur, quæ per transuersum in tenues rotundasq. assulas incidatur: atq; huius dr. 2. in aquæ limpidæ lib. duabus cum Guaiaci drach. 1. misceantur, in qua quidem aqua horis saltem duodecim macerentur: deinde ad consumptionem tertiæ partis lento igne coquantur singulis diebus: quoniam decoctum hoc asseruatum acidum euadere solet. Cuius vnciæ sex, vel septem, vel etiam octo in aurora propinentur, ab assumpto decocto calente tribus saltem horis decumbat patiens in lecto pannis probe contectus, sudareque procuret, & vbi sudor prodierit, calidis linteis abstergendus erit, seruato ab epoto medicamento quinque horarum interuallo, prandeat, & a prandio horis quinque eiusdem decocti vncię sex offerantur, dein seruata quatuor saltem horarum intercapedine, (quo tempore sudatoriis non est opus) cœnabit, eritque cœna longe parcior prandio. Secundum decoctum in hunc modum parabitur, super relictis Chinæ orbiculis in vmbra siccatis, & Guaiaci torniti drach. 1. cum dimidia, affunde aquæ communis lib. quattuor, coque ad euaporationem tertiæ partis: colatura asseruetur pro attemperando Vino. Quo quidem decocto vigintiquinque diebus continuis ea lege vtendum illi erit, vt singulis decem plus minus diebus leuis purgatio instituatur, salubri seruato regimine. In quo Aer arte subtepidus seruari pro viribus debet: cibus in hac humorum acrimonia, & notabili siccitate humectans sit, boni succi, facilis coctionis, & paucorum excrementorum: proinde in prandio vel oua sorbilia, vel carnes iuuenum animalium elixatæ concedi poterunt, nec non & fercula, licet iusculorum & herbacearum frequentiam circuncidimus, quemadmodum salsa, acria & frixa omnia. Interim pro conciliando somno, statim a cœna capiat interdum Diacodionis in rotulis recentis drach. 3. Interdum Theriacæ recentis drach.

Chinę decoctum.
Somnum conciliantia.

mediam cum Coseruæ violarum drach. 1. Quo medicationis tempore, ad sedandos dolores, qui crura, & brachia sæpe affligunt, fomentum ex decocto nunc præscribendo imperabitur.

Pro sedādo dolore.

Rec. Florum Chamæmeli, Meliloti
Anethi, Stæcadis, Saluiæ | an. man. 2.
Absinthij, furfuris
Sulphuris in puluerem redacti | vnc. 2.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & Vini pro fotu spongijs partibus dolentibus applicando. A fotu pluries repetito, Oleum Sulphuris, Guaiaci spumæ commistum illitum, mirum in modum fert opē in frigidis doloribus.

De hydrargyro.

At vero hic quis iure optimo quærere posset: cum Lues hæc in præsenti laborante longius prorepens, radices iam figere videatur, num ad extremum, efficacissimumque remedium quamprimum confugiendum sit; nimirum ad inunctiones ex Hydrargiro, quibus cōplures vel etiam magni nominis Viri morbi huius curationem suscipiunt. Quandoquidem Hydrargyros summe frigida cum sit, narcotica vi dolores quoscumque sopit lenitque: cum humida etiam sit, præduros tumores omnes emollit, concretosq; dissoluit: & quoniam tenuium maxime est partium, omnes corporis partes prompte subit & penetrat; materiam huic venenato morbo substratam per sudores interdum dissipat, nonnunquā per ventris deiectiones expurgat quandoque etiam multam ex ore pituitam proiicit; vnde ex accidenti desiccans vacuansque apparatum morbosnm, symptomatis succurrit.

Ex hydrargyro incōmoda.

Interim tamen non sine maximo cruciatu, oris tedio, *virium insigni* iactura, atque imminenti periculo laborantem fatigare solet. Quinimo cerebrum, neruos, & artus eatenus laxat infirmatque, vt singulæ corporis partes in omnem morbum pronæ reddantur. Quin etiam quotidiana experientia compertum est, eos qui per Hydrargyrum curantur, nullam aliam curationem admittere, si in eundem morbū recidant, & reliqua præsidia esse prorsus inefficacia. Quo circa Guaiaco, Salsa, & China Luem hanc curare tentandum, inunctionibus ex hydrargyro dimissis, atq; earum loco mirum in modum confert ceratum mihi valde familiare, quod & neruos cōfirmat, & frigidam materiam omnesq; duricias discutit. Est autem huiusmodi.

Auctoris Ceratum.

Rec.
Amurcæ Olei Irini | vnc. 3.
Olei Liliorum alborum | vnc. 2.
Olei Sesamini, & Amygdul. | an. vnc. 1.
Fimi columbæ | vnc. med.
Croci, Sulphuris ignem non experti | an. scr. 2.
Pinguedinis Tassi, Anseris | an. vnc. med.
Ceræ albæ | dr. 3.
Resinæ q.s. fiat Ceratum.

Quod quidem partibus dolentibus tumentibusq; applicetur.

Por-

Porrò vt præsidiorum, quæ extrinsecus admouentur ceratum iam præscriptum efficacissimum est, ita & eorum, quæ sumũtur maxime valẽt Pilulæ nobis maximopere familiares, & probatæ. Sunt autem.

Rec.	Guaiaci aquæ ardenti extracti	dr. 1.
	Trochiscorum viperinorum	scr. 2.
	Scordij veri	dr. med.
	Succi fumiterræ q.s. fiant pilulę	num. 7.

Pilulæ probatæ.

Quarum vna deuoranda datur immediate ante decoctum superius descriptum.

Quod si iam peratis præsidijs malum hoc non cedat.

Rec.	Corticis ligni guaiaci minutim incisi	vnc. 4.
	Interioris eiusdem torniti	vnc. 2.
	Salsæ parilliæ similiter incisæ	vnc. med.
	Senę, Polipodij	an. vnc. 1.
	Epithymi, fumarię, borraginis	an. man. 1.
	Cichorei, florum cordialium	an. man. med.
	Radicum diureticarum, Buglossæ	an. dr. 2.

Syrupus egregius.

Infundantur omnia in aquæ limpidæ li. 15. per horas duodecim. Deinde bulliant lento igne ad medietatis euaporationem, & percollati lib. quinque adde sacchari lib. duas, postea iterum bulliant donec fiat Iuleb longum vocatum ad modum mullæ, cui adde pulueris hermodactylorum vnc. semis, Pulueris Diarhodon abbatis drach. vnam, Cinnamomi electi drach. sem. Cuius vnciæ quinque, vel sex dentur horis quatuor ante prandium alternis diebus Mense vno. In quo quidem decocto parando aduertendũ, vt omnia ingredientia iam commemorata bulliant in vase perbelle obturato, ne herbarum, quæ nõ tantam ebullitionem sustinent, quantam lignum guaiacum, vis exhalet. Nec mirandum si solutiua aliqua hic ligno ipso commisceantur, quod paulo ante detestabamur, quandoquidem hæc in numero eorum sunt, quæ clementer purgant, atque ea mensura, & moderatione sumuntur, vt nullam corpori violentiam inferre possint.

De vena secanda hoc in loco verba non habui, quod neque mittere sanguinem per vires liceat, neque morbus id requirat, quippe qui non plethora, sed in cacochymia sit positus: quibus illud etiam accedit, quod Lues hæc sanguinis detractionem non efflagitat, nisi inter initia. Tot dicenda occurrebant pro valetudine reparanda, retinendaque propositi Iuuenis, quibus Deus immortalis aspirare non dedignetur. *De sãguinis missione.*

De Hydrope. Pro Domino Io. Paulo Aquilano, Consult. LXXVII.

SPirandi difficultas, ventris tumor, & grauitas, color vitiatus ex virore albicans, cibi fastidium, & assidua ingensque sitis in proposi- *Hydropis comunia signa.*

Ascitis signum. to ægrotante, Hydropis certissima sunt signa. Quod vero venter agitatus talem sonum reddat, qualem solet vter, vbi aqua semiplenus agitatur, Hydropis speciem ascitem aperte ostēdit. Vitium hoc, quod ab aqua nomen accepit siue cum Gal. Lib. de Tumoribus circa finem, morbum appellemus quatenus ventris inferioris tumor est præter naturam functiones oblædens, siue symptoma vna cum eodem Auctore Lib. de Differentiis symptomatum cap. 4. nominemus vt læsa est sanguificatio (vnde clare constat Galenum in hac varietate iniuste ab Argenterio de Inconstantia reprehendi) Vtut sit, certum est ex eiusdem Gal. sententia Aph. 4. Com. 11. Hydropem omnem frigidam hepatis intemperiem consequi. Quæ quidem frigida intemperies propositi laborantis Iecur fatigat non solū per affectionem propriam, quatenus tumore satis insigni laborat, verum etiam per Lienis societatem; quod quidem viscus multis ab hinc Mensibus magno præduroq; tumore exercetur. Nec mirum, quandoquidem ab hepate, & liene multa symptomata, & præsertim hydrops promiscue originem ducunt: ambo enim hæc viscera humorum procreatione excretioneq; plurimum occupantur.

Affectus præter naturam.

Morbus.

Hepatis et lienis, consensus.

Causæ euidentes. De causis externis pauca sunt dicenda, quod pro comperto habeā ægrotantem hunc multa, eaq; grauia errata in viuendi modo frequēter commisisse: ac præsertim in gelidæ, largiore frequentioreque potu, nec non in fructuum, lactucarum, herbaceorumq. omniū immoderato vsu. Quibus ita constitutis haud dubium est quod si nobis est curæ ægrotantem hunc ab hac calamitate, a qua vitæ periculum manifestum impēdet, liberare, necessum est ante omnia mali huius causas euidentes congrua victus ratione prohibere. Deinde quamprimū aquam ex ventre educere, posthęc obstructiones hepatis & lienis pro viribus demere. Postremo viscera corroborare. Qui quidē scopi Gal. correspondent indicationibus pro delendo hoc morbo Lib. secundo ad Glauconem circa finem propositis. Sed propositos scopos ex toto assequi arduum fore ideo suspicamur, quoniam vetustæ viscerum, hepatis nēpe, & lienis obstructiones, a quibus omne malum pendet in ætate iam matura, immo inclinante, vix superari possunt: curationis etiam difficultatem auget ægri impatientia, atque summa incontinentia: Attamen cum quotidiana experientia medicinam facientibus compertum sit, miseros interdum ægrotantes a maximis desperationibus euadere, quod & Hippocrates ipse non semel tantum animaduertit, de laborantis huius futura salute non prorsus diffidendum, præsertim cum generosorum præsidiorum huic morbo superādo accōmodatorum nondum exploratorum vis summa, spem aliquē polliceatur, vt hac ratione alacriter curationem aggrediendam esse, censeam. In qua quidē victus in primis modice calefaciens, siccans, tenuis, & extenuans imperabitur. Et vt caput hoc breuiter absoluam, illud tantum monitum volo, vt æger propositus parce admodum

Meth. Med.

Præsagia

Victus rō.

bibat,

bibat, viniſq. pauciferis & tenuibus potius quam vinoſis, & craſſis vtatur: quinimmo ſi a potu potulentiſq. omnib. abſtinere velit, incredibilem vtilitatem inde percepturum non dubitamus. Memoriæ enim proditum eſt complures omni potu prorſus interdicto ab Hydropicis paſſionibus, vel etiam conſumatis euaſiſſe. Illud etiam minime ſilendum puto, vt radices, folia, & ſemina, quæ ciendi vrinam facultate pollent, edulijs ſuis frequenter commiſceantur. Reliqua verò ad dietam pertinentia, periti in Arte Medici, qui huic curationi præeſt iudicio libenter ſubijciam.

Pro ſecũdo ſcopo explendo, apparãdi prius erunt humores aquoſi & corrupti in venis ſaltẽ concepti, vt vna cum aqua corrupta in ventre contenta faciliori educantur negotio, apparabuntur autem ſic. *2. ſcopus.*

Pręparatio.

Rec. Syrupi cichorei compoſiti	vnc. 1.	miſce.
Syrupi de ſcolopendria	vnc. med.	
Mellis roſati colati	dr. 3.	
Aquarum abſinthij, Fœniculi, Capillorum veneris	an. vnc. 1.	

A quinto vel ſeptimo ſyrupo in aurôra datis, omni ſtudio aquam in venis, & ventre conceptam purgare opus erit, primò quidem clemẽtioribus catharticis, deinde valentioribus. Inter placidiora, quæ citra moleſtiam aquam detrahunt, & hepar roborãt, primum locum obtinet Braſica marina in puluerem redacta (quam Vulgus ſoldanellã, Arabes cachitam vocant) ex iure columbi, vel ex aqua ſcolopendriæ horis ſaltem quatuor ante cibum data. Doſis eſt a drach. 2. vſque ad quatuor. Quo quidem cathartico tertio quoque die vti poterit. Valentiora ſunt, ſuccus radicis Ireos depuratus a drac. duabus vſque ad vnciam mediam bis in hebdomada cum mellis roſati vncijs duab. in aurora datus, hac lege, vt inter has vacuationes valentes, Iecur corroboretur hoc medicamento. Recipe ſpecierum Diarrhodon abbatis, Trochiſcorum de Rhabarbaro, hepatis lupi præparati, ſingulorum ſcrup. vnum, & cum ſyrupo de Abſinthio fiat bollus in aurora dandus. Pilulæ etiam de Serapino, de Euphorbio, & Mezereon, quarum doſis eſt a ſcrup. vno vſq; ad drach. valenter quidem, ſed moleſte, & violenter admodum aquam detrahunt; Succus quoque cucumeris ſilueſtris ſiccatus, (quem elaterium vocant) omniũ efficaciſſime purgat, atque cum minori moleſtia, & violentia, ſi huius tria, vel quatuor grana cum pilularum Elephanginarum dr. media in bollũ, cum ſyrupo de Abſinthio redigantur, & in aurora exhibeantur. Medicamentum autem ex Cantharidibus paratum, licet ex Galeni placitis aquoſum humorem hunc per vrinam valenter expurget, mihi medicinam facienti ſemper fuit ſuſpectum. Eorum autem, quæ per vrinam clementer aquam expurgant, ſimulq. Iecur corroborant, principatum obtinet medicamentum hoc.

Purgãtia *Soldanella.* *Succus Ireos.* *Diarrhodon abbatis.* *Pilulę.* *Elateriũ.* *Medic. ex cantharidibus.* *Purgãtia per vrinam.*

Rec.

Rec. Diacurcumæ,
Dialaccæ
Trochiscorum de Rhabarbaro } an. scr. 1. | misce.
AlKeKengi grana tria.
Aquæ Absinthij q.s. fiat bollus.

Capiat horis quatuor ante prandium, deinde immediate superbibat Vini albi vnc. tres, idque tertio quoque die Mensis vnius spatio. Interim Clysteres etiam si inijciantur ad aquosum humorem euocãdum ad intestina, multum iuuabunt; modo acriores multo non sint, hi enim Iecur infirmant.

Clysteres.

Galeni præceptũ.

Cæterum quoniam ex Galeni præceptis rationi, & rerum euidentiæ consentientibus in morbis curandis diuturnis eadem intentione seruata medicamentorum formula mutari debet, pharmacis aquam subducentibus commemoratis duo alia addere placet, quæ blande, sine molestia, & egregie admodum id præstent. Primum autem est, quod

Hydragogum egregiũ vnũ.

Recipit Soldanellæ vncias duas, bulliat in aquæ scolopendriæ vncijs nouem ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & percolato adde seminum Ebuli in puluerem redactorum drachmam vnam cum dimidia, vel etiam drach. duas, Vini albi vnciam vnam cum dimidia. Hæc autem potio alternis diebus maximo cum successu in aurora fælicissime exhibetur. Secundum non minoris valoris, est huiusmodi. Recipe Radicis Cucumeris syluestris vncias quatuor. Decoquantur in lib. duabus aquæ Prasij ad dimidium, deinde accipe mellis lib. duas, aquæ chalybeatæ lib. octo. Bulliant (sine priore decocto) ad dimidij vsque consumptionem, cui percolato adde decoctum radicis cucumeris syluestris iam iam præscriptum percolatum pariter, addendo in fine pulueris Tragacanthi dr. sex. Cinnamomi, Trochiscorum de Rhabarbaro singulorum drach. vnam. Dosis est ab vncia vna vsque ad duas. Datur horis saltem quatuor ante cibũ. Quibus propositis, & proponendis remedijs, & si Deo Optimo Maximo aspirante malum, aut ex toto cesserit, aut saltem imminutum fuerit, nihilominus ad aquosorum humorum reliquias dissipandas, & ad firmitudinem visceribus comparandam, vt prædicto syrupo ex frequentibus interuallis menses aliquot vtatur, maximopere hortamur; liquor enim hic ad annum incorruptus asseruari potest. Quo tempore alternis saltem diebus ieiuno ventriculo hora matutina Clyster inijciatur huiusmodi

Alterum Hydragogum.

Clyster probatus.

Rec. Soldanellæ, Manipulum vnum
Mercurialis, florum camœmeli
Foliorum Maluæ an. M. medium
Anisorum, fœniculi, Carui
Dauci an. Manipulum vnum

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ vsque ad consumptionem me-

medietatis, cuius percolati Recipe li. vnam. Olei Rutacei vncias tres. Benedictæ vnc. vnam. Electuarij ex baccis lauri drach. 1. salis commu nis drach. ʒ. sacchari rubei vnc. 1. s. Misceantur omnia pro Clystere. Clysmus hic non solum aquam corruptam expurgat, verum etiam, & flatus qui aquoso humori semper iunguntur (vnde ventris distentio, & dolor) mirifice discutit: propterea, & toto etiam curationis tem pore alternis saltem diebus vtiliter iniici poterit. Cum his etiam ventri vniuerso, modo linimenta, modo emplastra aquosum humorem per insensibilem halytum digerentia applicanda erunt: Qualia erunt.

Medicamenta externa digerentia.

Rec. Succi Radicum Sambuci }
Succi Radcium Ireos } an. vnc. 1. cum dim.
Succi Cycluminis vnciam mediam
Cardamomi, Calami aromatici an. drach. duas
Puluerizentur puluerizanda, & cum cera fiat
Vnguentum — misce.

Linimentum.

Inter verò Cataplasmata ventri adhibenda, quod sequitur maxime valet. Emplastrum videlicet ex Cocleis cum testis suis exacte contritis, cum aqua ardenti, Oleo Irino, & oleo ex Terebinthina destillato paratum. Ex alijs remedijs, quæ & viscerum obstructiones demere, & calorem natiuum pene amissum visceribus eiusdem restituere valeant, hoc vnum omnium efficacissimum eligendum erit.

Emplastrum. *Tertius, & quartus scopus.*

Electuarium insigne.

Rec. Specierum Diacurcumæ dr. 1.
Salis Theriacalis dr. 1. cum dim.
Specierum Diamsi dr. 2
Specierum Cyphoidis drach. duas cum dimid.
Sacchari rosati antiqui vnc. sex fiat electuarium. — misce.

Cuius drachmas duas horis quinque ante prandiũ deuorabit, statimque superbibet Vini chalybeati actu calidi vncias tres.

Præsidia Chirurgica.

De Chirurgicis auxilijs, nihil habeo quod proponam, quandoquidem venæ sectio hidropicis omnibus nocentissima censetur, nisi inter morbi initia, ex consueta aliqua sanguinis salubri excretione pendentis: neque etiam de perforatione, vel vstione cogitandum iudico, quoniam pręterquam quod opus hoc periculo maximo plenum est; nihil facit ad morbi fomitem tollẽdum, viscerum nempe tumorem. Hæc in periculosissimo, & pene desperato casu dicenda occurrebant, quæ Deus salutaria reddat, precamur.

De Gonorrhæa. Pro Nobilissima quadam Muliere Romana, Consultatio LXXVIII.

Gonorrẹã mulieribꝰ et viris cõmunẽ esse affectum.

MVliebri fluori affinis est Gonorrhœa, qui affectus mulierum ex eo proprius non censetur, quod mulieres perinde ac viros, im-

mo

mo etiam frequentius exerceat, quoniam fœminatum semen vt pote crudius ac dilutius minus subsistat.

Affectus. Nobilissimam hanc mulierem muliebri profluuio, sed Gonorrhœa multis ab hinc mensibus laborare hinc maxime internoscitur, quod non vt ille ab vtero, sed a spermaticis vasis vterina, quam patitur fluxio prodeat: quodque prorumpentibus mensibus non cesset, sed cum his, & mox ab ijs similiter persistat: vterinus verò fluor cesset in mensium eruptione, & aliquanto post tempore. Est autem Gonorrhea hæc muliebris seminis, seu seminalis materię citra veneream cupiditatem inuoluntaria emissio cum pallore, & lassitudine. Affectus symptoma in genere excrementorum immodice fluentium. Locus verò affectus nullus alius censetur, quam vasa seminalia. Vt Gal. sexto de locis affectis capite sexto rectè asseruit.

Gonorrhea quid

Signa affectus. Inter alia signa huius affectus, quę ab assistentibus, & ministris mulieribus referuntur hoc vnum est; quia ęgra fatetur materiam assidue è vulua exire albam crassiusculam, & sine voluptate.

Causæ. Mali huius causas omnes recensere præsentis non est loci, sed satis fuerit eas dumtaxat commemorasse, quæ in præsenti casu locum habent; Hæ autem duæ (quantum ego puto) sunt, seminis caliditas, & acrimonia, quæ genitalium, & lumborum calore, nec non mala quadam sensatione cum pruritu, & mordicatione aperte cognoscuntur; atque retentricis potentiæ in vasis seminarijs imbecillitas. Imbecillitatis autem occasio in seminis acrimoniam expultricem irritãtem referenda est; ita vt semen, seu seminalis materia in Nobilissima hac Iuuene geminã ob causam Gonorrhœam excitare iudicetur, tum quia tenuis admodum est substantiæ, vnde facilius è vasis proalbitur; tum quoniam sui acrimonia (vt dictum est) & expultricem facultatem mouet, & retentricem infirmat.

Met. med. Vt si ægram ab hac molestia liberare exoptamus, necessum sit in primis cõgrua victus ratione mali euidentes causas moderare, simulque corpus emaciatum reficere. Humorum seminalisque materiæ acrimoniam retundere, fluorem inhibere, & sistere. Ac tandem seminaria vasa corroborare.

Præsagia Quæ omnia vt obtineantur non æquidem impossibile, verum satis arduum, ob id futurum existimo, quoniam affectus iam inueteratus altius radices egit, ita vt ægram hanc ad tabem fere deduxerit. Addo quod vitium hoc, licet Viris, & mulieribus commune sit, ægre tamen in fœminis tollitur, in quibus sane periculosior est affectus hic. Minus enim periculi obtinent morbi, qui naturæ eius qui ægrotat, aut habitui, aut ætati, aut tempori magis cognati sunt. Contra periculosiores, qui nulli prædictorum cognati sunt. Scribente Hipp. secundo Aph. xxxiiij. Etenim in his longior est lapsus in id, quod præter naturam euasit, igitur longior etiam in id, quod secundum naturam reditus. Magis itaque morbi na-

Qui morbi minus periculi habeant.

bi naturæ nostræ dissimiles periculosi sunt. Duplex igitur periculum hic agnosco, alterum ratione magnitudinis affectus præter naturam, alterum occasione imbecillitatis virium. *Duplex in hoc affectu periculū.*

Cęterum quoniam res agitur cum Nobilissima Muliere prudenti, & obsequente in ætate potius proficiente, quam deficiente, minime diffido quin Diuino auxilio, & præsidiorum nondum exploratorum summa vi, quod nunc intendimus assequi valeamus: Ea propter Medicum Nobilissimæ huic ęgrę familiarem valde hortor, vt omnem diligentiam, & industriam suam nulla ex parte remittat, sed iam iam vere instante medicationem quamprimum adoriatur. In qua instituenda ita sentio. In victus ratione præscribenda ante alia prouidendum est vt aer frigidus sit, & moderate siccus. Somnus non excedat quinque, vel sex horarum spacium, eo quod per somnum corpora maxime calent, & humida fiunt. Dormiat oportet super stragula duriora. Corporis motus laboriosus, & pręsertim crebræ equitationes prorsus vitentur. In summa quiescere conducit. Lumbi, & renes neque stricte ligentur, neque tegumentis multis tegantur. Vino vtatur tenui rubro, & subastringenti, aqua pluuia chalybeata, cui incoctum sit Nympheæ semen attemperato. Ex edulijs ea eligenda sunt, quę corpus extenuatum reficere quidem valeant, sed non sanguinis copiam ingenerare, eo quod subrepto sanguine, veluti seminis generationis fonte, necessario Gonorrhęa omnis tollitur. *Victus rō.*

Propterea pedes animalium, cerebella, gellatinæ, pisces, pultes ex farre, hordeo. Oryza, & Milio cum Amylo maxime omnium probantur: præsertim si cum his Emplastica refrigerantia, & adstringentia excoquantur, vt Plantago, Portulaca, Lactuca, & huiusmodi alia. Oua etiam recentia integra sorbilia, cum boliarmenæ modico in prima mensa deuorata mirum in modum conferunt. Aluus seruari debet lubrica, vel prunis lenientibus præparatis, vel Balanis, vel mollioribus Clysteribus, vel totius corporis recrementa ad intestina, reuocentur, ne ad vasa seminaria veluti ad partes affectas præcipitata, materiæ seminali fomitem suggerant.

In quem finem etiam Cholagoga pharmaca magnopere necessaria semper mihi visa sunt. Quandoquidem semen acre ex acri, biliosoque sanguine procreatur; propterea opportunum fuerit bilem sanguini confusam apparare, apparatamque expurgare. Inter autem pharmaca huic operi destinata, hæc eligenda erunt. *Purgatio.*

Rec. Syrupi de ribes
Syrupi Cytoniorum } an. vnc. med.
Syrupi myrthini
Aquarum Acetosæ
Plantaginis
Portulacæ } an. vnc. 1.
Consolidæ maioris
Misce, & fiat potus in aurora dandus.

Interim vesperi ante cœnam capiat vnc. med. confectionis huius.

Rec. Conseruæ rosarum antiquioris
Conseruæ florum cichorei } an. vnc. 1. cum dim.
Pulueris vtriusque consolidæ dr. 2.
Masticis subtiliter puluerizati dr. 1.
Syrupi myrthini q. s. fiat Electuarium.

Auctoris obseruatio A quinto, vel septimo syrupo apparati biliosi humores expurgandi erunt (quem scopum alij, vel dissimularunt, vel non animaduerterunt) hoc Bolo.

Rec. Myrobalanorum citrinarum
Myrobalanorum chebularum } an. scr. 4.
Rhabarbari electi tosti
Sacchari rosati antiqui dr. 6.
Syrupi rosati solutiui q. s. fiat bolus.

Corpore hunc in modum a biliosis humoribus expurgato, ea quamprimum eligenda sunt remedia, quæ & seminis acrimoniam moderare, fluorem sistere, iugiterque vasa seminaria corroborare valeant. Hæc autem duorum sunt genera, alia sumuntur, alia verò forinsecus adhibentur. Quorum præcipua maximeque probata huiusmodi sunt.

Medicamenta seminis acri[...] ia mi[...] ia, [...]

Recipe Seminis rutæ, agni casti, & vrticæ an. scr. med.
Seminis lactucæ, portulacæ, plantaginis an. scr. 1.
Papaueris albi, Hyoscyami albi an. scr. med.
Seminum coriandrorũ præparatorum, & canabis an. gr. 4.
Diacalaminthæ dr. 2. cornu cerui vsti gr. 7.
Seminum rosarum, santalorum, corallorum rubeorum an. gr. 10.
Seminum melonum mundatorum dr. 3.
Sacchari dissoluti in aqua rosarum quantum satis sit.
Formentur pastilli; Quorum vnc. media tribus saltem horis ante cibum singulis diebus detur, deinde superbibantur Vini rubri subadstringentis vnc. 3. cum aquæ chalybeatæ vnc. 2.

[...]trinsecus applicantur, primas, quod sequitur obtinet

Olei

Rec.
Olei rosacei omphacini
Cytoniorum, nenupharini } an. vnc. 1.
Olei mirthini
Cremoris seminum lini
Cremoris seminum cytoniorum } an. vnc. sem.
Cum aqua rosarum extracti
Foliorum agni casti
Foliorum ruthæ } an. dr. sem.
Menthæ siccatorum
Succi polygoni vnc. ℥.
Boli armenæ, sang. Draconis an. dr. 1. sem.
Ceræ q. s. & aceti parum, misceantur, & fiat vnguentum.

Quo renum, pubis, & lumborum regio vtrinque illinantur, mane & vesperi ante cibum. Nec obstat quod a Gal. scribitur, lib. 6. de morbis vulg. sec. 1. comm. 6. Medicamenta renibus admota nullius esse vsus, tum ob renum substantiam valde densam, tum ob plures partes renibus superpositas, quæ impedimento sunt quò minus medicamẽti vis alte penetrare possit; hoc inquam non obstat, quoniam longo vsu admota hisce partibus medicamenta tandem suas vires in partes etiã penitiores exercent: vt ab eodem Gal. notatum fuit lib. 6. de tuenda valitudine cap. 14. Atque hæc est integra Gonorrheæ curatio, quæ nobilissimam hanc fœminam grauiter sollicitat. Cui quidem curationi si vitium hoc non cederet, vt ad naturale Balneum puteolorum, quod vulgus Balneolum appellat, se se transferat maximopere hortor modo eius actualis caliditas remissa fuerit; interimque medicamento hoc nostro huic operi accommodatissimo vti poterit. est autem huiusmodi.

Obiectio. *Solutio.*

Rec.
Menthæ siccæ dr. ℥.
Seminum viticis, radicum iridis.
Seminum rutæ an. dr. 1.
Seminum lactucæ dr. 2. cum dim.
Sacchari albissimi vnc. 1.
Puluerizantur omnia simul.

Probatũ internum medicamentum.

Cuius vnc. med. capiat ex aqua chalybeata horis duabus ante cibum, quo tempore prædicto Balneo naturali vtatur. Ex amuletis, annulus cum topazio gestatus (aiunt) vitium hoc tollit. Hęc ex tempore dicenda occurrebant pro salute nobilissimæ mulieris recuperanda, quam Deus immortalis quamprimum illi concedat, vehementer precor.

De Impetigine circa faciem. Pro Nobilissimo Iuuene Mediolanensi, Consultatio LXXIX.

Impetigo.

CVtis alterius faciei partis, dextræ nempe versus aurem, asperitas dura, ac sicca cum ingenti prurigine, pustulis quibusdam flauescen-

ſcentibus emergens, cumulatiſſime indicant Nobiliſſimum propoſitum Iuuenem eo laborare vitio, quod impetigo, Lichen Græcis nuncupatur.

Cauſa. Cuius quidem materia bilis eſt ardentior, cum portione aliqua ſalſæ, ac putris pituitæ, non tenuis ſed craſſioris, vt ex puſtularum colore, & ſubſtantia deprehenditur.

Huius autem materiæ originem, tum hepati iuſto calidiori feruidiorique, tum etiam Ventriculo ægre concoquenti, non equidem affectu proprio, ſed vitio obiecti, quandoquidem ob aſſiduas meditationes, & ſtudia ſine vlla fere intermiſſione, congruam victus rationem hactenus non retinuit.

Præſagia De morbi huius futuro euentu ita ſentio. Affectus hic ob ſpeciem, magnitudinem, motum, & morem, curatu vtique perdifficilis iudicatur, ac præſertim in Nobiliſſimo hoc Iuuene, qui ab ineunte fere ætate ſua vitio hoc ſecundum diuerſas corporis partes laborare cœpit, ita vt periculum impendeat, ne Lichen præſens ſeu vera impetigo in pſoram, ac deinde in lepram degeneret. Hæc libere dixiſſe volui, vt Nobiliſſimus hic Iuuenis omni ſtudio & diligentia in præſcribenda nunc medicatione conſtanter pergat; quod ſi præſtiterit ſperandum fore, vt non ſolum ab imminentibus periculis præcaueatur, verum etiam a preſenti moleſtia prorſus liberetur. Igitur vt quamcitiſſime præſcribendam curandi rationem adoriatur, magnopere hortor in qua inſtituenda, præſcripta primum *Victus ratio.* Victus ratione tenui parum refrigerante & humectante apparandi erunt humores bilioſi & ſalſi, *Præparatio.* apparati purgandi erunt Cholagogis idoneis ſeroſos etiam & craſſos humores reſpicientibus. Inter quæ maxime laudamus Aloen, ſyrupum de Polypodio, myrobalanos nigras & citrinas, *Purgãtia* nec non ſenam, Epithymum & maxime omnium rhabarbarum. Purgatis humoribus ad medicamenta localia deueniendum, nimirum detergentia quod cutis aſpera ſit, meatus expurgantia, quatenus cutis meatus, tabo, & ſanie interna ſunt oppleti: incidentia, quia materia impetiginis, licet bilioſa ſit, craſſum tamen & viſcidum humorẽ ſibi iungit, exſiccantia quoque nonnihil ob vlcuſcula aliquantulum humida. *Topica.* Quorum omnium efficaciſſimum hoc erit.

Rec.	Ellebori vtriuſque	dr. med.
	Lithargyrij	dr. 1.
	Olei roſati	vnc. ſem.
	Butyri recentis	dr. 2.
	Farinæ lupinorum	vnc. med.

Miſceantur omnia ſimul diligenter, & fiat linimentum.

Sulfur quoque cum aceto fæliciter adhibetur. In id etiam maxime probatur Vnguentum hoc noſtrum quod ad omnem impetiginem, & ſcabiem tollendam mirifice valet. Recipe Terebinthinæ lotæ vnc. 2. Ceruſſæ vnc. s. Butyri recentis vnc. 1. Sulfuris ſcrup. 2. Olei roſacei vnc. 5.

vnc. 5. Albumina ouorum num. 2. fiat vnguentum. Cui adde Moschi, & Canforæ singulorum grana quinque, vel Vnguentum hoc modo paratum.

Rec. Pulueris Lithargyrij | Pulueris Tartari } an. dr. 2. — *Auct. linimentum.*
Sulfuris pulueratì scr. 2.
Olei Nucum vnc. 3.
Aceti rosacei dr. 6.
Ceræ q. s. fiat linimentum

Vbi vero partes iam antea illitas lauare voluerit, aqua vtatur chalybeata in qua fraxini folia, præbullierint. In summa primum deturbare vitiosos succos oportet, & salubri victus ratione vti: mox localia remedia exhibere exsiccantia, incidentia, & detergentia, simulq; partes affectas corroborantia: necnon humoris confluxionem inhibere, iugiterque hepatis feruorem internis, & externis medicamentis compescere, & interim vētriculum etiam corroborare. In quem vltimum scopum feruntur remedia hæc — *Curationis sūma.*

Rec. Conseruæ rosarum
Conseruæ borraginis
Conseruę florum cichorei } an. vnc. 2.
Specierum aromatici rosati dr. 2. Misce
Syrupi de mentha q. s fiat electuarium
cuius media vncia deuoretur duabus
horis ante cibum. — *Ad viscerū discrasiam.*

Quo tēpore ventriculi, & hepatis regionis illinantur hisce linimentis

Rec. Vnguenti Sandalini vnc. 2.
Succi cichorei vnc. med.
Succi plantaginis
Aceti rosati } an. dr. 2. misce.
Fiat linimentum pro hepatis regione. — *Linimentum Iecur refrigerās*

Pro ventriculo autem modo oleo de nuce moschata, modo Absynthino oleo vtendum erit. Aut nostro hoc linimento valde efficaci.

Rec. Olei caryophyllorum vnc. 1.
Nucis moschatæ
Zedoariæ
Specierum aromatici ros. } an. scr. 1
Ceræ q. s. fiat linimentum cui adde
Moschi, Ambræ. an. gr. 3. — *Linimentū pro stomacho.*

Quibus peractis, instantibus caloribus æstiuis duo alia generosa præsidia pro hepatis, totiusque corporis habitus calore attemperando quamprimum vsurpanda erunt: videlicet serum caprillum cum succo cichorei, & epithymi larga copia dies aliquot de more datum. Nec non aquæ dulcis lauacrum; præterquam quod enim vniuersum corporis habitum modice refrigerat humectatque prauorum etiam — *Serum.*

Balneum. succorum reliquias per halitum valenter digerit. Post hæc thermæ stillianenses pro expurganda cute ab omnibus maxime probantur. Sed preceteris balneum quod vulgo a aqua, nuncupatur in agro pisano mirum in modum hunc, & consimiles affectus persanat. Tandem cutem eo consilio confirmare oportet, vt minus eiusmodi materiam admittat, id autem præstant adstringentia, quæ cutis meatus claudũt; quo nomine aer ex vsu est frigidior. In id etiam valent medicamenta eosdem meatus obturantia, vt tragacanthum, butyrum, & consimilia. In hunc igitur vsum aqua chalybeata in qua mala punica cũ myrtho, & lentisco præbullierint pro lauandis partibus affectis vtiliter vti poterit. Interim ne materia obturatis cutis meatibus in viscus aliquod præcipuum recurrat, valde probo vt altera quaque die pilularum ex Aloe scrup. vnum immediate ante cœnam deuoret, vel molli clystere aluum irritet.

Cutim cõfirmãtia.

Aloes vsus.

De chirurgicis præsidijs ita sentio. Quo tempore noxij humores apparabuntur, omnino secanda erit vena brachij dextri interna tum ad euentandum internum hepatis calorem, tum etiam ad retrahendũ sanguinem biliosum ad cutem fluxurum; necnõ vt corpus idoneum magis reddatur ad suscipienda remedia adhibẽda. Quo sane nomine, sanguis etiã ex hæmorrhoidibus per admotas hirudines detrahendus erit. Duo quoq; inusta cauteria, alterum in brachio lateris compatientis deriuationis, auersionisq; gratia, & alterum in crure dextro paulo subtus genu in parte interna ad deflectendos vapores tenuesq; humores a Iecore in partes supernas conscendentes, maximopere conductura sperarem. Faxit Deus Optimus maximus, vt propositis, & administratis hisce remedijs Nobilissimus Iuuenis ab hac molestia vindicari (vt spero) possit.

Venæ sectio.

De Affectu melancholico, & inappetentia. Pro Illustrissima D. Gentili Iustiniana de Monaldeschis, Consultatio LXXX.

MOeror, & mœstitia cum assiduo periculi cuiusdam imminentis timore melancholici affectus in Illustrissima D. Certissima sunt signa.

Affectus melancholicus.

Melancholicum affectum, non autem melancholicam veram appellare nunc mihi placet, quandoquidem nullam delirij imaginem in Illustrissima Aegra cognosco: quinimmo, & sensuum omnium, & principum facultatum alacritas cum summa in rebus agendis prudentia in hac obseruatur: ita vt Aristotelis sententia, qua habet prudentes, & sapientiores melancholicos esse, hic locum habere videatur. Vitij huius causam, in humorem melancholicum cum exustione aliqua referendam esse, ex eo facile deducitur, quod Illustrissima hæc Fœmina ira interdum contra semetipsam ita exardescat, vt in quandam

Affectus melancholici causæ.

dam

dam furoris speciem fere prolabatur. Exusti aliqua ex parte humoris melancholici signum, non equidem infirmum, etiam est, corporis totius color subniger cum cutis calore satis insigni. Quibus, & illud argumentum accedit, quod vitium hoc originem duxit ex longa febre prægressa, exustionis humorum causa efficacissima.

Hinc facile colligitur, humorem melancholicum mali huius causam in vniuerso corporis habitu redundare. Quod verò caput etiam eodem melancholico humore obsideatur, affectus assiduitas, & perpetua quędam tristis sensatio circa caput vniuersum percepta, quam Illustriss. hęc matrona explicare nescit, luce clarius indicat. Hypochōdria quoq; eodem succo melancholico opprimi, & grauitatis cuiusdam harum partium sensus, & murmur cum tensione quadā cumulatissime indicant. Ita vt affectus melancholici differētiæ omnes a causa interna dicta hic locum habeant, prima cum totum corpus melancholico sanguine redundat. Altera quādo huiusmodi sanguis ipsum dumtaxat cerebrum occupat. Tertia cum hypochondria hoc humore prius oppressa, tacito quodam consensu cerebrum in eundem affectum trahunt, & hæc species flatuosa & hypochondriaca melancholia appellari consueuit pręter tres melancholicę passionis commemoratas ab omnibus differentias, quartam ego persæpe differentiam in mulieribus ipsis obseruaui ab humore melancholico vteri venas replente pendentem; quam quidem si quis vterinam melancholicam appellauerit minime errabit: ab vtero. n. melancholicis succis repleto tetri vapores per venas in cerebrum elati, spiritus animales perturbantes mœrorem & mœstitiam ingenerant. Quam quidem melancholiæ nouissimam speciem Illustrissimam mulierem hanc sollicitare, duo potissimum argumenta indicant; primum menses, qui multis ab hinc mēsibus diminue admodum prodeunt; alterum rei grauis, veluti infixi pali cuiusdam gulę incumbentis, satis illi molestus, vterinæ affectionis certissima nota.

Corpus vniuersum. *Caput affici.* *Hypochondria affecta.* *Melancholici affectus differētiæ tres.* *Quarta melācholici affectus differētia.*

Inappetentiæ autem huius causam internam immediatamq; non aliunde proficisci arbitramur, quam ab impedita ventriculi suctione, quæ quidem ex naturæ præscripto geminam ob causam non succedit, quippe quod ventriculus in Illustrissima ęgra iusto frigidior ob facultatis concoctricis errorem multa colligat excrementa, crassa & frigida, vnde assidua plenitudine laborat; necnon totius corporis habitus vænæ succo melancholico plenæ a Iecore succum (vt decret) allicere valent; vnde nec Iecur ipsum suis venis vētriculum vsque adeo exinanire potest, vt inde appetentia suscitetur.

Inappetētia causa.

Quocirca vt Illustrissima hæc fœmina ab imminenti futuri delirij periculo præcaueri, & a præsenti molestia liberari possit, quam primum causæ omnes humores melancholici externæ, euidentesque congrua victus ratione omni studio sunt prohibendæ; succi atrabilarij vniuersum corpus occupantes omni arte & diligentia apparandi, &

Scopi.

di,& apparati purgandi erunt: viscera, Iecur nempe, ventriculus, & cerebrum attemperanda erunt, menses, qui nunc diminute satis prodeunt pro viribus erunt euocandi, ac tandem corpori satis extenuato reficiendo incumbendum, sublatis prius hypochondriorum obstructionibus.

Præsagia Quos quidem scopos explere haud facile erit, quandoquidem melancholia naturalis, fex sanguinis, humor nempe frigidus & siccus lienis obstructi vitio in toto cumulatus calida, humidaque & medicamenta & alimenta efflagitat; eiusdem verò humoris exusti atque in veram atram bilem commutati pars aliqua hepatis calidioris causa refrigerantia requirit. Rursus cerebrum humidi natiui inopia exiccatum & excrementitij copia nimium humectatum, vnde somnus profundior interdum ac longior quam par sit, siccantia, iugiterque humectantia expostulare videtur; quemadmodum & Iecur impense calidum refrigerantia & ventriculus frigidus calefacientia requirunt. ita vt in hac indicationum pugnantia, curationis difficultas non leuis posita sit: præterquam quod affectus omnes melancholici, & præsertim vetusti curatu difficiles sunt; a quibus apoplexię, conuulsionis, furoris, vel etiam cæcitatis periculum impendet, si eorum curatio negligatur, vt Hipp. animaduertit lib. 6. Aph. Aph. 56. Qui etiam affectus in morbum comitialem permutari interdum solent, vt patet lib. 6. de morbis vulgaribus.

Melāncholici permutatio in alios morbos.

Cæterum, quoniam vitium hoc non adhuc eo deuenit, vt desipientiam aliquam pariat, resque agitur cum prudenti & obsequenti Perillustri fęmina, in qua generosa præsidia affectui huic delendo opportuna explorata sunt, atque ægrotantis ætas firma multa bona promittat, diffidendum non est Perillustrem hanc matronam ab hac molestia vindicatam iri. Quod vt succedat, idonea medicatio sine mora hunc in modum instituatur, oportet.

Victus ratio. Victus in primis ratio præscribatur in actiuis qualitatibus temperata, in passiuis autem ad humidum inclinans. In qua maxima est habēda aeris ratio, quandoquidem cor in hoc affectu perpetuo compatitur, ob id Auicennas in curanda melancholia cordi semper consulendum imperat: nihil autem æque facile cor ipsum alterare, atque aer ipse assidue inspiratus, nemo ignorat: propterea vt Perillustris hęc fęmina cęlum hoc Romanum mutet, vel saltem ad suburbia Romana se transferat maximopere hortamur.

Vbi moderato vtendum erit illi exercitio per loca amœna & aprica, non solum laxandi animi causa, verum etiam vt per motum innatus excitatus calor totius corporis excrementa quotidie digerantur. Et quoniam audio Perillustrem hanc ægram molestis vigilijs vt plurimum sollicitari, licet extraneæ ipsius cerebri humiditatis causa in grauem somnum propensione quadam interdum teneatur, conciliando somno studendum erit, vel pedum lotione ex aqua

in qua

in qua lactuce folia, violæ, papaueris capita, cũ seminibus suis, & consimilia incocta fuerint; vel syrupi papauerini vncia vna cum dimidia & aquæ Lactucæ vncijs tribus, aut Diacodionis in rotulis vncia media, vel etiam seminum melonum, & papaueris emulsione ex aqua violatea extracta post cœnam sumptis. Aluus, quæ melancholicis fere semper dura esse solet, singulis diebus citãda omni arte erit; vel prunis dulcibus in prima mensa deuoratis, vel pane ex tota farina cum recenti butyro & melle, vel coriandris sacchato intectis communi oleo illitis suppositis, aut interdum etiam molli clystere ex oleo cõmuni, & recenti butyro iniecto. Omnes animis sollicitudines graues pro viribus arceantur. Cibi perpetuo eligãtur boni succi, facilis coctionis paucorumque excrementorum. Propterea Caro Bubula Hircina, leporina, & Ceruina denegãtur, nisi animalium sint nuper natorum: Pisces pariter grandiores, legumina, caseus antiquus, & edulia omnia ex pasta deuitentur; quemadmodum fructus & olera omnia cruda, exceptis melonibus, ficubus, & lactucis tenerioribus cum borraginis floribus. Salsamenta omnia, frixa, & flatulenta fugiat, oportet. Vino vtatur albo, tenui, vel aqua chalybeata attemperato, in quo buglossi radices macerentur. Cœna sit prandio parcior. A pastu coriandris aliquot sacchato contectis semper vtatur. Compotationes omnes, & cruditates deuitabit, victumque tenuem potius, & nonnihil attenuantem seruabit.

Victus ratione hunc in modũ præscripta omni constantia retinenda, noxij humores melãcholici nimirum pituitosi, & biliosi ad expulsionem præparandi erut, dein pręparati purgandi. Pharmacis idoneis, quæ omnibus in arte, vel etiam mediocriter eruditis notissima sunt. In quorum tamen vsu illud semper obseruandum, vt valida hic cathartica euitentur, quippe quæ impense siccent, sitim molestam ingenerent, & aluum postea duriorem relinquant. *Præparatio.* *Purgatio.* *Obseruatio.*

Mox masticatorijs, & errhinis cerebrum ab excrementis tum melancholicis, tum etiam pituitosis expurgare studendum erit. *Caput purgantia.*

Deinde ad tollendas meseraicarum venarum, atque hypochõdriorum obstructiones, quarum causa per spiratu impedito multiplicata fuliginosa excrementa animæ domicilium obscurantia timorem incutiunt, mœroremque menti inijciunt; præ cæteris ab omnibus medicinæ professoribus propositis præsidijs, duo hæc veluti efficacissima vsurpanda erunt. Ius Galli, & Vinum chalybeatum, seu electuarium ex chalybe de more datum. *Obstructiones tollentia.*

Post hæc ventriculus, & internis, & externis stomachicis remedijs roborandus erit, calfacientibus quidem, sed moderate admodum, ne impense calidorum vsu Iecur magis excalfiat. Quemadmodum, & caput etiam vna cum corde auxilijs tam internis, quam externis humectantibus, & corroborantibus firmandum erit. In quem vsum. *Ventriculum roborantia.*

Cerebrũ, & corroborantia. Diamoſchus dulcis,& amarus, Electuarium de Gemmis, Electuarium lętificans rhaſis, & Confectio Dyacinthos primum ſibi vendicant locum. Neque obſtat quod huiuſcemodi medicamenta ob id ſuſpecta videantur, quia nonnihil ſiccando, pręcipuo morbo, cerebri nẽpe,& totius intemperãtiæ ſiccę infenſa eſſe putantur: quandoquidem *Obiectio.* *Solutio.* medicamenta hęc quatenus excrementorum reliquias digerendo finiunt, ſpiritus innatumq; calorem recreant, atq; viſcera roborãt, plus commodi laboranti afferunt, quam incomodi modice ſiccandi facultatis (qua pollẽt) cauſa. Hinc fit quod,& Gal. ipſe febre quartana iam inclinante correptis Theriacam exhibendam conſulit. A frigida.n.& ſicca intemperie (ex eiuſdem Gal. ſententia ſecundo de temperamentis c. vlt.) frigidorum pituitoſorumque humorum prouentus ſuboritur: cui quidem vitio medicamentis diſcutientibus temperateque ſiccantibus commemoratis occurrendum: quibus in omnem cautionem addi hoc in caſu poſsunt leniter humectantia, vt maluarum, & *Caput humectãtia.* violarum conſimiliumque Conſeruæ. Interim vt capitis lauacrum ex maluarum, Violarum, Althęæ, Lactucarũ, Borraginis,& Bugloſſæ foliorum, necnon capitis,& inteſtinorum Veruecis decocto tepente alternis ſaltem diebus Ieiuno Ventriculo de more adminiſtretur, magnopere hortamur. In eundem etiam vſum mirum in modum probamus ſtillicidium ſupra coronalem ſutuuram ex lacte ab Vbere Capræ expreſſo:

Iecur refrigerantia. Quo etiam tempore pro attemperando hepatis feruore, refrigerantibus tam internis, quam externis vtendum erit, hæc autem erunt.

Rec. Electuarij ex paſſulis Gal. / Conſeruæ florum cichorei / Conſeruæ florum maluarum } an. vnc. 1. / Specierum Diarhodon Abbatis dr. ℨ. / Syrupi violati quantum ſufficit, fiat Electuarium } miſce.

Cuius vnciam mediam capiat duabus horis ante cibum ſeptem ſaltem diebus continuis. Simulque hepatis regio illinatur hoc linimento.

Rec. { Cerati ſantalini recentis vncias tres / Succi Cichorei vnciam mediam / Ceræ,& aceti parum fiat Linimentum } miſce.

Serum. Quibus malo non cedente, ad generoſa tandem præſidia confugiendum erit. Hæc autem tria fere ſunt, lactis ſerum cum ſucco cichorei, & fumiterrę larga copia quindecim ſaltem diebus horis quinque ante prandium datum, aquæ deinde Thermales, quarum minera ferrea *Aquæ Thermales.* ſit, epotæ, necnon aquæ dulcis tepentis Balneum pluribus diebus veſpere horis duabus ante cœnam adminiſtratum, cuius quidem vſu, *Lauacrũ.* & vniuerſum corpus humectatur, & obſtructi adſtrictique meatus aperiuntur.

Cum

Cum quibus ea quoque præsidia vsurpanda sunt, quæ menses ciere valent.

De Chirurgicis operibus ita statuendum. Inter medicationis initia a tertio syrupo sanguis ad vncias septem, vel octo, secta brachij dextri vena iecoraria, vel communi, mittendus erit. Deinde prima peracta purgatione hæmorrhoides hirrudinibus admotis aperiantur. *Menses ciendi.* *Vena sectio.*

Dein instantibus mensibus iterum sanguis detrahatur ex malleoli vena: Perillustris enim hæc matrona multo, eoque melancholico sanguine in vniuerso corpore abundat, vt ex nigro, gracili, & hirsuto corporis habitu, cum venarum insigni latitudine deprahenditur.

Quibus peractis ad auertenda fuliginosa excrementa a partibus supernis ad infernas, fonticulos duos in cruribus paulo subtus genua in partibus internis excitatos, nō solum vtiles, sed quam maxime necessarios esse pro comperto habeo; proinde vt diu aperti conseruentur, etiam, atque etiam hortor. *Auertentia.*

Tandem corpori reficiendo incumbendum erit victu humectante, & multum nutriente, necnon (si opus operit) lactis vsu, & aquæ dulcis repetito Balneo. Tot dicenda occurrebant in affectu tam contumaci, ac periculoso. Quibus Deus immortalis aspirare non dedignetur.

De Capitis Diuturno dolore, cum Grauitatis sensu. De hypochondrij sinistri dolore acerbissimo ex interuallis repetente, atque de immodicis vigilijs. Pro Perillustri, & Nobilissima D. Angela Spata Todina, Consultatio LXXXI.

PErillustris, ac nobilissima matrona annum ætatis suæ agens trigesimum circiter, optimo corporis temperamento a primordijs generationis suæ conformata, duodecim fere ab hinc annis caput nuper lotum, nec nondum probe siccatum aeri nocturno frigidiori cum exposuisset, ab eo tempore frigidam, humidamque cerebri intemperiem cum humore ita contraxit, vt, & dolor cum ponderis cuiusdam sensu, & frequens, copiosaque destillatio in sedes subiectas, & præsertim in nares summa cum molestia Nobilissimam hanc Matronam fatigare cæperit; neque vnquam huiusmodi vitia hactenus superari potuerunt. Quinimmò septimus iam agitur annus, vt commemoratis præter naturam affectibus, tertius, hisque maxime molestus accessit; dolor nimirum insignis hypochondriorum, sed maxime sinistri hypochondrij ex interuallis quibusdam ita affligens, vt ad animi vsque deliquium, nec non ad frigidos sudores Nobilissimam hanc fœminam deducat. *Morbi historia.*

Hypochōdrij sinistri doloris causa interior, & proxima.

Cuius quidem doloris causam interiorem, & proximam non aliūde proficisci, quam a flatibus atrisque vaporibus ex hypochondrijs, & præcipue ex liene in præcordia, & cor ipsum sublatis ex eo facile depræhenditur, quoniam Nobilissima hæc Matrona ex longa patiendi consuetudine in hypochondriacam Melancholiam incidit; vt flatus, Rugitus, fluctuationes, & molestus ille pulsus Arteriarum in partibus, quæ sunt subter præcordia, cumulatissime indicant. Hinc necessario colligitur harum partium vasa obstructionibus, hisq; non leuibus vtique laborare.

Ita vt haud quaquam mirandum sit, si assidua quadam Melancholia detineatur; tetri etenim vapores, & humores etiam ab hypochondrijs in cerebrum sedis mentem irrepentes melancholiam efficiunt, licet in cerebro quoque humor melancholicus consistat, atq; ex morbi diuturnitate iure existimandum sit melancholicos succus in totius corporis venas effundi.

Quo circa si quis Nobilissimam hanc fœminam triplici melancholico affectu, primario videlicet, hypochondriorum sympathia, & totius corporis vitio laborare iudicet, a scopo (quantum ego puto) non aberrabit. His omnibus enarratis præter naturam affectibus, vigiliæ immodice succedunt, quæ Nobilissimam hanc laborantem septem abhinc mensibus insigni cum molestia exercent. Quarū quidem causam non solum in tetros vapores caput ascendentes, verum etiam in cerebri siccitatem reijciendam esse putamus. Nec obstat quod multis scateat cerebrum excrementis, quādoquidem ob morborum diuturnitatem violato huius visceris natiuo calore, humidoque eius pabulo imminuto, excrementorum prouentus successit, & magis magisque in dies succedit. A frigido enim, & sicco temperamento excrementa pituitosa produci, & ratio, & Gal. ipse, quotidiana experientia aperte declarant.

Vigilarū causa.

Præsagia.

Quid de malorum iam dictorum futuro euentu sperem, paucis aperiam. Certe tot præter naturam affectuum, eorumque natura propria contumacium complexio, & vetustas, curationem valde difficilem prænunciant: verum cum firma adhuc, & constans Nobilissimæ huius Matronæ ætas, iungiterque optimum antea a natura contractum temperamentum multa bona polliceantur, neq; omnia generosa præsidia hisce morbis delendis accommodata hactenus vsurpata fuerint; sperandum fore, vt Deo Opt. Max. aspirante, atque præsidiis proponendis in salubriorem statum restitui possit, modo nec Medicorum diligentia, nec ægrotantis obsequentia desiderentur.

Victus rō.

Quamprimum igitur iter absoluerit, præscripta victus ratione humectante ac in actiuis temperata, humorum melancholicorum, ac pituitosorum præparationi, syrupo de Borragine, de Epithymo, & de Cichoreo cum Rhabarbaro, additis aquis eiusdem generis

stilla-

stillatitijs, vel equiualente decocto ex iure pulli Gallinacei incumbendum erit. Qui quidem humores apparati cum fuerint, septima vel nona die hunc in modum deturbabuntur. *Preparatio.*

Rec. Specierum hierę picrę simplicis Gal. dr. 2. *Purgatio.*
Confectionis amech. dr. 2. s.
Agarici trochiscati scr. 2.
Syrupi de Polypodio q. s. fiat bolus, & capiat horis quinque ante prandium.

Die subsequenti ab omni opere quiescat, vel vtatur vncia media huius Confectionis.

Rec. Conserue florum borraginis
Conserue florum buglossę } an. vnc. s.
Cotius citri conditi cum saccharo.
Specierum Diamargariton frigidi dr. 1.
Cum syrupo de corticibus citri fiat electuarium.

Cuius vncia media interdum etiam duabus horis ante prandium, vel ante cęnam vtiliter dabitur.

Tertia die ab assumpto pharmaco, quatuor vel quinque sanguinis vncię ex vena saluatella appellata sinistræ manus secta exhauriantur, auersionis gratia a capite, corde, cœterisque nobilioribus visceribus. *Venę sectio.*

In quem etiam vsum duo Cauteria, alterum nempe in brachio dextro, & alterum in crure sinistro, paulo subtus genu in parte domestica in quam maiora feruntur vasa maximopere commendamus. *Auersoria.*

Cæterum pro humorum peccantium reliquijs dissipandis, simulque hypochondriorum obstructionibus tollendis, ius Galli veteris cum accommodatis simplicibus excocti, atque dies aliquot de more propinatum magnopere conducturum non diffido, & præsertim si immediate ante huius assumptionem hunc bolum deuorauerit. *Obstructa vasa reserantia.*

Rec. Conserue rosarum
Conseruæ borraginis } an. dr. s. *Aperientia.*
Conseruæ betonicæ
Limaturę Chalybis præparati, ac in puluerem tenuissimum redacti. scr. 2.
Caryophyllorum grana 5. misce

Quo tempore vna vel altera interposita leui purgatione ex Epithymi drach. duabus, & Myrobalanorum indarum drach. vna cum dimidia cum aquæ hordei vncijs quatuor, vel quinque, iterum detrahendus erit sanguis, moderate tamen, ex venis quæ in sede sunt per admotas hyrudines. Interim omittenda non sunt medicamenta, tam interna, quam externa caput, cor, ventriculum, (qui *Repetēda purgatio.* *Sāguinis ex hemorroidib. detractio.*

in morbis longis semper coaffici solet) aut hypochondria corroborantia In quem vsum Mithridatica confectio dimidiæ drach. pondere cum conseruæ violarum drachma vna dormiturę mulieri danda interdum erit vel

Viscera corroborantia.

Rec. Conseruę anthos
Conseruæ rosarum
Conseruæ buglossę
Conseruę borraginis } an. vnc. i.
Specierum Diamoschi dulcis dr. 2:
Misce, & cum syrupo de pomis q. s. fiat electuarium.
Cui adde foliorum auri purissimi num. 7.
Cuius vncia media detur mane, & vesperi duabus horis ante cibum.

Flatus discipantia.

Dum hęc administrantur pro dissipandis hypochondriorum flatibus,

Rec. Decoctionis camęmeli, meliloti
Anethi, fænugræci, seminum lini
Fęniculi, cimini, ameos, & carui
quantum sufficit pro fotu spongia
hypochondrijs adhibendo. mane, &
vesperi ante cibum.

Statim a fotu totus venter inungatur hoc cerato.

Rec. Olei anethini
Olei liliorum alborum
Olei rutæ
Olei laurini } an. vnc med.
Pulueris diacymini
Pulueris rosatæ nouellæ } an. dr. 1.
Cerę q. s. misce, & fiat vnguentum.

Topica.

Cum quo lienis priuatim regio, hoc illinatur linimento quod quidem, & viscus hoc roborat, & humorem melancholicum in eo contentum mirum in modum attenuat.

Rec. Olei absinthij
Olei de capparibus
Olei Tamaricis
Olei ireos } an. vnc. med.
Amoniaci in aceto acerrimo dissoluti
Brionię } an. dr. 1.
Emplastri de Meliloto cerę loco quod sufficit, fiat vnguentum.

Quæ omnia valentius operabuntur, si ante cibum immediatè pręscribendi pulueris dr. media ex vino albo dabitur.

Co-

Rec. Coriandri præparati vnc. med.
Pulueris radicis buglossæ dr. 2.
Cinnamomi electi
Corticis citri
Seminis fœniculi
Anisi
& Carui
an. dr. i. cum dim.
Origani drach. 1.
Ligni aloes dr. med.
Sacchari vnc. duas.
Misce, & fiat puluis.

Interea capitis lotiones substantifice, (vt dici solet) humectantes vsurpandæ erunt bis terque in hebdomada, parabuntur autem ex dulci lixiuio, in quo maluæ, lactucæ, althea, violæ, borraginis, & buglosæ folia caput, & intestina veruecis incocta fuerint. *Capitis lotiones humectãtes.*

Pro conciliando somno præter lotiones partium infernarũ ex simplicibus somnum conciliantibus paratas, Diacodionis in rotulis recẽtis interdum vnciam mediam, alias vero Theriacæ nouellæ scrupulum vnum cum dimidio, dormitura deuorabit, nonnunquam etiam syrupi papauerini vnciam vnam cum aquæ lactucæ vncijs duabus, & vini albi vncia vna pariter hora somni potabit. *Somnum conciliantia.*

Quibus omnibus malo non cedente Perillustris, ac Nobilissima hæc Mulier mense Septembri futuro sese transferat ab Balnea Viterbiensia, illicque aquam Balnei della Grotta dicti dies aliquot de more potabit. Cuius quidem vsu superatis obstructionibus omnibus, atque roboratis visceribus, si qua siccitas inducta fuerit emendari poterit aquæ dulcis tepidæ lauacro octo vel decem diebus, (vt moris est) administrato. *Thermarum vsus.* *Lauacrũ.*

Cęterum, quoniam hypochondriorum obstructiones diuturnę, & contumaces non facili negotio eliduntur, si propositis medicamentis omnibus vsurpatis non obstantibus adhuc perstiterint, ad medicamẽtum ex Chalybe cõfugiendum erit, quale est, Vinum Chalybeatum. Electuarium chalybeatum, aut medicamentum nostrum ex chalybe sæpius cum successu vsurpatum. *Medic. ex Chalibe.*

Rec. Conseruæ Rosarum vnc. med.
Limaturæ, chalybis præparati, pulueratiq; scr. 2.
Specierum Diarrhodon Abb. scr. 1.
Caryophillorum gr. 3.
Misce, & cum syr. Bizantino q. s. fiat bolus.

Capiat quinque horis ante prandiũ viginti saltem diebus continuis.

Tot necessario dicenda, ac proponenda erant pro huius Nobilissimæ Mulieris optata valetudine reparanda, quam Deus immortalis illi elargiri non dedignetur.

De Febre tertiana Notha duplici, cum capitis dolore, assiduo, Pro Perillustri D. Nicolao Iacobaccio Nobilissimo Romano, Consult. LXXXV.

Febris. Idea. DE Febris Nobilissimum virum annum suæ ætatis agentem circiter septuagesimũ optimo corporis habitu a natura conformatũ. Idea satis constat: Etenim non solum ex periodis ipsis, verum etiam ex alijs signis constat febrem hanc duplicem esse tertianam, spuriam tamen.

Obiectio. Nec obstat quod vtriusque accessio breuis sit, quippe quæ vltra octauam, & nonam horam non protrahatur, cum spuriarum tertianarum accessiones multo longiores sint.

Solutio. Quandoquidem bilis flaua tenui pituitæ confusa, in diuersis locis extra venas computrescẽs, minori tamen copia duplicem tertianam, seu duas tertianas Nothas, & intermittentes, quarum accessiones breues sit vtique procreare solet.

Capitis doloris causa De capitis dolore huic febri consociato sic sentio. Cum dolor hic non interuallatus, sed assiduus, sit causam interiorem, & proximam non in vapores conscendentes, sed in humores tum biliosos, tum pituitosos cerebrum occupantes, ob id referendam esse puto, quoniam vapores non nisi accessionis tempore subleuantur.

Præsagia His ita constitutis, quid de morbi huius futuro euento, tempore, & modo iudicandum satis constat. Quippe cum febris hæc sit intermittens, periculo vacat, ab erratisque nonnullis in victus ratione, ac præsertim in immodico corporis motu & laborare originem duxerit, nec iudicium hoc meum ætas suspendit, quandoquidem res agitur cum firmo, & robustissimo sene. Accessionum præterea, breuitas citra symptomatum magnitudinem, morbum hunc breuem fore, atque infra decimam quartam diem solutum iri, vel vacuatione aliqua, vel causæ morbificæ digestione sensim a natura celebranda; ipsius etiam Artis adminiculo, præmonstrat. Præsertim cum vires morbum superent, & coctionis signa in vrinis manifesta appareant.

Curationis ratio. De curationis scopis a viribus morbo, causa, & symptomatis petendis pauca proponam, quod, & victus, rationem, & peccantium humorum præparationem, opera ad hisce scopos explendos idonea Clarissimus Collega iam ex Arte præscripserit. Chirurgicum etiam opus non omisit, nam capitis doloris sedandi causa cucurbitulas cum scarificatione scapulis lenita prius aluo affligendas (& scite admodum) imperauit.

Venæ sectio. Illud tantum superest expendendum. Num videlicet sanguis huic Nobilissimo viro sit mittẽdus, cum nec morbus (secundum aliquos) remedium hoc indicet, nec senilis ætas permittat. Si quidem fe-

brium

brium intermittentium(aiunt)proxima causa propriusque fomes nō est in venis maioribus,ex hisque non prorumpit : ergo sanginis missione non detrahitur.

Argumenti huius antecedens non conceditur, nā ex Gal.decretis intermittentiū etiam febrium materia in venis maioribus residet è quibus in minores,ex hisque in partes sentientes accessionis tempore prorumpit. Ob id non negamus, hanc etiam in cauitatibus extra venas interdum subsistere;quod nec Gal.ipse negauit. Sed esto quod febris intermittentis fomes locum aliquem extra venas obsideat, ideoque venæ sectione deturbari nequeat ; quoties tamen, vel venæ sanguinis copia turgescant, vel sanguinis incalescentis symptoma quoddam acrius vrgeat,vt corporis assidua inquietudo , & iactatio, æstus insignis fere suffocans,aut capitis dolor pulsans, qui Nobilissimum hunc ægrotum assidue sollicitat, vtiq; sanguinem mittere expedit. His accedit quod sanguinis in quo residet putrida febris detractio,prętérquamquod peccantem in vasis humorem imminuit,calorem febrilem,& putredinalem remittit, simulque humorum confluentium ad putredinis focum impetum compescit. Præterea Galenus vndecimo Meth. Med. cap. decimotertio imperat(& recte quidem)in omni febre putrida secandam esse venam : ob id fortasse primo ad Glauconem. De exquisita tertiana loquens huius præsidij non meminit, cuius antea in generali curandarum febrium putridarum methodo meminerat:vel etiam fortasse, quia tertianam puram , & exquisitam a tenui paucaque bile pendentem ope ipsius naturæ per sudorem morbificam causam detrudentis solutam iri, (vt sæpe accidit) arbitrabatur,vbi tamen febris hæc a multa bile sanguine commista suboriatur,venæ sectionem, detrahendi noxii humoris causa vtique efflagitat.

Febriū intermittentiū materiā in venis etiam maioribus contineri.

Quando mittendus sit sanguis humore ēt extravasa peccanti.

Vtut sit in præsenti Nobilissimo ægrotante duabus tertianis notis correpto cū insigni capitis dolore pulsanti citra omnem cōtrouersiā sanguis mittendus est vel ex vena communi brachii dextri,vel ex hæmorrhoidibus per admotas hirudines, quæ quidem venæ(vt audio) sanguinem interdū sponte emittere solent,sed cōsiderate id agendū. Vt enim ad venæ sectionem temporis occasio opportuna, ita, & corporis ac præsertim primæ regionis præparatio adhibenda, nimirū vt a crudis redundantibus humoribus prius expurgetur ; hac enim præparatione neglecta plurimum profecto laboranti offensionis impendet : quippe venæ sanguine educto inanitæ, fuga vacui crudos in prima regione contentos humores rapiunt. Quocirca etiam atque etiam hortor vt quāprimū expurgata prima regione Diacatholici, & Diaphęnici simul permixtis vsū,sanguis ad vncias quinq; vel sex mittatur:neque senilis ętas a tam generoso remedio nos detterere debet, quoniā in firmo puero, & in robusto sene (qualis hic est)vrgente necessitate,sanguinem mittēdum ratio, grauissimorum virorū auctoritas,

Præcautio ante sāguinis missionem.

tas,& quotidiana experientia persuaderint. Huic nostræ sententiæ suffragatur Galeni auctoritas primo ad Glauconem,qui in curanda tertiana spuria sanguinis detractionis aperte meminit.

Cæterum quoniam huc conuenimus, vt hoc dumtaxat præsidio aliquibus suspecto,inter nos commentaremur, nihil aliud nunc proponendum mihi videtur, nisi quod statim post febris statum purgatio exacta, & colagogis, & phlegmagogis erit opportuna. A purgatione fotus ex meliloti, anethi, fænugræci seminum lini, & Absynthij decocto hyppochondrijs,veluti febris huius foco singulis diebus mane, & vesperi ieiuno ventriculo ad reseranda vasa obstructa, ad digerenda per halitum excrementa illic subsidentia vtiliter aplpicabũtur: Porrò enim oris amaritudo,nausea, atque harum partium tensio quædam tangentibus manifesta peccantis humoris sedẽ clare indicant.

Purgatio post febris statum. *Fotus.*

Illud etiam addam, & finem dicendi faciam, quod medicamenta viscerum naturalium dijscrassias corrigentia interim, omittenda non sunt. Inter quæ hoc vnum primas obtinet partes.

Viscerum discrasias comendãtia.

Rec. Trochiscorum de eupatorio
Trochiscorum de rhabarbaro
Trochischorum diarrhodon abbatis } an. dr. med.
Specierum diamargariton frigidi scr. duos.
Spec. Syrupi de Absynthio q.s. fiant pilolæ num. nouem quarum tres sumat in aurora,deinde superbibat syr. Capillorum veneris,vnc. 1. cum Aquæ cichorei,vel Borraginis vncijs quatuor.

Hæc est mea in proposito hoc casu sententia faxit Deus,vt omnia Nobilissimo hoc Viro fæliciter succedant.

De Virilitate lesa, Pro Nobili quodam Iuuene Ferrariensi. Consultatio LXXXIII.

Affectus.

LAesa virilitas in Nobili proposito Iuuene,ablata nimirum Colis generationi famulantis actio, morbum consequitur in via, musculorum videlicet penem erigentium paralysim: quandoquidem vitium hoc erectionis tantum est,non autem seminis eiaculationis: neque vllum in reliquo corpore iuuenis huius vitium depræhenditur: ita vt suspicandum sit partium generationi famulantium langorem hunc,carminibus,aut veneficiorum iniuria comparatum esse: sterilitas enim,ac veneris impotentia frequentissima sunt mala, veneficiorum iniuria corporibus humanis illata.

Veneficij suspicio.

Præsagia

Vitium hoc,cum huic Iuueni connaturali non sit, sed postea subortum fuerit, idoneaque præsidia adhuc vsurpata minime fuerint, resque cum firmo,& robusto Iuuene agatur, sperandum fore, vt pristinum

ſtinum hoc in opere vigorem ſuſcipiendæ prolis cum eius coniuge cauſa recuperare valeat.

Quod vt aſſequatur, ad Diuina, & humana auxilia confugiẽdum. *Præſidiorũ genera duo.*

De victus ratione ita ſtatuendum. Etſi craſſus viſcidusque humor muſculum coli erigendo deſtinatum obſtruens, tenuem, attenuantem, & ſiccantem victum efflagitare videatur: nihilominus tamen vt ſpiritus conuenienti copia gignantur, ſanguis ſeminis materia augeatur, calidum, & acre ſemen procreetur, victu calfaciente potius, humectante, multum nutriente, atque moderatos flatus producente illi vtendum erit. Hæc enim ad pænis erectionem concurrunt. *Virtus rõ.*

Conueniunt igitur carnes optimæ iuniorum animalium, teſtes Gallorum, oua recentia con ſuis albis ſumpta, caro porcina non ſalita, Caſeus, recens, fabæ, ciceres, rapæ, eruca, furmentacea, & huius generis alia. Quæ quidem edulia condimenta requirunt ex pipere Zingibere, Cinnamomo, Caryophillys, & conſimilibus odoratis. Vino vtendum illi erit maturo albo vinoſo quidem ſed aqua attemperato, nec bibendum, nec comedendum ad ſatietatem. Exercitio vtendum temperato; Vt vigiliæ immodicæ non probantur, quod nimirum digerant, ita nec ſomnus iuſto longior probatur, quippequi multorum excrementorum prouentus auctor ſit. Aluus lubrica ſeruanda. Animi paſſiones omnes moderandæ, ac præſertim libidinis inhoneſtæ pertinax deſiderium infrenandum. Inter omnia ad victus rationem hoc in caſu neceſſaria primum locum obtinet aeris mutatio, eo maxime ſi veneficij alicuius ſuſpicio hic ſit Tria præcæteris in cibarijs ſumpta mirum in modum in hunc vſum probantur, Crocus Porrorum elixatorum cum erucæ, ſemine, atque cæpe cum butyro frixæ, Croci momento addito. Inter compoſita Dyaſatirion vtiliter datur, quandoquidem, & ſpiritus reparantia, & flatus producentia huic operi (Teſte Gal. lib. ſexto de locis affectis cap. vltimo) valde accommodata complectitur. Cuius drach. vnam vel alteram horis tribus ante cibum capiat, dein ſtatim ſuperbibat iuris cicerum vncias ſex cũ Croci pulueratí granis ſeptem. Interim ad diſſipandam materiam colis muſculum obſtruentem, vnde Paralyſis quædam huiuſce partis erectionem impediens, ſimulq; ad languentem venerem honeſti deſiderij cauſa excitandum. *Læſeſæ virilitati occurrẽtia.* *Dyaſatirion.* *Colis paralyſim curantia, & venerẽ lãguẽtẽ præparantia.*

Rec. Olei ſeſamini vnciam 1. cum dimidia.

Pyrethri }
Euphorbi } an. dr. med.

Moſchi ſcr. med.

Coquantur ſimul lento igne

Quo alternis ſaltem diebus veſperi ante cænam dies aliquot alline, penem teſtes, Perinæum, & partes ad os ſacrum attinentes; ab his enim nerui, & meatus in colem prodeunt.

Si

Amuletū Si Amuletis fidem adhibere liceat, fel de Taxone super femur sinistrum ligatum (Rasio teste) virgæ erectionem efficit.

Diuina auxilia. Dum hæc præscripta remedia naturalia administrantur, Isaac inter Arabes Medici præstantissimi pręceptum seruandum, nempe vt coniuges peracta peccatorum suorum confessione, persolutisq. reliquis piorum Christianorum muneribus, accepta etiam a sacerdote Benedictione, post triduum congrediantur, Exorcismis quoque ab Ecclesia huic rei peculiariter destinatis religiose vtatur, quemadmodum scite admodum monet Baptista Codronchius philosophus, ac Medicus Imolensis celeberrimus, olim meus Discipulus doctissimo suo libello de Morbis veneficis tractatu quarto, cap. 10. Inter medicamenta neruis male affectis, simulq. veneficiatis auxiliantia, hoc vnū præcipuum est, hoc in casu non leuis momenti.

Med. neruorum vitia corrigens, & veneficiatis occurrit.

Rec. Seminum palmæ Christi scr. 2.

Rutæ }
Abrotani } an. pug. 1.
Croci gr. 4.
Sacchari albissimi dr. med.

Misce, & pulueri zentur subtiliter, tribusque horis ante cibum alternis diebus ex vino albo subdulci propinentur.

De purgatione, ac venæ sectione nihil habeo quod proponam, quod compertum habeam Nobilem hunc iuuenem in omnib. (hoc excepto vitio) bene habere, nullaque aut Cachochimia, aut plethora laborare. Tot dicenda occurrebant de casu proposito; Quę omnia Deus immortalis ad optimum, pium, christianumque finem dirigere non dedignetur.

De triplici Melancholico affectu Pro Perillustri, & Admodum Reuerendo Abbate quodam Parmensi. Consultatio LXXXIV.

Melancholia quid. Cum melancholia proprie dicta delirium sit sine febre cum metu, & mæstitia citra causam manifestam, prout Hippoc. & Gal. decretum reliquerunt Aph. 23. 6. libri, necnon idem Gal. lib. 3. de locis affectis, cap. 7. Perillustrem, ac admodum Reuerendum Virum Melancholia hac laborare neutiquam affirmare possum. Quandoquidem metus, & mœror, qui Perillustrem, & admodum Reuerendum hunc Virum multis ab hinc annis infestant, non sine causa manifesta, interna saltem excitantur; etenim, & capitis sensus grauitatis cuiusdam cum calore interdum ad Thoracis imum vsque perueniente, & ventris interioris rugitus cum tristi quodam sensu sæpe affligentes, & nonnunquam anxietas veluti animi deliquium quoddam sine causa manifesta, nec non motricis facultatis actio inter standum, & ambulandum persæpe ita deficiens, vt statim sedere, aut decumbere cogatur, multaque alia huiusce generis symptomata laborantem

rantem

rantem hunc infestantia, vnicuique vel etiam animo, & corpore firmissimo vitę, vel imminentis alicuius periculi metum mœroremque vtique incuterent: ecce ergo metus, & mœroris in Perillustri, ac admodum Reuerendo Viro causam manifestam. Quocirca cum laborans hic propositus facultatis principis, ratiocinatricis nempe, imaginatricis, & memoratricis munia egregie, & integre exerceat, licet magis interdum, quam pro obiecti infestantis ratione timere mærereque videatur, non vera propriaque melancholia, sed affectu quidem quodam melancholico, hypochondriaco pręsertim laborare iure optimo dicetur.

Mœroris causa manifesta.

Hypochōdriacæ melācholiæ signa.

Cuius quidem forma seu essentia, posita est in cerebri intemperie frigida, & sicca ob visceris huius violatum calidum innatum ex longa patiendi consuetudine hypochondriorum vitio.

Melancholiæ essētia.

Morbi huius antecedens causa accepta fertur hepati plusquam par sit calido. Hoc enim suo feruore tripliciter hominem ledit; nam omētum ipsum, quod ventriculi calorem fouere solet, extenuando vitiatæ primæ coctionis in causa est, vnde crudorum humorum prouentus, qui deinceps in subiectarum venarum obliquitate detenti, atque prohibito obstructionis causa perspiratu, exusti suosque halytus in varias partes, ac in Caput præsertim exhalantes, commemorata symptomata pariunt: Cor etiam ob id offendit, quoniam vitiatum illi alimētum, sanguinem nimirum crassum atq; quodammodo exustum suggerit, ex quo deinceps vitales spiritus in animales a cerebri temperamento immutandos, impuros obscurioresq; producit: non dissimili etiam ratione cerebro eatenus incommodat, quatenus non solum atros vapores, verumetiam impurum alimentum illi assidue suppeditat: ex quibus concludere possumus cerebrū in Perillustri, & admodum Reuerendo Viro frigida siccaq; intemperie laborare, innati ex morbi diuturnitate defectu, & ob melancholici humoris pręsentiam, itaut & per essentiam, & lege consortij tum ab hypochondrijs tum ab vniuerso corpore humoribus melancholicis referto, affici iure optimo censeatur. Hinc melancholicus affectus triplex. Primarius hypochondriacus, & qui totius corporis vitio fit. Qui tamen non vsque eo peruenit (licet altius radices egerit) quo falsas prorsus imaginationes, veramque melancholiam ingenerare potuerit.

Causa antecedens.

Hepatis calidioris tria incōmoda.

Nota

Melancholicus affectus triplex.

Dubitatio

Sed quis hoc loco iure dubitare posset, si humor siue vapor melancholicus in mentis sedem obrepens, metum & mærorem inducit exusta autem materia (secundum communem omnium consensum) mentis perturbationes maniacas ferinasque parit; qui fit vt in perillustri & admodum Reuerendo Viro, in quo exusti humores hepatis calidioris causa assidue procreantur, nulla deliramenta, nedum ferina obseruentur? An quia isthæc symptomata humorem quomodocunque exustum minime sequantur, quod a bile, vel sanguine bilioso, eoque non vehementer exusto pendeant. Huic accedit quod in

Solutio.

perilluſtri Viro cerebrum licet per conſenſum ab hypochōdrijs, & a toto coafficiatur necnon ex diuturna conſenſus conſuetudine per (vt aiunt) eſſentiam quoq; laboret; hypochondriaca tamen affectio hoc in caſu primas obtinet partes, quæ cæteris melancholicis paſſionibus mitior eſſe ſoluit: Cuius quidē in perilluſtri Viro ſigna ſunt. Ructus, flatus, Rugitus partium ad imum ventrem ſpectantium fluctuatio, interdum dolor, & cordis veluti palpitatio quędam.

Hypochondriacæ melancholiæ ſigna.

Cæterum quoniam in hac ventriculus valde afficitur, non ſolum quatenus infirmus cum ſit, ægre concoquit, verumetiam quando calidioris humoribus preſentia laceſſitur, haudquaquam mirari oportet, ſi perilluſtris ac admodum Reuerendus Vir triſtitia, inquietudine atque anxietate quadam ſæpius ſollicitetur. Bilis enim (ſcribente etiam Gal. lib. de Plenitude cap. vltimo) quando os vētriculi infeſtat, homines triſtes & moroſos reddit.

Curationis ſcopi.

Quibus ita enarratis, vnicuique ſatis compertum eſſe poteſt quas indicationes, quos ſcopos, & quæ opera congrua curationis ratio efflagitet; etenim Iecur refrigerare, ventriculum calfacere, Cerebrum humectare, cor ipſum corroborare interimque hypochondriorum obſtructa vaſa reſſerare omni ſtudio ac diligentia ſtudendum erit, quæ, vt faciliori negotio ſuccedant, præſcripta victus ratione idonea conſtantiſſime obſeruanda, bilioſi, pituitoſi & Melancholici humores apparandi erunt, & apparati per idonea pharmaca purgandi. De auertentibus auxilijs, non habeo quod proponam; quandoquidem vt nuper intellexi Clariſſimus Vir duos geſtat fonticulos, alterum in brachio ſiniſtre deriuationis gratia a Capite, alerum in crure dentro auerſionis cauſa.

Victus rō. Præparatio. Purgatio. Auertentia. Præſagia.

De morbi huius euentu quid ſperandum paucis exponam, prouintiam hanc difficilē eſſe tria commonſtrant: affectus natura propria cōtumax, eiuſdem vetuſtas, atque triplex Melancholica paſsio, cerebri nempe propria, hypochondriaca, totiuſque corporis vitio. Cœterum quoniam vitium hoc facultatis principis actiones nondum labefactauit, neque corpus ad ſolitam maciem illam deduxit, Virumq. firmo habitu conformatum, & Iuuenem, cui iuuentuti gratioſa omnia ſuccedere ſolent, exercet: non vtique diffidendum, quin abhiſce moleſtijs vindicari poſsit: præſertim cum affectus hic hypochondriacus totius mali cauſa prima potiſsimaque cæteris duabus melancholiæ ſpeciebus longe mitior ab omnibus cenſeatur.

Victus rō.

Iam vero opera ad curationem pertinentia aggredior, ac primum victus rationem, in qua maxima cæli ratio habenda eſt; nimirum vt Aer ad calidum, & humidum moderate incliner, ſitque limpidus, & clarus nulloq; vitioſo vapore refertus. Somnus ēt conciliari debet, vel ſeminum papaueris albi emulſione ex aqua, vel violarum, vel lactucæ extracta vncijs quatuor vel quinque ſtatim a cœna ſumptis vel diacodionis in rotulis vncia media hora ſomni deuorata, vel etiam

etiam partium infernarum lotionibus ex aqua modice calente, in qua lactucæ, maluæ, vitis, & salicum folia, nec non, & papaueris capita cum seminibus suis incosta fuerint. Conseruæ etiam violarum vncia media cum seminum papaueris albi drach. vna, & syrupi papauerini vncia media hora somni propinata, blande admodum somnum conciliare solet. Exercitio quoque temperato per loca amęna ieiuno ventriculo, atque ventris Arte vel natura prius depositis excrementis, quotidie illi vtendum erit; omnia animi importuna incommodaque studia pro viribus deponat oportet, animumque a tristibus, & morosis cogitationibus ad pia studia, interdum etiam ad honestos ludos distrahat.

Cibis perpetuo vtatur boni succi facilis coctionis, & paucorum excrementorum. Vino vtatur albo tenui subastringenti atq; aqua aurata, vel ferrata attemperato. In summa victus humectās ex vsu illi semper erit, modo ab omnibus flatuosis cibis abstineat, Cænaque partiori quam prandio vtatur: atque a cibo vel Coriandri semina saccaro intecta, vel Diacitonium, vel totius citri saccharo conditi portiūculam deuorabit: neque a cæna somno nisi hora vna saltem cum dimidia se dederit. Quo viuendi modo ad vnguem, & perpetuo obseruando bis in anno, ineunte videlicet Autumno, atque in vltima Veris parte æstate instante, vt hoc tempore medicationem hunc in modum ineat, oportet.

In primis Ventre leniatur hoc medicamento mihi hoc in casu valde familiari.

Ventris lenitio.

Rec.
- Diacatholiconis drach. 6.
- Medullæ Casiæ Aegiptiæ dr. 5.
- Pulueris hiere Galeni dr. 2.
- Melis rosati solutiui q. s. fiat bolus capiat horis quatuor ante cibum

Aluo ita lenita pro apparandis humoribus biliosis, pituitosis, & melancholicis.

Præparātia.

Rec.
- Syrupi, de cichorea cum rhabarbaro
- Oxymellitis simplicis
- Syrupi ex fumoterræ singulorum semiunciam
- Decoctionis agrimonij, betonicæ cichorij cum absinthij coma vnc. v.
- Misce pro syrupo in aurora dando.

Vena sectio.

A primo vel altero syrupo secetur illi cubiti dextri vena Iecoraria, qua secta septem vel octo sanguiuis vnciæ detrahantur, vt & Iecoris calor euentetur, & humores noxij sanguini commisti aliqua ex parte imminuantur, simulque vasa nonnihil expediantur, quo facilius medicamentorum adhibendorum vires subire valeant. Nec obstat quod Gal. in affectu melancholico cerebri primario sanguinis missionem reprobare videatur: quandoquidem hic, & sangui-

nis copia, & vitium non solum in hypochondriis verum etiam in toto corporis habitu sanguinis detractionem indicat. Quinimo sumptis quinque syrupis, vt vena sinistræ manus (saluatella appellata) tun datur, indeque sanguinis quinque vel sex vnciæ exhauriantur maximopere hortor.

Purgatio. A septimo syrupo apparati humores hūc in modū purgādi erunt.

Rec. Syrupi de Polypodio vnc. 4.
Diaphœniconis dr. 3.
Confectionis Amech. dr. 2.
Dissoluantur in decoctione cordiali quantum sufficit, & fiat potus in aurora dandus.

Sanguinis ex venis sedis detractio. Deinde ab assumpto hoc pharmaco, die tertia citandæ erunt hæmorrhoides admotis hyrudinibus ex Hippocratis sententia Aph. sectione sexta Aph. vndecimo: etenim detracto ab his venis sanguine ab hypochondrijs, in quibus morbosus apparatus insidet, deriuato fit.

Roborantia. Post hæc ad roborandum Iecur, Ventriculum, Cerebrum, & cor ipsum octo vel decem diebus continuis horis duabus ante prandium præscribendæ Confectionis vnciam mediam deuorabit.

Rec. Conseruæ florum Borraginis
Conseruæ florum Rorismarini
Conseruæ florum Betonicæ
Conseruæ florum Cichorij — an. semi vnc.
Myrabolanorum chebularum Emblicarum an. dr. 1.
Specierum Diamargariton frigidi scrup. 4.
Cum syrupo de corticibus citri fiat Electuarium
Cui adde foliorum auri purissimi num. 10.

In altera autem medicatione Autumno futuro celebranda præter præscriptæ confectionis vsum, mithridatica confectio, vel Theriaca vti poterit. Cum commemoratæ confectionis vsu hepatis regio mane, & vesperi illinatur hoc linimento

Topica. Rec. Cærati santalini recentis vnc. 2.
Succi Cichorij vnc. 1.
Succi plantaginis semiunciam
Aceti Rosati drach. 2. — Misce pro Linimento

Simulq; etiam ventriculi regio oleo ex nuce moschata, & cordis oleo ex floribus corticibusque citri pariter illinenda erit.

Styllicidium. Interim si singulis diebus mane, & vesperi ieiuno ventriculo caput lactis ex vbere capræ emanantis stillicidio dies aliquot subijceret, summum incredibilemque inde emolumentum percepturum fore haud dubitarem.

Thermarum vsus. Quibus omnibus peractis ad Thermas, veluti ad sacram anchoram confugiat, oportet. Inter quas aquæ Aponenses in Agro pa-

tauino, & Aquarianæ Regio longobardo viginti quinque milliaribus distantes hoc in affectu mirum in modum comprobantur. Sed & veterum testimonio rationi consentienti, & longo vsu medicinam mihi facienti comprobatum est Thermas Casianenses in affectibus huiusmodi melancholicus curandis primum obtinere locum. Quocirca vt ad hasce sancti Casiani Thermas Iulij Mense pergat, atque aquam Balnei della terra nuncupati quatuor vel quinque diebus de more bibat, dein quindecim saltem diebus aquam ficuncellæ, siue della figatella pariter bibat, etiam atque etiam hortor. Eiusdem etiã valoris sunt aquę porettanę in Agro Bononiensi scaturientes. Neque ab hoc consilio me auocat, quod aquæ Thermales omnes siccandi facultate polleant: quandoquidem harum aquarum vsu laboranti huic eatenus plus commodi comparabitur, quatenus & Iecur refrigerant, & Ventriculum excalfaciunt, quam incommodi sua illa siccitate leui; & præterquam quod Thermales aquæ omnes non solum qualitatibus suis manifestis, verum etiam facultate quadam occulta in corpora nostra operantur. Quod si Perillustri ac admodum Reuerendo Viro incommodum est huiusmodi Thermas adire, harum aquarum, loco sero caprino multa copia cum Cichorii, & Fumoterræ succis depuratis decem, vel quindecim diebus vtatur, oportet, neque formidare debemus seri flatulentam quandam naturam; quandoquidem si cum ipso (interim dum igne depuratur) coriandi semina cum modico ligni sassafras inconquantur, citra vllam noxã, quod intendimus hepatis nimirum refrigerationem vtique pręstabit. Cum hoc præsidio, vt aquæ dulci vniuersali lauacro de more aliquot dies vtatur summopere commendamus. His, tria adhuc addam, ac dicendi finem faciam.

Primum, leniter, atq; ex interuallis, vt bis in mense corpus purgandum esse, vel cassiæ medullæ vncia vna cum specierum hieræ simplicis Galeni drachmis duabus, atq; syrupi rosati solutiui vncia vna, vel syrupi de Polipodio recentis vncijs quatuor, cum aquæ Borraginis vnciis tribus: aut etiam interdum vini, in quo foliorum senæ orientalis drachmæ tres cum Absinthij comis duabus, & Cinnamomi modico per noctem maceratæ fuerint, vncijs quatuor, vel quinque in prandio post primos cibos epotis. *Repetẽda purgatio.*

Alterum pro tollendis hypochõdriorum obstructionibus, vt Perillustris, ac admodum Reuerendus Vir Autumno futuro corpore repurgato præscribendi Electuarij vncia media horis quinque ante prãdium quadraginta diebus continuis vtatur summopere hortamur, deinde statim superbibat vini absynthites vncias tres. Est autem huiusmodi. *Obseruationes tollendæ.*

Rec. { Limaturæ Chalybis præparati, & in Puluerem redacti lib. 3. Caryophyllorum vnc. 2.

Conseruæ Rosarum
Conseruæ florum Cichorei } an. lib. I.
Rec. Syrupi de Corticibus citri quantum
sufficit fiat Electuarium.
Cui adde foliorum auri purisimi num. 5.

Confectio diacynthina. Tertiū confectionis Diacynthinæ drachma vna ex interuallis quibusdam horis quatuor ante cibum data mirum in modum conducit ad superandos cuiusque generis affectus Melancholicos.

Tot dicenda, ac proponenda necessario erant pro debellando affectu vsque adeo contumaci, atque efferato, faxit autem Deus, vt (quēadmodum spero) votis correspondeant.

De Nobili Muliere Maceratensi pluries Abortiente, Consult. LXXXVI.

Affectus. CAruneulas rudes, & informes, per Vterum Nobilis Mulieris pluries a congressu cum eius Viro circiter Mensem vnum excretas, non equidem in Molam (vt quis suspicari posset) referendas esse putamus; sed in conceptum infirmum, & Abortum. *Abortus signa.* Quādoquidem Mola pluribus diebus, Mensibus, & Annis gestari solet. Cuius meminit Gal li. decimoquarto Meth. Med. cap. xiij, & xiv. de Vsu partium cap. septimo. Præterea dolores, & cruciatus insignes Nobilem hanc Mulierem in hac caruncularum excretione, cum abundanti sanguinis ex Vtero fluore sollicitantes non Molam, sed verum legitimumque abortum aperte commonstrant. His accedit, quod huiusmodi caruneulæ minutim incisæ, fibras quasdam nerueas, veri conceptus certissima signa exprimunt.

Abortus causa. Causæ Abortus externæ, & internæ plures numerantur, quas omnes recensere presentis non est instituti. Certum enim est causam omnibus communem ex Gal. lib. tertio de naturalibus facultatibus cap. xii, læsionem esse expultricis ipsius vteri: nil enim aliud est Abortus, quam violenta, & intempestiua fœtus editio expultrice ipsius vteri irritata vel mole, vel pondere, vel morsu. *Vteri expultrix triplici ei irritatur.* Et licet primis diebus fœtus exiguus sit, ponderis tamen esse potest supra vires eius, quod continet, videlicet membranæ, & ligamentorum. Sed vt ad particularia magis condescendam, abortus huius proprias causas, a quibus remediorum indicationes sunt petendæ, tres obseruo.

Abortus huius causa vna. Prima insignis est vteri humiditas, quam ex assiduo veluti Muliebri profluuio assequor, vnde vteri aceptabula nimio muccore referta Abortus sunt in causa: vt Hipp. ipse docuit Aph. quinto Aph. quadragesimoquinto. *Causa altera.*

Tertia Abortus causa. Alteram causam refero ego in mensium abundantiam. Tertiam in Nobilissimæ mulieris mariti semen inmodicum tenue, & morbosum

bosum reijciendam puto. Quod quidem non a natura tale est, sed testiculorum refrigeratorum vitium consequitur ob herniam aquosam diuturnam, & contumacem prægressam. Semen enim in testibus elaborari, ac perfici, (vbi bene valeant) omnibus est in confesso. Proinde vt ex Mensium copia immodica, & exiguo semine ipsius magis, eoque morboso, Mola in vtero procreatur ex Hipp. sententia lib. 1. de morbis muliebribus longe post medium, & in lib. de sterilibus paulo post medium. Atque ex Aristotele 4. de generatione animalium cap. 7. ita & ex eisdem causis fœtus morbosus, facileque corruptibilis concipitur. *Mole causa.*

Quod autem non solum mulieris, muliebrisq. vteri dyscrasia; verumetiam Maris, eiusque testium pariter intemperantia, sterilitatis, illegitimi, infirmiq. conceptus causa esse possit Hip. Aphorismorum 5. aph. 67. vel quisquis aphorismi illius Auctor fuerit rectissime censet; quę quidem non dissimili ratione abortus concausæ iure optimo censendæ sunt. *Illegitimi conceptus, & abortus causa, tā ex parte mulieris. quam ex parte Vteri.*

Ceterũ quoniam ex Principis sententia rationi consentiente, quoties Mulier primis a conceptu dieb. aborire solet, id acceptũ fertur seminis ipsius maris vitio, quippe quod tenue, ac dilutum sit, vnde cũ membrana conceptum continens magis tenuis, & infirma, quã pro naturæ præscripto procreetur, facili postea negotio disrumpitur, indeque abortus; rationi consentaneum est asserere Nobilissimi eius Viri culpa, tenue, dilutumque semen eiaculantis, cum sæpius primo fere conceptionis mense abortire soleat; malum hoc suscitari. *Seminis maris tenuitas celeris abortus causa.*

Hæc autem satis dicta sint de ijs, quæ ad propositi affectus Theoreticen spectare videbantur, nunc vero Practicen, seu Therapeuticen aggrediamur. Porrò omni studio, & accurata diligentia præcauere oportet, ne Nobilissima hæc fœmina in consuetos rursus abortus incidat; neque opus hoc non modo contemnendum, sed ne tantillum quidem differendum est: quandoquidem Mulieri in abortu, magis quam in partu legitimo laborat, atque periclitatur, teste Hip. lib. 6. de morbis vulgaribus sect. 1. comm. 1. & 3. eiusdem operis sectione 2. com. 7. atque primo de morbis muliebribus. Cuius quidem alia ratio assignari non potest, quam quod in abortu vteri expultrix facultas violenter irritatur a causa morbifica, eaque sæpius maligna, ac deleteria. *Therapeuticen.* *Mulier in abortu magis quam in partu periclitare potest.*

Huc accedit, quod Mulieres iuniores in partu, & abortu longe magis, quam natu grandiores, & quæ sæpius pepererunt, laborare solẽt: hæ siquidem ob ferendi labores assuetudinem, & vasis per quod fœtus egreditur amplitudinem, laborem hunc faciliori negotio substinent. Pręterea hic agitur de liberorum propagatione omnibus sane tantopere optabili. *Natu grãdiores in abortu, & partu minus laborant.*

Præcautionis ratio triplex erit. Prima quæ Nobilissimæ huic fœminæ debetur antequam concipiat. Altera postquam conceperit, & *Pręcautionis triplex ratio.*

periclitatur ne abortiat. Tertia eo spectat, vt vitij huius causæ morbificæ in virili semine positæ pro viribus declinentur.

Præsagitio. Opus sane difficile, non autem præpeditum. Difficultatem ex eo deprehendimus, quoniam vitium hoc non solum ex muliebri affectu suboritur, sed etiam ex Viri semine morboso. Nihilominus vtriusque ętas adhuc consistens cũ virium robore, & corporis vtriusq; habitu non indecenti, multa hoc in opere bona nobis pollicentur. Quamprimum igitur hasce consultationes nostras acceperit, præscriptam illi medicationem adoriatur oportet. In qua priusquam vterus priuatim repurgetur ex Aetij sententia li.16.c.21. Corpus vniuersum, purgandum erit, quocirca lenita prius Aluo, vel Clystere aliquantulum acri, vel Diacatholicone cũ speciebus Gieræ picræ simplicis Gal.

Ventris lenitio.

Humorũ pręparatio. Apparentur redundantes succi syrup. de Arthemisia, de Betonica, & de Capillo veneris cum aquis, vel decoctionibus Arthemisiæ, Matricarię, Betonicæ, & Origani modico.

Venę sectio. A secundo, vel tertio syrup. reuulsionis ab vtero, & plenitudinis imminuendæ causa, sanguinis vnciæ octo, vel nouem è cubiti dextri vena Iecoraria exhauriantur. A quinto, vel septimo syrup.

Purgatio. Apparati iam humores deturbandi erunt pilularum de Agarico scr.4. cum Trochiscorum de Rhabarbaro, ac de Mirrha singulorũ dr.1. hisce omnibus cum syrup. de Arthemisia in Bolum redactis.

Repetẽda purgatio. Quod quidem etiam medicamentum ex interuallis quibusdam, minori tamen dosi repetendum erit, pręgressa iterum præparatione aliqua syrup. validioribus, quales sunt syrup. Bizantinus, de quinque radicibus, cum syrup. pariter de Arthemisia, additis decocto, vel aquis stillatitijs consimilibus.

Vteri purgatio propria. Corpore vniuerso hunc in medum repurgato, vterum priuatim expurgare sine mora expediet, & medicamentis per insensibilem halytum digerentibus. Vt sunt inunctiones, fotus, & suffumigia ex simplicibus calidis parata, quorum maxima reperitur sylua apud omnes Auctores: & ijs, quæ redundantes in vtero succos sensibiliter euacuant, Vt Collyria vterina, & Pessaria huiusmodi.

Medic. vterum insensibiliter expurgantia.

Pessariũ vterũ expurgans.

Rec. Gentianæ scr. 2.
Cinnamomi
Caryophillorum. an. dr. 5.
Mei
Seminis fœniculi
Arthemisiæ } an. dr. 1.

Terantur omnia diligenter, & cum succo Mercurialis, & Tragacantha, cum Mirrhæ modico fiat pessarium.

Vtero hoc modo præpurgato, statim exsiccantia, & roborantia medicamenta, tum interna, tum externa vsurpanda erunt. Primi generis sunt Theriaca Mithridatium, Diamoscus, & Diamargariton. Secũdæ classis sunt insessus parati ex herbis calfacientibus, & siccātibus,

bus, vterumque respicientibus, in aqua excoctis. Quale erit decoctum Calamenti, Chamemeli, Origani, Mentæ, Matricariæ, Arthemisiæ, Pulegii, & consimilium. Sed omnium efficacissimus erit insessus paratus ex aquis Thermalibus, quarum minera nitrosa sit, ac sulphurea, quæ si aluminis etiam nonnihil participent, huic operi maximè accõmodatæ censentur. *Insessus.*

Quibus omnibus compar victus ratio a nobilissima hac fęmina cõstanter retinenda pręscribenda erit, tenuis nimirum attenuans, siccãs, & temperate calfaciens, proinde indedia, frictiones, sudores, & exercitationes illi maxime ex vsu erunt. *Victus rõ.*

Hęc autem ad pręcautionem spectãt antequam Nobilissima hæc mulier concipiat.

In altero autem Nobilissimę fœminæ statu, grauidationis nempe tempore, quod ipsamet ex notis alias in se ipsa obseruatis facile assequi poterit, tria sunt præstanda, vt quod in vtero concepit ad legitimũ pariendi tempus vsque retinere valeat. *Grauidę mulieri q̃ præcautionis modus debetur.*

Primo enim externarum causarum importunitates omnes prohibendæ erunt optima victus ratione in qualitatibus tum actiuis, tum passiuis temperata. Proinde aer præcæteris eligendus est temperatus. Austrino flatu impulsus aer, prægnantibus aduersissimus est, Hip. teste 5. aph. Tetri, ac praui odores prorsus vitandi sunt, vtpote prægnantibus magnopere infesti. Propterea Arist. 8. de Hist. animalium. c. 24. rectissime animaduertit prægnantes mulieres solo extinctæ lucernæ odore interdum abortire. Vt immodicæ vigiliæ damnantur, ita & somnus iusto longior reprobatur. Aluus lubrica seruetur, vel prunis, vel passulis in vino excoctis, atque prima mensa deuoratis. Panis etiam ex tota farina cum butyro, & saccaro intectus ante alia edulia deuoratus, aluum laxare solet. Ad hoc quoque officium mirifice conducit tartari ex vino albo in puluerem tenuissimum redacti, atque per setacium traiecti vncia media ex iure immediate ante cibum data. Tot pro leniendа aluo natura hoc in opere deficiente remedia proponere placuit, quod pro comperto habeam Clysteres, vel etiam molliores, balanos, & soluentia medicamenta omnia etiam blandiora grauidis mulieribus facile abortientibus valde suspecta esse, primis, ac vltimis præsertim grauidationis mensibus. *Victus rõ.* *Prægnantib. praui odores inimicissimi.* *Aluum lenientia.* *Medic. soluẽtia prægnantib. periculosa esse.*

Animi motus omnes immodici pro viribus arceantur, refręnenturque vt męror, timor, terrores, ira, atq; desideria intensa, & pertinacia, quæ non raro abortus sunt causæ: propterea quidam ex antiquioribus Medicis imperabant grauidas mulieres hortos non frequentare, ne fructuum, & herbarum ingenti cupiditate affectæ, illisque vetitis abortirent. Hilari igitur animo, læteque viuat, oportet. *Animi passiones.*

Motus oẽs immoderati, vel cursu, vel saltu, vel tripudijs vitentur: Lex enim olim erat apud Romanos, ne prægnantes mulieres curru *Exercitiũ*

ve-

Cōgressus cum viro prohibetur. veherentur, virum non adeat primis saltem, & vltimis mensibus, quo tempore duplex a cōgressu periculum manifestum impendet, superfetationis videlicet, & mensium prouocationis; hoc abortum facit; illud verò, & fetui, & matri valde periculosum est.

Victus. Victus quantitate moderatus sit, non equidem tenuis, & extenuans, vt in alia mulieris huius nobilissimę forte, quinimmo hic paulo plenior retineri debet. Cibis vescatur boni succi facilis coctionis, paucorum excrementorum, multique nutrimenti: vnde fructus crudi, olera, legumina, pasticea, & alia huiusmodi flatulenta cibaria vitari debent. *Aqua cruda, & frigida prægnantibus nocentissima.* Vino vtatur rubello, tenui, ac subastringenti, quòd si vinolum fuerit, aqua pluuia aurata attemperetur, modice tamen, quando quidem aqua frigida, & cruda largius epota pręgnanti mulieri nocentissima est, Hip. teste lib. de aere, aquis, & locis, quemadmodum, & salita omnia magnopere reprobantur.

Vestitus ratio. Vestitus quoque ratio haberi debet, quippe mulieres grauidæ, quæ nimium arcte sese induunt, atque laterum mollitudinem, vel cingulo, vel fascia, aut vestibus sine delectu nimium adstringunt, eius erroris causa non raro abortiunt. Atque de victus ratione, in qua Nobilissima hæc fęmina grauidationis tempore continenda est, dicta sufficiant, quod primo loco erat propositum.

Remedia superuenientibus mulieri grauidæ symptomatis. Secundò, omni studio occurrendum erit symptomatis, quæ huic mulieri, dum vtero gerit summa cum molestia succedere solent: sunt autem vomitus, appetentia deprauata, & flatus vniuersum ventrem fatigantes, a quibus abortus periculum non leue imminet. Sunt qui pro sedando vomitu in prægnante, partium extremarum validas frictiones; firma dolorosaque vincula imperant, quorum quidem consilium non nisi inuitus admitterem, quoniam innatus calor vna cum sanguine conceptum alituro ab intimis ad extima hoc opere euocatur. *Ligaturæ dolorificæ prægnantibus suspectæ.* Ego autem ad vomitum hunc infrænandum, quatuor præsertim remedijs vtendum consulo, videlicet, grana mali punici in ore statim a cibo detenta, vel omphacium, aut quid consimile acidum. *Remedia vomitū sedantia.* Mica panis assata, & vino granatorum infuccata a pastu pariter deuorata. Dya cidonij in vltima mensa vsus. Atque huiusmodi inunctio.

Rec. Olei Cydoniorum }
Olei Mastichini } an. vnc. med.
Succi labruscæ }
Mastiches }
Myrtillorum } an. dr. med.
Corallorum }
Ceræ q. s. fiat linimentum.

Quo ventriculi regio immediate ante cibum inungatur.

Vitiosam appetētiā tollētia remedia. Ad appetentiam deprauatam tollendam duo comprobata præsidia proponam, quibus vtiliter vti poterit. Sunt autem fabæ saccharo conditæ statim a cibo deuorandæ, vel aqua stillatitia labri veneris vnciarum

ciarum duarum mensura cum sacchari modico data. Huc etiam spectat portulaca commansa, vel eius aqua epota, aut syrup. ex eadem paratus. Inter ea vero, quæ extrinsecus admouentur, primas partes obtinet cataplasma huiusmodi.

Rec. Carnium Palmularum cum Rosis, & fœniculo in vino rubro excoctarum vnc. ij.
Panis tosti, & vino rubro insuccati vnc. iv.
Corticis citri, melissæ an. dr. ij.
Calami odorati, Cinnamomi an. dr. i.
Olei masticini, & nardini q. s.
fiat Cataplasma ventriculo adhibendum.

Cataplasma pro tollẽda vitiata appetẽtia.

Tandem ad dissipandos flatus fomentis siccis superiori ventris parti adhibitis agendum erit, videlicet ex semine fœniculi, anisi, anethi, cimini, & reliquis huiusce generis in puluerem redactis, ac vino irroratis. Ex quibus etiam sacculi parari poterunt ventri superiori pariter admouendi.

Flatus discutiẽtia.

Humida fomenta, frequentesque ex oleis inunctiones a plerisque vsurpatas, hic minime comprobare possum, quando quidem nimium emolliendo, partesque laxando, ac dilatando abortum prouocant.

Vtilis obseruatio.

Tertio postremoq; ea vsurpanda erunt presidia tam interna, quam externa, quæ a tota substantia, & a qualitatibus manifestis præcauere valent ne prægnans mulier abortiat. Inter intrinseca facultate manifesta operantia summopere probamus mythridatium, Diamoscon, Diamargariton, & Zedoariam, necnon pulueris corallorum rubrorum drach. 1. ex ouo sorbili duabus horis ante prandium datam; quod remedium licet vulgare sit, ad hoc tamen officium efficacissimum est.

Medicamenta a qualitatibus manifestis, & a tota substantia abortu prohibentia.

Externa autem remedia secundum manifestas qualitates huic operi accommodatissima sunt, vnguentum celebratissimum Comitissæ appellatum, quod in frequenti est vsu pro illinendis dorso, & locis muliebribus. Aliud etiam vtilissimum hunc in modum paratur.

Rec. Olei masticini
Olei myrtillorum } an. vnc. 1.
Olei cydoniorum
Boli armenæ
Corallorum rubeorum } an. dr. 1.
Gallarum
Croci grana 3.
Aceti rosati parum
Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Inter ea, quæ a tota substantia commendantur, Coagulum leporinum pulueratum drach. vnius pondere ex vino ieiuno ventriculo da-

lo datum; Puluis cancri fluuiatilis eadem pariter mensura ex vino propinatus, necnon testudinum oua frequenter esitata primum obtinent locum. Lapis etiam sardonius alligatus, os de corde cerui. Lapis in vtero ceruino inuentus, & lapis lazuli, si gestentur, itaut ventris mulieris grauidæ carnes contangant, ad conseruandum conceptum, vsque ad debitum pariendi tempus mirifice conferre creduntur. Hactenus de duplici pręcautionis ratione secundum duplicem nobilissimæ fęminæ propositæ statum, videlicet antequam concipiat, & postquam conceperit.

Reliquum vero nunc fuerit ea proponere præsidia, quæ viri semen ita attemperate possint, vt firmum salubremque conceptum producere valeat, in qúo tertia postremaque præcautionis ab immaturo partu ratio posita est.

Prouidentia quę viro debetur.

Victus ratio.

Cum igitur in proposito affectu vitium ex parte viri in semine eius sit positum, quod (vt antea diximus) ob frigidam testium intemperantiam diuturnum eorundem morbum consequentem, paucum, tenue, & aquosum est, vt ex multis signis deprehenditur, quæ hic honestatis, & breuitatis causa non recensebo; victu illi vtendum erit paulo pleniore, calidiore, ac sanguinem, ex quo semen procreatur crassiorem ingenerante, qualia erunt animalium extrema, & iuscula in quibus iam dictæ animalium extremitates, & aliæ carnes contabuerint, quibus aliquid cinnamomi, aut piperis semper addendum, cibique eligendi erunt; qui optime nutriant, calfaciant, totaque substantia familiares sint, modo siccandi facultate non polleant (talia enim teste Gal. 4. simp. cap. 22. semen extinguunt) Huiusmodi autem sunt nux pinea, Amygdalæ dulces, concharum genera, cicer, fabæ, bulbi, & erucæ, fœniculique semina trita cum vitellis ouorum data. Huc etiam spectant columborum, anatis, perdicis, & turturis carnes, quibus omnibus præstant gallorum, & aliorum animalium, quæ comeduntur testes. Vino vtendum illi erit subdulce, ac vinoso.

Composita quæ sumuntur.

Inter composita sumenda efficacissimum est compositum huiusmodi.

℞.
- Cerebri columbarum
- Testiculorum galorum in lacte vaccino excoctorum an. vnc. 2.
- Nucis pineæ
- Amigdalarum dulc. an. vnc. 1.
- Corticis citri
- Zingiberis viridis an. dr. 1.
- Conseruæ eryngij dr. 2.
- Pulueris diamoschi dulcis scrup. 2.

Sacchari albissimi q s. dissoluti in aquæ melissæ sufficienti quantitate, & fiat confectio in morsellis, cuius vncia media detur deuoranda pa-

da parum ante cibum, dein statim superbibat Vini albi generosi vnc. 2. post cuius assumptionem partes infernæ aliquantulum exerceantur, vel frictionibus, vel deambulationibus.

Interea scroto ea sunt adhibenda remedia, quę testes refrigeratos excalfacere, roborareque valeant, vt fotus, & inũctiones huiusmodi. *Remedia externa testes corroborantia.*

Rec. Anethi, absinthij,
Menthæ, chamæmeli,
Calami odorati, calamenti, an. m. s.
Caryophillorum, cinnamomi
Ligni aloes, ciperi. an. scr. 1. misce

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & Vini albi secundum artem deinde cum spongia hoc decocto madefacta sæpius pudenda foueantur ante cibum. A fotu illinatur locus hoc linimento tepente

Rec. Olei Nard.
Olei Caryophilorum, an. vnc. s.
Specierum Diamoschi dr. s.
Croci scr. s.
Ceræ q. s. fiat linimentum.

Quod autem ad totius corporis prouidentiam attinet, nihil habeo, quod proponam, quippe mihi compertum est Nobilissimum Virum in reliquo corpore vtique bene valere, neque sine delectu vitam suam traducere: nihilominus vt præsidiorum propositorum vires penitiora vasa expeditius subire possint, consulo vt statim, atque propositam medicationem vnà cum Nobilissima eius Muliere aggredietur, expurgata prima regione, vel Diacatholicone, vel Melle rosaceo solutiuo, cum portione syrup. de Polypodio, cubiti dextri Vena Iecoraria illi aperiatur, & sex, vel septem sanguinis vnciæ exhauriantur. Hac præhabita quindecim, vel viginti diebus continuis prouidentia tum ex parte Viri, tùm etiam ex parte mulieris antequam concipiat, sciant oportet mulieres facilius concipere incohantibus, & cessantibus mensibus, si credimus Hipp. Gal. & Sorano, sed facilius etiam mensibus cessantibus teste Hippo. 6. de morbis vulgaribus. *De totius corporis prouidentia.* *Purgatio.* *Venæ sectio.* *Quo tempore mulieres facilius concipiant.*

Quibus omnibus ex arte administratis, indeque & Nobilissimæ mulieris vtero, & virili semine alias intemperatis, nunc vero vtrisque ad temperantiam redactis; sperandum fore vt conceptus salubris, & firmus compareatur, itaut vsque ad legitimum pariendi tempus gestari commode possit, quippe si temperati temperatis iungatur prō-ptius semper gignunt, vt doctissimus Mercurialis lib. variarum lectionum rectissime sensit; intemperati verò tunc solum procreare sunt idonei, quando suo temperamento contrarijs copulantur, quod significare voluit Lucretius hoc Carmine.

Vsque adeò id magni refert, vt semina possint
Seminibus commisceri generaliter apta,
Craßaque conueniant liquidis, & liquida, crassis.

Dummodo intemperantię non sint in summo tales. Atque de hoc affectu dicta sint satis, faxit Deus immortalis, vt ex voto succedant.

De Dysuria, & Stranguria. Pro D. Cinthia Gratiana Spoletina, Consultatio LXXXVII.

Affectus præter naturam. DVo sunt meiendi symptomata, nobilem, honestissimamque fœminam pluribus ab hinc annis moleste fatigantia Dysuria, hoc est vrinæ difficultas: quippe cum irritamento dolore, & cruciatu plerumque redditur: & stranguria videlicet stillicidium vrinæ, vt pote quæ stillatim, & guttatim sæpius non sine dolore reddatur.

Dysuria. *Stranguria.*

De causa dubitatio. *Vtriusq. symptomatis causa interna* De causa interiore vtriusque affectus, & proxima, in dubium vertebatur a Clarissimis Medicis; num videlicet referenda esset in calculum vesicæ ceruici insertum hærentemque cæterum periti chirurgici muliebria loca accurate tractantis opera, atque obstetricis diligentia certiores euaserunt vitium hoc non a calculo inhærente, sed ab exulceratione quadam vteri ceruicis, quam vrina pertransiens, acrius ferit; atque a tumore quodam subduro vniuersam fere vteri ceruicem exercente, qui sedente, vel decumbente muliere, intestinum rectum molesta quadam grauitate premit: qui etiam tumor eatenus mictioni est impedimento, quatenus vesicæ pariter ceruicem premendo angustat.

Vesicæ exulcerationis causa. Vlcus autem hoc ab acri, & erodenti humore, calidioris hepatis vitio cumulato, & a toto in vterum tanquam in excrementorum cloacam delabante oritur.

Vteri tumoris causa. At verò vteri ceruix tumore veluti scirrhoso obduruit ab humore melancholico per totam eius substantiam effuso, illicque concrescente. Cuius melancholici humoris occasionem non aliunde subortam fuisse arbitramur, quam ab immodicis animi passionibus, & præsertim a diuturno, assiduoque mœrore.

Præsagiū Affectus hi curatu vtrique difficiles sunt, quia iam diu mulierem hanc nobilem ætatis potius deficientis, quam proficientis exercent. Verum quoniam nón penitiores vteri partes, sed ceruicem dumtaxat occupant, sperandum fore, vt remediorum nondum exploratorum vi in meliorem statum restitui possit.

Met. med. Curandi ambos propositos affectus, vteri nimirum ceruicis exulcerationem, & tumorem quasi scirrhi naturam æmulantem, tres insurgunt Scopi: Primus causas omnes morbosas externas declinat,

eam

eam victus rationem designando, quæ biliosorũ melancholicorumque humorum prouentum cohibeat; propterea in actiuis qualitatibus temperata, in passiuis autem ad humidum moderate inclinans præscribenda erit, media etiam (quod ad victus quantitatem attinet) inter plenam, & tenuem. *Victus ratio.*

Secundus causam antecedentem respicit, quatuorque opera commonstrat, videlicet præparationem peccãtium humorum, eorundem purgationem, partium generantium attemperationem, & peccantis materiæ reliquiarum auersionem, interceptionemque. *Causa antecedens, quot operas indicet.*

Igitur vt primum proposita hæc mulier iter absoluerit, præscripta illi victus ratione iam dicta rigorose obseruanda, humorum redundantium prẹparationem, & prẹparatorum purgationem. Colagogis, & melanogogis aggrediatur, oportet. *Purgatio.*

A purgatione ad euacuandum sanguinem melancholicum, & fęculentum, hyrudines venis, quæ in sede sunt tres vel quatuor affigantur, sanguisque effluere permittatur ad vncias quinque, vel sex, quo quidem etiam opere a venis, quæ in vtero sunt deriuatio quædam vtilis comparatur. *Sanguinis detractio.*

Mox ad infrænandum hepatis calorem acris humoris exulcerantis auctorem, simulque ad corrigendam totius corporis siccam intemperiem humoris melancholici in toto redundantis sobolem; vt mulier hæc seri caprini clarificati lib. saltem duabus, cum cichorei, & fumiterræ singulorum vncia vna cum dimidia, viginti diebus cõtinuis, horis quinque ante prandium vtatur, dein vespere horis duabus ante cęnam aquæ dulcis repentis balneo hora fere vna se immergat, maxime consulo, & hortor: cuius quidem lauacri vsu, redundantes in toto succi per habitum digeruntur. *Membrorum intẽperantias emendantia.* *Seri caprini vsus.* *Lauacri vsus.*

In quo, si altheæ, & maluarum radices cum veruecis capite, seu intestinis excoquantur, vteri ceruicem frigido quodam tumore obdurescentem, tantulum etiam emollire idoneum erit.

Post hæc ad intercipiendos humores a toto ad vterum prolabentes cum auersione quadam, cauterium in brachio sinistro summopere conducturum non diffido; quemadmodum, & alterũ in cruris dextri parte interna paulo subtus genu ab vteri venis deriuationis gratia, mirum in modum vtile futurum haud dubito. *Auersio.*

Tertius curationis scopus duo curanti medico insinuat; nempe, vt humor vteri ceruici tenaciter impactus dissipetur, & vlcus persanetur: cui quidem vlceri, vt vrgentiori prius incumbendum, primum detergentibus; deinde siccantibus consolidantibusque. *3. scopus.*

Primæ classis erit hydromel paratum ex hordei, passularum, ireos, & erui decocto, per clysterem vterinum quater in die immissum per aliquot dies. Cui liquori sanguinis draconis, & boliarmenæ portiuncula interdum addi poterit. Vlcere bene repurgato. *Medicamentũ vlcus detergens.*

Lithar-

Vlcus ficcantia, & consolidãtia.

Rec. | Lithargirij, tutiæ præparatæ
Sarcocollæ an. dr. mediam
Aloes drachmam vnam
Sanguinis draconis scr. 2.
Tragacanthæ in aqua plantaginis infusæ dr. 1.
Olei rosati semiunciam, ceræ q. s. fiat linimentum.

Quod pessulo aliquo excipiatur, & vlceratæ parti adhibeatur. Glans etiam ex farina lupinorum cum plãtaginis succo vtiliter immittitur: sed præcederis insessus ex aquis thermalibus, quarum minera nitrosa sit, ad hoc officium magnopere commendatur, quale balneum est in agro senarum sanctæ Mariæ nuncupatum.

Obseruatio. In quorum quidem medicamentorum localium vsu, ex Gal. præcepto ab impense siccantibus cauendum, nisi vlcera contumacia sint, & maligna.

Quod si nobili huic mulieri huiuscemodi thermas adire cõmodum non sit, harũ loco fœliciter vti poterit quindecim saltem diebus continuis insessibus ex aqua ferrata paratis, in qua Absinthij, Erui, Marrubij, lentium excorticatarum, atque salis communis portiones præbullierint. Atque ne tumoris materia medicamenti huius vsu nimiũ siccata, tumor in verum, legitimum, & immedicabilem scirrhum abiret, oportunum fuerit Altheæ, & maluarum radices cum prædictis simplicibus excoquere.

Obseruatio altera

Tumoris curatio. Vlcere præsanato, omne studium dirigendum est in tumorem curandum, quocirca sine mora emollientibus in primis, deinde discutientibus vtendum. In hunc igitur finem insessus parabuntur ex decocto fęnugræci, seminum lini, radicum, Altheæ, maluarum, meliloti, & lapathi, cum capite, vel intestinis castrati, aut cum olei communis sufficienti quantitate. Ab insessu inungantur pubis, & perinæi regiones lenimento ipsius rasis septimo ad almansorem: est autem huiusmodi,

Rec. | Bdelli, Amoniaci, Galbani } an. vnc. s.
Terantur omnia in mortario cum oleo de Ben, & liliorum, deinde adde mucillaginum fænugræci, Seminis lini, Caricarum q. sit satis, & addita Cæra fiat linimentum cum Croci modico, quod quidem medicamentum pessulo aliquo exceptum immitti quoque potest.

Obseruatio. Cęterum vt medicamenti huius extrinsecus admouendi vires penitiores affectæ sedis partes penetrare valeant, fotus prius administrandi erunt ex decocto radicum Altheæ, liliorum biasmaluæ, camemeli, fęnu græci, Seminum lini, Meliloti, & consimilium. Quibus remedijs per aliquot dies administratis tumore non cedente

dente

dente ad valenter discutientia confugiendum, qualia sunt suffumigia lapidis Pyritis igniti, & Aceto accerrimo consperſi. Huc etiam spectant lutum Sancti Petri, lutum Sanctæ Elenæ, & Medicamenta omnia ex Metallicis discutientibus lotis parari solent. Quibus omnibus Deo Immortali aspirante, rem ex voto successuram non diffidimus.

De Cibi Inappetentia immodicis vigilijs, & lenta quadam febricula. Pro Nobilissima D. Anna de Riccis Cencia, Consultatio LXXXVII.

TRia sunt, quæ Nobilissimam honestissimamque Iuuenem calido, & sicco temperamento a natura conformatam moleste fatigant. Cibi Inappetentia: Immodicæ vigiliæ: & lenta quædam febricula, quæ vix percipitur. *Affectus prgter naturam.*

Inappetentiæ, oris ventriculi symptoma, causam interiorẽ, & proximam non aliunde pendere, quam ab humore lento, & crasso, vel aliter vitioso, ori Ventriculi inserto, multa nobis suadent argumenta, quæ breuitatis causa hic consulto ommittam. *Inappetentię causa interior.*

Cuius quidem crassi humoris occasio, diuturnis, & immodicis vigilijs accepta fertur: quippe licet Hip. teste 6 de morb. vulg. aqua, & Vigiliæ Appetentiam inuitent, hę quod digerant, excrementaque ad exteriora trahant: illa vero quatenus refrigerat: longæ tamen, & immodicæ vigiliæ ciborum cruditates tandem efficiunt. *Vigilię cruditatũ causę.*

Vigiliarum autem in Nobilissima hac Iuuene causam non aliunde proficisci arbitramur, quam ab immoderata quadam totius corporis, & præsertim cerebri siccitate labores ex partu, & mærorem, timoremque futuri grauioris morbi alicuius consequente, quæ quidẽ siccitas licet adscititia sit, natiuo tamen eius temperamento familiaris est. His etiam accedit Pruriginosa quædã scabies vniuersum corpus exercens, quæ hactenus prorsus non est extincta. *Vigiliarũ causa.*

Febriculam hanc e genere earum putridarum esse, quæ ex ventriculi cruditatibus putrescentibus interdum oriri solent a paucis adnotata, multa sunt, quæ indicant sed illud præcipuum argumentum, quod nullam determinatam Periodum seruat, continua est, in multos dies protrahitur, neque Hectica dici potest, quoniam, & pulsus, & Cutis vniuersa satis mollis percipitur. Huic etiam accedit quod non solum primo contactu, sed etiam postea longo etiam contactu nulla caloris acrimonia præsentitur. *Febris idea.*

Nec obstant Pulsus frequentia, languor, & calor vsque adeo mitis, vt vix ab ipsamet Nobilissima Iuuene deprehendatur; quæ habitudinalis febris notæ ab omnibus, vel etiam mediocriter in arte eruditis communiter censentur: quandoquidem Pulsus iam commemorati languentem ventriculum consequi solent. Quod autem *Obiectio.* *Solutio.*

calor mitis admodum sit, illud est causæ, quoniam leuis admodu $\bar{m}$ est putredo, quæ rigidos humores in locis a corde maxime remotis exercet.

Præsagitio. De præsagiis sic sentio. Vigiliæ licet Iuuenibus,& natura sicciori-bus magis quam Senibus,& Pueris molestæ sint,& periculosæ. Mulieres tamen, teste Oribasio, minus offendunt:ita vt symptoma hoc non sit adeo formidandum. Cæterum quoniam & ciborum cruditates accumulant,& corpus vniuersum siccant, vnde a Plinio inter vniuersi corporis morbos numerantur, harum maxima habenda est ratio. Reliqua vero duo vitia, videlicet inappetentia, & febricula cū adhuc radices alius non egerint, neque generosa præsidia hisce affectibus delendis etiamnum explorata fuerint, resque agatur cum Prudētissima,& Obsequentissima Iuuene, rem omnem D.O.M. auxilio,& præsidijs administrandis ex voto successuram speramus.

Victus rō. Quod ad curandi rationem attinet, cuius caput primum in victus delectu positum est, sum in sententia cum Clarissimis Viris, vt Nobilissima hæc Iuuenis in præscripta victus ratione humectanti contineatur, sed aliquantulum tenuiore, quod scriptum reliquerit Hip. 5. de morb. vulg. Cibis non impleri quam maxime conducere ad excitandam appetentiam. Huc etiam spectant nonnulla cum cibis sumpta, vt Lactuca cum Aceto, Oxalis, Myrobalani conditæ, Pyra, Poma acetosa, Cytonea, Persica, Mala punica, Mora acetosa, Pruna damascena, Acor Citri,& Limonis, Acetum, & alia huiusmodi innumera.

Purgatio. Cum hac victus ratione præparati frigidi humores ventriculum exercentes Melle rosaceo, cum syrupo acetoso simplici: purgandi erunt, vel specierum Hieræ picræ simpl. Gal. drach. tribus, & Agarici Trochiscati drach. vna, Melle rosaceo solutiuo in bolum redactorū, vel Pilularum de tribus cum Rhabarbaro drach. duabus.

Vētriculū roborātia interna, et externa. A purgatione roborandus erit ventriculus tum his, quæ sumuntur, vt Mina Cytoniorum aromatica, syrup. de corticibus citri, & huiusce generis alia; tum his, quæ extrinsecus admouentur, vt ventriculi regionis inunctio ex Oleo de nuce moschata, huc etiam refero Vinum in quo Absynthium ponticum præmaceratum fuerit.

Pro somno conciliando. Nunc ad medicamenta somnum conciliantia deuenio. Flos ligustri cum croci momento, odore somnos allicit. Extremitatum quoque lotiones decocto parato ex floribus Chamæmeli, salicum,& vitis folijs, lactucis, violis, papaueris capitibus, cū seminibus suis somnum fœliciter conciliat. Id etiam præstat potio hora somni ex syrup. papauerini vncia vna cum dimidia, & aquæ lactucæ vncijs tribus. Quemadmodum,& diacodionis recentis in rotulis vncia media hora somni data. Omnium efficacissimum ad hoc opus remedium est pilula vna de Cinoglossa quinque granorum pondere dormituræ

egro-

ægrotanti pariter data. Inter ea, quæ extrinsecus admouentur hoc lenimentum efficacissimum est. Quod recipit seminum alterci albi. ℥. iij. cum lactæ mulieris, oui candido, & aceti, crocique momento fiat illitio fronti. Tandem pro humectando, ac reficiendo vniuerso corpore, non mediocriter extenuato, Conciliando somno, simulque ad cutis pruriginem tollendam, atque pro febricula illa superanda, duo generosa, tutaque præsidia propono. *Lac Asininum.*

Lactis Asinini potum, atque aquæ dulcis tepentis lauacrum ventriculo cerato Mastichino bene præmunito. Hæc puto efficacissima fore prȩsidia non equidem statim, sed temporis spatio aliquo. Hȩc mea est in hisce affectibus curandis sententia. Faxit Deus, vt omnia ex voto succedant.

De visus hebetudine secundum alterum dumtaxat oculum; atq; de visione deprauata vtriusq; oculi. Pro Nobilissimo, & Reuerendo Patre è Societate Iesu, Consultatio LXXXIX.

OCulorum visio, vt aliarum partium functio quælibet tripliciter lædi potest, aut quia non fit, aut quia vitiose, aut quia vix agitur, quemadmodum perbelle adnotauit Gal. lib. Artis medicinalis cap. 10. *Visio tripliciter læditur.*

In Nobilissimo, ac Reuerendo P. annum circiter vigesimum agente, calido, humidoque temperamento a natura conformato, ab ineunte ætate sua, oculi dextri visio in hanc vsque diem semper hebes fuit. Ab hinc autem Mensibus aliquot cernendi functio ita illi viciatur, vt caliginosa quædam simulachra ante oculos obuersari videãtur, vt Muscæ volitantes, lanarum filameta quædam, araneorum tela, & consimilia obscura corpuscula: ita vt in Reuerendo hoc Iuuene actio bifariam lȩdatur, diminute nempe secundum dextrum oculum, ac deprauate secundum vtrumque. *Morbi historia.*

Prioris affectus causam interiorem, & proximam non aliunde proficisci existimandum, quam ab instrumentario oculi dextri morbo a materno vtero contracto, hoc est crassities quædam, seu densitas corneæ tunicæ eiusdem oculi, qui quidem oculus accuratius spectanti altero obscurior non nihil apparet. *Hebetudinis visus causa.*

Alter vero affectus postea subortus, symptoma nempe in genere functionis deprauatæ morbum vtriusque oculi in aucto numero consequitur, humoris nempe crassi, frigidi, & lenti inter corniformem tunicam, & Crystallinum humorem concreti effusionem: morbum cum multis aliis Medicinæ professoribus in via appellare nõ possum, quod certo sciam oculum cauitates non habere. *Deprauatæ visionis causa.* *Oculus cauitatibus caret.*

Erit igitur affectus hic apud latinos incipiens suffusio, hypochima, seu hypochisis Græcis, Cataractam Arabes appellant. Vtrum *Suffusio.*

Num affectus hic proprius, vel per cõsẽsum sit. autem vitium hoc oculos primario, vel per consensum a ventriculo, & hypochondriis exerceat, quis hærere in hoc posset, quandoquidem oculorum affectus proprij non æqualiter, vt ij qui per sympathiam sunt, vtrumque oculum tenere solent: Cæterum quoniam affectus hic assiduus est, & diuturnus, oculumque sinistrum magis quam dextrum exercet, citra omnem controuersiam asserendum, hic oculos primario affici; ac præsertim cum nulla de partibus infernis querela habeatur.

Causæ morbificæ occasio. Causæ morbificæ occasionem non toti corpori, sed capiti dumtaxat ob id ascribendam esse putamus, quoniam corpus vniuersum nulla plenitudine, nullaque cacochimia laborare deprehenditur. neque ea victus ratione vtitur, quæ nimias cruditates ingenerare valeat. His accedit, quod cerebrum Reuerendi huius Iuuenis a natura humidum anno elapso ob longas meditationes, preces, & studia fortasse intensiora, quam pro ætate, & natura delicatiore in multam frigidorum excrementorum copiam, indeque in manifestam destillationem incidit: quo tempore effusis a cerebro excrementis atq; per neruos opticos in oculos prolapsis caliginosa illa corpora incohantis suffusionis notæ ambobus oculis inæqualiter tamen occursare cœperunt, quæ varia apparent pro varia suffusionis figura. Quæ quidem iã in perfectam suffusionem multo antea concreuisset, nisi congrua victus ratione a Præclarissimo Medico præscripta, & a Reuerendo Iuuene constanter obseruata, atque omnibus opportunis præsidijs vitio huic incipienti occursum fuisset. *Vt est suffusionis figura, ita & simulachra varia.*

Præsagia De morbi huius futuro euentu illud vnum cum Gal. lib. decimo quarto Meth. Med. in fine, & cum Celso lib. sexto, cap. sexto, simulq; cum Paulo lib. septimo, cap. septimo, certe affirmare possum suffusionem hanc nondum concretam, ac manifestam idoneis repetitis præsidijs temporis progressu posse digeri, atque superari, etiamsi paucis ab hinc diebus ob aeris fortasse inconstantiam, & interposita remedia augescere nonnihil videatur. Neque de completa futura cataracta, neque huius affectus causa, de cæcitate formidandum, quoniam ex Principis auctoritate quotidianæ experientiæ consentienti, vbi transacto sexto Mense ab apparitione caliginosorũ simulachrorum absoluta nondum cõsistit hypochisis, nullum amplius deterius malum succedere solet. *Incipiens suffusio, sex Mensibus non completa amplius non progreditur.*

Quod ad priorem, antiquioremq; affectum attinet, visionis nempe hebetudinem dextri oculi, satis fuerit prospicere quominus augescat: etenim oculum illum a natura male conformatum, in integrum restituere Ars vix poterit: naturæ enim, & seminis vitia vix vlla ars corrigere potest. *Seminis vitia corrigi nequeunt.*

Curandi ratio. Iam vero curandi rationem aggredior. Cuius primum caput victus rationem complectitur; quæ quidem vt alias præscripta illi fuit tenuis, attenuans, modiceque calfaciens, & siccans; nunc etiam

ad

ad eandem rigorose obseruandam reuocandus est Reuerendus hic æger. Singula ad hoc caput spectantia hic non prosequar, quod certo sciam omnia hæc a Clarissimo priore Medico ex arte præscribenda esse: nonnulla tamen, ne officio meo diligẽtia deesse videar, per compendium attingam. In primis igitur maxima aeris habenda est ratio: proinde vt Cælum hoc Romanum, vtpote destillationum auctorem pro viribus mutet maximopere hortor.

Victus rõ. Cælum Romanũ destillationes parit.

Vt somnus iusto longior noxius illi est, ita & immodicæ vigiliæ nocentissimæ, iuxta illud.

Sõnus, & vigilia.

Allia, Vina, Venus, puluis, ventus, faba, fumus.
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Oculis inimica.

Cruditates omnes deuitet; sciat tamen, oportet, potum cibo parciorem illi ex vsu fore, quod ex humidis vapores facilius in caput succrescant.

Potus cibo parcior.

A vino per aliquot dies prorsus abstineat, & vini loco vtatur decocto parato ex ligno visci quercini, & ex ligno nouiter in ægrorum vsum inuento, & comprobato, quod (Pal de Rosa) appellatur, odoratum enim satis est, ideoque aliorum medicamentorum vires in caput valenter rapit, atque attenuandi, & per halytum excrementa digerendi facultate pollet, ventriculoque valde familiare est. Huius ligni vncia vna cum ligni visci quercini vncia media in aquæ communis lib. nouem horis saltem duodecim maceratur; deinde lento igne in vase probe obturato peracta ebullitione ad tertiæ partis aquæ euaporationem, percolatur, & vsui seruatur pro potu quotidiano. Quod si in ventriculi gratiam vinum prorsus denegãdum illi non sit, tenue minimeque vinosum, & hoc decocto attemperatum vtiliter vsurpari poterit.

Vini loco vtilissimũ decoctum.

A cibis vtatur semper, vel pane vsto (biscoctum appellant) vel Coriandro tosto, aut condito, vel Cydonio, aut piro pariter tostis addendo parum sacchari, & seminis fœniculi, vel aliis consimilibus, quæ vapores prohibent ad caput ferri.

Ciborũ in gestorũ vapores reprimentia.

Sunt, & quæ tota substantia aspectum corroborant, si manducentur, vt rapæ, frequens lentium vsus præsertim in materia humida, auis pica, hepar hirci, & præcæteris viperarum carnes bene apparatæ.

Aspectũ tota substãtia corroborantia.

Cũ hac vitæ ratione, quamprimum apparãdi erunt humores Rhodomellæ, syrupo acetoso simplici, & oxymelle cum aquis Betonicæ, fœniculi, & Borraginis.

Præparatio prima.

Apparati purgandi erunt clementiori pharmaco, quale erit ex specierum hieræ picræ simplicis Gal. drachmis tribus cum Electuarij de dactylis drachmis duabus cum melle rosaceo solutiuo in bolum redactorum.

Prima purgatio.

Altera præparatio. Deinde iterum valentius præparandi erunt peccantes humores syrupo de stæchade, de Betonica, & de hysopo, cum aquis fœniculi, betonicæ, hyssopi, & maioranæ.

Purgatio altera. Quibus sumptis syrupis, quinque, vel septem diebus continuis, rursus validiori pharmaco purganti vtendum erit huiusmodi.

Rec.
- Pilularum cochiarum, Pilularum lucis } an. scr. 2.
- Pulueris fœniculorum, scr. i.
- Spicænardi scr. med.
- Syrupi de hyssopo quantum sufficit fiat bolus mollis, vel formentur pilulæ, nu. 7.
- exhibeantur post primum somnum.

Auersio. *Cucurbitula occipitio affixa.* *Vesicantia.* Purgato hunc in modum corpore, medicamenta humores a cerebro deriuantia, & ab oculis auertentia sine mora vsurpanda erunt. Proinde cucurbitula occipitio cum scarificatione mirum in modum comprobatur. Quemadmodum, & vesicantia siue ex cantharidibus cum fermento, & aceto acerrimo, vel ex flammula Iouis, cum aceto pariter acerrimo leuigata spatulis apposita; Quod si morbus his medicamentis non cesserit fonticulus inter primam, & *Fõticulus in ceruice.* secundam vertebram excitandus erit. Quem hoc in casu magis probo quàm affixum filum, quòd hoc capitis partes externæ potius, illo vero internæ promptius repurgentur.

De venę sectione. Venæ sectionem non propono, quandoquidem peccantes humores in Reuerendo hoc laborante frigidi sunt, atque a sanguinis natura valde remoti.

Cæterum quoniam iam iam ex ipsiusmet ægrotantis ore accepi, venas, quæ in sede sunt illi non raro intumescere, prima peracta purgatione, vt hirudinibus admotis sanguis ad quinque saltem vncias detrahatur etiam atque etiam hortor.

De caput purgijs auctoris sententia. *Pilulę, & Clysteres accortentes.* Sternutatoria, validaque herrina in oculorum affectibus semper suspecta mihi visa sunt, tùm ob partium cum oculis vicinitatem, tũ ex eo quod cerebri humiditates liquando, & dissoluendo catarrhum sæpius promouere solent, quocirca non nisi considerate admodum vsurpanda sunt. Masticatoria autem tutius administrari possunt. Pilulæ etiam iam commemoratæ, ac minori dosi ex interuallis quibusdam datæ quemadmodum, & Clysteres acriores ad hoc auertendi officium spectant.

Caput oculosq. roborantia. Interim dum hæc administrantur remedia capiti, & oculis roborandis, remedijs, quæ sumuntur, & forinsecus admouentur incumbendum omni studio erit, hæc autem huiusmodi erunt.

Con-

Rec. Conseruæ anthos
Conseruæ betonicæ
Conseruę florum saluiæ } an. vnc. 1.
Conseruæ eufragiæ
Pulueris fœniculorum dr. 2.
Syrupi de hyssopo q. s. fiat
Electuarium, cuius media vncia detur dormituro ægrotanti, diebus aliquot continuis.

Mitridatum etiam, Plyrisarcoticum, Diamoschum, & Theriacã huic operi accommodatissima remedia proponerem, nisi instantes calores obstarent.

Cum his etiam consulo, vt bis saltem in hebdomada caput lauetur dulci lixiuio ex vitis cineribus parato, in quo simplicia Cephalica siccantia citra insignem calorem præbullierint. *Capitis lauacrum.*

In quem etiam vsum, atque ad dissipandas excrementorum reliquias decoctum nunc præscribendum mirifice confert. *Chinæ decoctum.*

Rec. {
Ligni nuper inuenti, & comprobati Pal. de rosa dicti exacte torniti vnc. 1.
Ligni visci quercini vnc. mediam
Radicis Chinæ electæ dr. 3.
Macerentur in aquę communis lib. 3.
Bulliant ad consumptionem medietatis. In fine ebullitionis adde seminum fœniculorum drach. vnam, colentur, cuius vnciæ sex dentur in aurora quindecim saltem diebus continuis.
}

Cum hisce nouiter propositis præsidiis topica etiam ocularia imperanda erunt, blandiora tamen. Interque tria mihi valde familiaria, & sæpius comprobata hic proponam. Piscis vesicula aqua fœniculi sæpius lota impleatur decocto fœniculorum, Ruthæ, & chelidoniæ, dein probe ligetur, & tepens fotus loco vtrique oculo adaplicetur, atque manu, vel fascia tantisper detineatur, sæpiusque in die permutetur. *Topica ocularia.*

Alterum Collyrium paretur ex aqua Rhodomellis stillaticia cum succo fœniculi depurato, cuius gutta vna, vel altera tepida in oculos sępius in die instilletur, Tertium Medicamentum a Mesue descriptũ cap. de curanda oculorum albugine sief appellatum, in puluerem redactum, atque cum lacte muliebri in oculos instillatum, mirum in modum valet ad digerendos, ac detergendos humores quoscunq; oculos exercentes.

Quibus omnibus ex arte administratis, malo magna saltem ex parte non cedente, cõfugiendum est ad capitis stillicidium ex aquis thermalibus paratum, quarum minera nitrosa sit, atque nonnihil sulphurea, quale est in Agro senarum Balneum S. Philippi. *Stillicidiũ*

Hoc enim maxime valet ad siccandum, & roborandum caput

impense frigidum, & humidum destillationis Auctorem: Neq; tot, eaque generosa præsidia deterrere debent Nobilissimum, ac Reuerendum hunc Iuuenem, quandoquidem vt nimia Regis erga improbos mansuetudo toti nocet Ciuitati, ita & Medici contumaces morbos curantis nimia clementia toti nocet corpori. Et hęc de proposito tanti momenti casu dicta sufficiant. Quibus Deus immortalis aspirare non dedignetur.

De Febre Tertiana duplici, non exquisita. Pro Magnifica D. Olympia de Vanninis, Consultatio XC.

Morbi historia. OCtauus iam agitur dies, ex quo Nobilissima Mulier annum agens ætatis suę circiter trigesimum calido siccoque temperamẽto predita, atque vtero gerens in duplicem incidit febrem tertianam notham, & intermittentem, licet vix vnquam ad infebricitationem deueniat; quippe posterior accessio priori nondum finitæ succedit: ita ut continua etiam dici possit (vt aiunt) per subingressum.

Signa. Febris huius Ideam multa argumenta cumulatissime indicant: singulis enim diebus ad vesperas cum lento quodam rigore inuadit: principium accessionis protrahitur, cuius quidem accessionis tẽpus ad viginti quatuor horarum fere spatium extenditur. Calor febrilis non admodum acris deprehenditur: atque tertia accessio primæ, & quarta secundæ, inuasionis hora, & modo, duratione atque symptomatis correspondet.

Causa continens. Febris huius causam continentem biliosum esse humorem, cui pituitæ aliquid admiscetur, commemorata symptomata luce clarius ostendunt.

De peccantis humoris sede difficultas. Vtrum autem febris intermittentis continens causa in venis resideat sanguini admista, quæ accesionis tempore e venis maioribus in minores, ex hisque in partes sentientes impellatur, vt sentit Gal. Vel in prima corporis regione, aut in carnium substantia contineatur, vt omnes fere ex Arabum familia, & doctissimus Fernelius cum multis alijs substinere conantur, controuersum est: Vtut sit ratione, longa obseruatione, & rerum euidentia assequor ego intermittentium febrium causam interdum in venis, nonnunquam in partibus extra venas conditam esse. Primum membrum Gal vtique, & rectissime quidem admittit; Alterum tamen non negat. Vtrumque locum habere in proposita febre ob id facile intelligitur, quia accessio vna maiori cum rigore incipit, quã altera, estque diuturnior, ac molestior, quod a materia e venis in partes sentientes, propulsa veh mentiori cum impetu pendeat. Illud etiam accedit, quod vrinæ igneæ, flauæ, & colorationes sunt, bilis cum sanguine in venis confusa signum efficacissimum. At vero alterius accessionis succedentis præludia cum sint Nausea, cui interdum vomitus succedit, ventris imperturbatio-

Sedes, & focus peccãtis materiæ in hac febre.

nes,

nes, & eruptuationes coniectura assequor, febris huius secundę sortis causam internam, & proximam in ventriculo, intestinis, & prima regione conditam esse.

De causis externis.

Quod ad causas externas attinet, illud tantum accepimus, Nobilissimam hanc Mulierem aliqua commisisse errata in viuēdi modo, ac prę sertim in immodicis exercitijs, & laboribus, quos pietatis, & Christianæ charitatis causa erga peregrinos quosdam pauperes subire non recusauit.

Pręsagia Acutorū morborū incertę sūt prędictiones.

Febres ēt lētę in pgnantib. periculosę

Purgans medic. prę gnantib. suspectū.

De febris huius futuro euentu, iudicium potius suspendam, quam quod certi aliquid prænunciare audeam; quandoquidem acutorum morborum non omnino sunt certæ prædictiones salutis, vel mortis ex Hipp. sententia Aph. secundo, Aph. decimonono; & licet febris hæc exacte acuta non sit, nihilominus tamen cum a bilioso humore pituitosum longe superante pendeat, prægnantemque Mulierem exerceat, ab acutarum natura parum distat, atque vt acutæ febres in prægnantibus Mulieribus lethales iudicātur ab Hipp. xxx. Aph. quintæ sectionis ita, & mitiores seu lenthæ periculosæ admodum ab eodem Hippo. 55. Aph. sectionis quintæ censentur: ratio est, quoniam præsidia febribus putridis curandis accommodata, nempe purgatio, venæ sectio, & inedia a fœtu detrectantur. Purgans in primis Medicamentum Mulieribus vtero gerentibus tanquam valde periculosum denegare videtur Hipp. Aph. v. Aph xxix. vt pote a quo abortus periculum impendeat; propterea quasi inuitus illud tantum concedit turgente materia, atque in medijs grauidationis mensibus, quarto videlicet, quinto, & sexto Mense. Quod quidem conuellere conatur Auerroes, quippe (ait) Purgans medicamentum sensim peccantes humores trahit sine aliqua corporis concussione, atque cum fœtus in vtero quasi extra matris corpus circumscribatur, neque medicamenti vis eo perueniat, nulla ratione abortum efficere posse videtur. Sed Auerroes certe Hip. hoc in loco iniuste carpit; etenim purganti sumpto medicamento natura maximo cum conatu irritatur ad peccantis humoris expulsionem, qui quidem conatus ad vterum etiam fere peruenit, inde abortus causa.

Auerr. cōtra Hipp. argum.

Auerr. argum. pro Hip. solutio.

Sang. missio pgnantib. suspecta.

Quod autem sanguinis missio abortum efficiat, & quotidiana experientia, & veterum auctoritas, ac Hip. prę sertim Aph. 31. quintæ sectionis, & ratio ipsa aperte suadent, nam sanguine largius misso fætui alimentum detrahitur.

Inedia pgnantib. periculosa

Inediam autem febrientibus putrida febre proficuam; Gal. perhorrescit, vt quæ fætum infirmet, ita vt dicendum sit Nobilissimam hanc Mulierem si non in præcipiti saltem in ancipiti vitæ periculo versari: cæterum quoniam Iuuenis adhuc est bono habitu conformata cum virium omnium robore, quæ & mente constat, & bene se habet ad oblata cuius vrinæ coctionis rudimenta satis manifesta commonstrant, potius de futura salute sperandum, quam de morte timen-

timendum: præsertim cum sextum suæ grauidationis mensem fere agat, quo in tempore minus periculose purgantia medicamenta administrari possunt eodem Hipp. teste Aph. 4. Aph. 1. etenim in principio conceptus ligamenta fœtus cum Matre tenuiora, infirmioraq; sunt, in processu autem magis magisque in dies confirmantur: ac rursum in vltimis mensibus humore omni plus minus consumpto, quo glutinabantur, facilius ad Vterum discedunt, hincque Abortus: Argumento sunt pomorum pediculi.

Medijs mẽsibus purgãtia medicamẽta minus periculosa.

Curatio.

Curationis ratio in primis victum humectantem refrigerantemq; inter plenum, & tenuem medium; qualis iam præscriptus fuit a Clarissimo medico; in hoc igitur contineatur oportet.

Victus rõ.

Illud tamen admonere volo, tribus de causis Nobilissimam hanc Mulierem paulo vberius cibandam esse; nam biliosissimi est temperamenti, ad hecticam febrem prona, & vtero gerit mense fere sexto: grandior enim fœtus pleniorem victum requirit, propterea quater saltem in die cibanda erit hoc ordine: hora nempe nona, vel decima loco syrupi consueti, pulli Gallinacei iusculum, in quo herbę refrigerantes, simulque nonnihil attenuantes incidentesque præbullierint exhibeatur. Hora deinde decimaquinta, a quo tempore accessionis principium sex, vel septem horis distat omnibus largiori copia offerendus illi erit, vt panis tritus in iure pulli gallinacei excoctus cum oui vitello vno, vel etiam altero, atque pulli iunioris quarta pars: vinum nonnisi inuitus concederem, sed loco vini magis mihi arrideret aqua cum coriandris excocta, non improbo tamen vini momentum multa aqua perfusum a clarissimo Collega semel tantum in prandio Nobilissimæ huic mulieri cõcessum, præsertim cum mirum in modum (vt audio) ab ea desideretur: prægnantes enim vbi pertinacibus desiderijs suis frustrantur non raro abortire solent.

Tertiæ cibationis tempus idoneum erit circiter horam vigesimã quartam; tunc enim accessionis primo insultu fere inclinante ægrotantis huius pedes incalescunt; sed nihil aliud hac tertia cibatione propinandum consulo, quam pulli Galinacei iusculum, in quo cichoracea efferbuerint. Mox in pulli accessionis augumenti fine prope statum vel in ipso statu, hora nempe quinta vel sexta noctis cęnare poterit, hac tamen lege, vt cæna prandio paulo parcior sit: propterea sumere poterit ferculum vnum cum pulli Gallinacei iunioris alæ summitate.

Obiectio.

Solutio.

Neque obstat Hipp. Aph. xi. primæ sec præceptum, Videlicet in accessionibus non solum ab omni medicamento, verum etiam a cibo abstinendum. Quandoquidem id intelligit Hipp. quoties aliquid vrgentius non interpellet: hic autem & fætus iam grandior & laborantis natura summam inediam maximopere detrectant, quo fit vt in accessionis vigore, cibum offerre necessum sit; idque minori incommodo hoc in tempore (vt Celsus etiam lib. 3. cap. 4. sentire videtur)

quam

quam in alijs temporibus, principio nempe, & augumento primo; declinatio enim accessionis, seu paroxismi pars censeri non debet. Reliqua autem ad victus rationem attinentia hic consulto omittã, quippe quæ ab eruditissimo Medico priore ex arte præscripta fuerint.

De mittendo sanguine, quod quidem opus collegæ clarissimi animum suspendit, quid sentiam libere proferam. Si in tertiana pura mittere sanguinem licet primo transacto principio vbi bilis peccantis permistio cum sanguine iam facta est; quod quidem innuere visus est Gal. primo lib. ad Glauconem, vbi habet, in curanda tertiana pura bilem quamprimum exinaniendam esse: exinanitur autem primis diebus venæ sectione dein purgation e. De venæ sectione autem explicite eo loci non egit Gal. quod in generali Methodo curandarum febrium aperte dixerit, in omni putrida febre sanguinem mittendum esse: tanto magis in tertiana notha presidium hoc ex vsu est, cuius manifeste meminit idem Gal. lib. primo ad Glauconem cap proprio. *Venæ sect.*

Quatuor enim ex hoc generoso præsidio putrida laborantibus cõmoda comparantur. Causa in primis morbosa, & continens detrahitur, febrilis calor infrænatur, remittiturque Putrescentium humorum calor pariter imminuitur: atque reuulsio a foco putredinis, & obstructionis loco comparatur. Nec obstat Hipp. sententia Aph. xxxi. quintæ sectionis, videlicet mulierem vtero gerentem sanguine detracto abortire. Id enim intelligere oportet de larga immensaq; sanguinis euacuatine, qua vniuersum fætui alimentum detrahitur, propterea licet octaua morbi dies præterierit, nihilominus quoniam in secanda vena dierum numerus non attenditur Gal. teste lib. de Curãdi ratione per venæ sectionem, ne opus hoc differatur, etiam atque etiam hortor. *Venæ sectionis in febre putrida commoda.* *Obiectio.* *Solutio.*

Quod ad præparantia attinet medicamenta peccantium humorum, consilium probo, vt in eisdem imperatis serapijs sumendis pergat, quousque coctionis signa manifesta appareant: quibus apparentibus purgandi erunt noxij humores syrupi rosacei solutiui vncijs tribus cum Rhabarbari drach. vna dissolutis in aqua Borraginis, in qua Myrobalanorum citrinarum, & chebularum singularum drach. vna præbullierit. Et quoniam (vt audio) Nobilissima hæc Mulier nauseabunda est, pronaque ad vomitum, maxime probo, vt a prima, vel vltima cibatione prout magis vel minus ad vomendum irritatur, euomere (sine tamen conatu) tentet: a cibo enim excrementa cum alimentis commista, ventriculoque humectato faciliori negotio vomitione educuntur. A vomitu postea iterum cibari commode poterit, si ingestum antea cibum totum euomuerit: sicco prius fomẽto ex Absynthio, rosis, & mentha excalfactis, vinoque potenti irroratis ventriculo ter quaterque adhibito, mox ventriculi regione oleo ex nuce moschata illita. *Humorũ pparatio.* *Purgatio.* *Vomitus.*

Ad viscerum dyscrasias, & obstructiones

Rec;

Viscerum obstructiones, & intemperantias respicientia medic.

Rec. Specierum diarthodon abbatis
Specierum trochiscorum de Eupatorio
Specierum trochiscorum de Rhabarbaro } an. sc. 2.
Cum syrupo de Absinthio formentur pilulæ num. 10.

Quarum tres sumat in aurora, & statim superbibat iusculum alteratum cichoraceis, & capillo veneris.

Liximentũ pro hepate.

Interim illinatur hepatis regio mane, & vesperi ante cibum linimento parato ex cerati santalini vncijs duabus, succi cichorei vncia media, succi Absinthij drach. 2. & aceti rosati momento. Ventriculi pariter regio hoc linimento illinatur.

Ventriculi linimentum.

Rec. Olei nardini
Olei absinthini
Olei cidoniorum } an. vnc. med.
Galliæ moschatæ scr. 1.
Ceræ albę q. s. fiat Linimentum.

Reliquum verò nunc est, vt remedia nonnulla proponamus ex ijs quæ, & assumuntur, & forinsecus admouentur ad tertianæ circuitus arcendos.

De assumendis.

Tertianę circuitus infrænancia medicamenta.

Rec. Succi plantaginis minoris, vnc. 1.
Aceti rosati vnc. med.
Croci grana 3.

Omnia simul subigantur: postea bibendum dato duabus horis ante inuasionem paroxysmi.

De applicandis.

Rec. Santali albi, & rubri an. dr. 1.
Farinæ hordei dr. 2.
Aloes vnc. med.
Rosarum, Violarum, an. dr. 1.
Cum succo absinthij, & aceto fiat cataplasma.

Applicentur hepatis regioni hora vna saltem ante paroxysmi inuasionem. Cum quibus omnibus ea etiam vsurpanda sunt remedia tam interna, quam externa, quę & a qualitatibus manifestis, & a tota substantia conceptum in Vtero vsque debitum pariendi tempus conseruare valeant.

De assumendis.

Fętum in vtero conseruantia medic.

Rec. Specierum diamoschi
Specierum diamargariton
Coaguli leporini puluerati } an. dr. 1.
Corallorum rubrorum dr. 2.
Misceantur omnia.

Cuius quidem pulueris dr. media, cum aquę plantaginis vnc. 3. detur tertio quoque die hora vna, vel altera ante cibum.

Inter extrinseca quæ apponuntur dorso, & locis maxime omnium

nium comendo Vnguentum illud celebratissimum, de Comitissa appellatum.

Hæc est mea hoc in casu satis ancipiti sententia. Faxit Deus Immortalis, vt Nobilissima hęc mulier facile, & cito ab hoc grauissimo morbo vindicari possit.

De Capitis dolore interuallato, spirandi difficultate, tussi sicca, siti assidua, ventriculi imbecillitate, lienis tumore, macie, lenta febricula cum grauidationis suspicione. Pro Mag. D. Lauinia Bona lingua de Cicollinis Tudina. Consultatio XCI.

IN omnibus cognoscendis curãdisque morbis, primam vnde quis ægrotare cęperit occasionem indagandam esse, Hipp. scite admonet: quamobrem ignorandum non est Magnificam hanc mulierem tribus ab hinc annis post quartanam febrem, qua nouẽ plus minus se mensibus correpta fuit, in commemorata iam vitia incidisse. *Hip. vtile preceptũ. Laborantia historia.*

Vnde violato ex morbi diuturnitate innato calore, imminutis, & deprauatis viscerum, ac pręsertim ventriculi lienis, & hepatis, coctionibus, indeque multis cumulatis excrementis sanguinem vitiosum membris alendis parum idoneum reddentibus, & corporis extenuatio, & lienis tumor, & a lienis tumore presso diaphragmate tussis illa sicca spirandique difficultas, vnde accenso in partibus spiritalibus calore, febris illa putata, & assidua sitis subsequuntur. Rursum ventriculo male affecto, cerebrum in consortium trahitur, atque capitis dolor ille interuallatus inde pendet. Cæterum, quoniam duobus ab hinc Mensibus defecerunt illi Menses, iure optimo in dubium vertitur; num vtero gerat. *Causa antecedens. Causę proprię.*

His sic constitutis, perspicuum euadit quid agendum sit, vt Magnifica hæc D. a præsentibus molestijs vindicetur, & a futuris imminentibus malis præcaueatur: quippe in primis causis externis considerate admodum occurrendum erit, victus ratione idonea, quæ omnibus alijs præsidiis in morbis diuturnis maxime præstat, teste Galeno in principio libri de victus attenuantis ratione. *Curationis scopi.*

Hæc autem tenuis, moderate attenuans, & incidens: temperata tamen in actiuis, & passiuis qualitatibus hic ex vsu erit. *Victus rõ.*

Humores redundantes pituitosi, biliosi, ætatis, & anni temporis ratione, atque melancholici, qui a liene in ventriculum effusi tristem illum sensum efficiunt, apparãdi, & apparati purgandi erunt phlegmagogis, cholagogis, & melanogogis blandioribus. Inter quæ purgantia medicamenta hoc vnum magnopere probo. *Pręparatio.*

Rec.

Rec. Rhabarbari electi dr. 1.
Mirobalanorum citrinarum
Mirobalanorum chebularum } an.dr.med.
Mirobalanorum Indarum
Cinnamomi electi gr.7.
Aquæ Borraginis vnc.5.
Misce pro potu in aurora dando.

Quod quidem medicamentum, minori tamen dosi, ex interuallis quibusdam repetendum erit, prægressa tamen tribus vel quinque diebus continuis præparatione altera hunc in modum.

Rec. Decoctionis ex iure paruæ pullæ
Agrimoniæ, betonicæ, absinthij
Cichorei, scolopendriæ, & borraginis vnc. 5.
Syrupi de Betonica
Syrupi de fumoterræ } an. semiunciam
Oxymellitis scyllini dr. 2.
Misce.

Venę sectio. A tertiò syrupo primæ præparationis, sanguinis vnciæ quatuor, vel quinque exhauriantur, secta vena saluatella appellata sinistræ manus, tùm ad reuulsionem à visceribus obstructis comparandam, atq; ad euentandum calorem partium spiritualium, tùm etiam ad euacuandos tantulum noxios humores sanguini commistos. Neque fætus in vtero concepti suspicio dissuadet; quandoquidem prægnantes, ac præsertim iuniores, & sanguineæ primis in Mensibus, quo tempore fætus pauco eget alimento, sanguinis missionem, parcè tamen sine vllo incommodo sustinēt. Corpore hunc in modum purgato euacuatoque ad dissipandas totius corporis excrementorum reliquias, simulque ad roboranda viscera. *China decoctum.* Chinæ radicum decoctum ex tenui iure pulli Gallinacei cum portiuncula ligni sassafras paratum, viginti diebus continuis propinatum, maximopere conducturum sperarem.

Ventriculum roborantia. Mox pro ventriculo roborando internis, & externis remedijs vtendum erit.

Rec. Diagalangæ
Diacimini } an. vnc. 1.
Diatrion pipereon
Conseruæ rosarum vnc 2.
Misce, cuius vnciam mediam deuorabit duabus horis ante prandium.

Et statim Vini albi odoriferi (quòd substantificè humectat) vnc. 1. cum dimidia, vel vnc. ij. potabit.

Interim Ceratum mastichinum, ventriculi regioni applicabitur: sumpto medicamento iam præscripto ventriculum roborante diebus octo plus minusuè, ab omni medicamento hebdomada saltem vna feriabitur, deinde ad tollendum prorsus lienis tumorem remedijs

dijs

dijs vtendum erit,& externis emollientibus,& internis obstructa vasa reserantibus.

Primi generis sunt medicamentum ex Ammoniaco,Bdellio, Adipe,& medullis paratum,hypochondrioque sinistro admotum,Dyachilon simplex cum gummis, & emplastrum de meliloto. Inter ea, quæ obstructa lienis,& hypochondriorum vasa referare valent efficacissimum nostrorum hoc medicamentum est. *Medic. lienis duriciem emollientia.*

Rec. Limaturæ Chalybis præparatæ scr. 2.
Trochiscorum de rhabarbaro
Specierum diarrhodon abbatis } an. scr. med.
Caryophyllorum gr. 3
Conseruæ rosarum, vnc. med.
Syrupi de corticibus citri q. s. fiat bolus capiat horis quinque ante prandium viginti saltem diebus continuis cum moderato exercitio.

Tandem lienis tumore delitescente,firmatoque ventriculo atque capitis dolore cessato ad reficiendum corpus vniuersum extenuatū duo generosa præsidia sine mora vsurpanda propono : videlicet lac asininum pluribus diebus de more dandum, & aquæ dulcis Balneū, modo certiores fuerint Magnificæ D. affines,& assistentes hanc grauidam non esse. Certe si Hippo. Aph 41. sectionis quintæ signum ab aqua mulsa mulieri dormituræ data sumptum verum esset, Mulierem hanc minime grauidam esse affirmarem,quandoquidem mulsam dormitura sumpsit neque vllum inde percepit dolorem : sed signum illud non semper valet ob multas rationes,quas breuitatis causa hic consultò omittam:quinimo nusquam medicorum vulgus magis laborat, quam in grauidationis signis. Tot dicenda occurrebant in proposito satis difficili casu. Faxit Deus, vt salutaria, & prospera Nobilissimæ huic Mulieri succedant;quod quidem sperare nobis licet,tum quoniam iuuenis est bono habitu a natura conformata, neque remedia generosa propositis affectibus curandis opportuna hactenus experta est. *Lac asininum, & aquæ dulcis balneū* *Præsagia*

De Epilepsia. Pro Magnifica D. Bernardina de Duratis.
Consultatio XCII.

VEntriculum Magnificæ Dominæ malè affici,frigida humidaque imtemperie cum humore laborare,ex tarda deprauataque eius coctione cum grauitatis cuiusdam sensu,ac interdum dolore flatuoso,satis perspicuum est. *Partes affectæ, ac primū vētriculus.*

Vterum quoque frigida humidaque intemperantia cum similis materiæ præsentia coaffici multa ostendunt : Alba crudaque excrementa frequenter à locis Muliebribus emanantia citra morsum vllum: Motus quidam inordinatus in imo vētre frequenter perceptus, perinde, *Vterus affectus.*

perinde, ac vero gereret Mulier: atq; grauitatis cuiusdam in imo ventre sensus cum dolore quodam sub finem lumborum percepto eo loco, vbi vterus sacro osſi connectitur.

Cerebrum affectum. Cerebri affecti indicia sunt assiduus quidam (vt ipsa refert) mentis copor cum propensione in somnum, pręter multa alia frigidi pariter, & humidi cerebri multis frigidis excrementis referti signa manifesta. Hinc colligitur caput Nobilis huius mulieris non solum per consensum ab vtero, & ventriculo affici, verum etiam primario, & longa pariendi consuetudine.

Atque hi sunt præter naturam affectus Nobilem hanc mulierem sollicitantes, non leues æquidem, neque contemnendi; verum, magis *Epilepsia.* vrget, maiusque negotium nobis facessit affectus quidam Epilepticus, in quem diebus elapsis bis incidit graui admodum cum molestia. A quo quidem symptomate obliuiosa cum mentis, & sensuum torpore quinque circiter diebus permansit.

Epilepsia causa interna. Huius quidem symptomatis in genere functionum, & deprauatarum (si motum conuulsorium spectemus) & abolitarum (quatenus non solum sensitricis facultatis, sed etiam principis actio cessat) causa hic accepta fertur prauis vitiosis, ac penè veneficis vaporibus ab vtero, & ventriculo malè affectis visceribus in caput sublatis, cerebrumque acrius ferientibus, eiusque virtutem expultricem vsque adeo irritantibus, vt totum sese contrahat ad expellēdum id a quo infestatur; quo fit vt constipatis coarctatisque potius, quam obstructis eius ventriculis, spirituum ad subiecta organa animalium transitus præpediatur. Hinc perspicuum euadit cerebrum in hoc affectu non per essentiam, sed per consensum ab vtero, & ventriculo coafſici, licet intemperatum cum sit, & excrementorum ferax, huic vitio valde opportunum sit.

Pręsagia Affectus hic cum, & propria essentia, & partis laborantis præstantia magnus sit, mulieremque exerceat vigesimumseptimum circiter annum agentem, curatu difficillimus censetur, tum ætatis ratione, quippe qui ante pubertatem occurrit, mutuationem recipit, at post vigesimumquintum annum, fere ad mortem vsque miseros ęgrotantes comitatur teste Hipp. 7. Apho. quintæ sect. tum ratione sexus; mulieres enim cū minus grauiter in victus ratione delinquant, singulisque mensibus expurgentur Epilepsiæ minus sunt obnoxiæ. Si etiam alios præter naturam affectus spectemus ventriculi nempe, & vteri vtique hosce magnos propria essentia appellabimus: ita vt nonnisi difficilem horum affectuum curationem futuram statuere possimus: Cæterum, & ętas adhuc iuuenilis, & affectus fere incipiens cerebrum potius per consensum, quam per essentiam fatigans, curationem præscribendam D.O.M. auxilio ex voto successuram promittere videntur. Quæ quidem nec tantulum differenda est, quoniā vbi Epilepsia protrahitur in Paralysim, & Apoplexiam degenerare

soler,

solet, mortemq; tandem afferre, vt ratio, quotidiana experientia, & Hipp libello de Morbo sacro attestantur.

Curationis, & præcautionis ratio quatuor præsidia complectitur. Causas externas prohibentia per optimam victus rationem constanter obseruandam. Quæ, & tenuis esse debet, & attenuans, atque moderate calefaciens siccansque Euacuantia tum excrementa extra vterum in cerebro ventriculo, atque vniuerso corpore concepta, phlegmagoga nempe, non nisi præparatione idonea prægressa, a quibus Errhina etiam imperanda erunt veluti cerebrum priuatim expurgantia, tùm etiam in vtero ipso contenta, qualia erunt. Pessaria, & iniectiones frigidis crassisque humoribus euocandis accommodatę: quorum omnium ampla est sylua apud omnes scriptores. *Methodus medendi. Victus rō. Vniuersū corpus ex purgātia medicamenta. Vterū eua cuantia.*

Calfacientia, & moderate siccantia tam interna, quam externa, cerebrum, ventriculum, & vterum, ne in posterum tot excrementa accumulent, hac cautione, vt illitiones, fotus, insessus, & pessaria in hunc finem vtero applicanda, adstringentia quoque medicamenta admittant. *Viscera roborātia*

Auersoria, vt quæ a capite præsertim noxios humores, & vapores reuellant, in quem vsum fonticulum in vtroque crure ad partem internam paulo subtus genu ferro ignito excitatum quam maxime necessarium fore arbitramur: præterquam quod huius præsidii beneficio ab vteri venis deriuatio non contemnēda habebitur. Auersionis etiam gratia, sed ab vtero, simulque deriuationis causa a capite tertium quoque fonticulum in sinistro brachio magnopere conducturum pro comperto habeo. *Vtero firmando opportunare media. A capite repellētia Auersio ab vtero, & deriuatio a capite.*

De euacuantibus illud omittendum non est hoc in casu post vniuersalem vacuationem purgationēque euacuationes quoque, & per cutim, per vomitum (si facilis sit) & per vrinam, necnon per repetitas ex interuallis leues purgationes ex pilulis de hiera cum, Agarico ab omnibus medicinam facientibus summopere commendari. Placuit autem hoc in loco alias euacuationis species ab ijs quarum paulo ante memini, proponere, quoniam peracta vniuersali purgatione, atque excitatis auersionis causa fonticulis, modo vomitorijs medicamentis, modo leniter purgantibus, alias etiam vrinam cientibus vicissitudine quadam vtendum. *Euacuatio multiplex.*

In diureticorum vsu illud etiam animaduertendum, quod Apium alioquin huic operi valde opportunum, hoc in casu ob id suspectum esse: quoniam Epilepsiam (vt aiunt) mouet. *Cautio.*

Ad euacuationem etiam venæ sectio attinet, quam consulto ex eo prętermisimus quoniam nobilis Mulier satis extenuata est, atque Cacochimia potius quam Plethora laborat. Nec obstat quod Galenus de venæ sectione cap. vltimo aduersus Erasistratum cuidam Epilepsia laboranti venam secuerit: ille enim multo sanguine abundabat, neque inediam sustinuerat: & tempus veris erat. Nihilo- *Venæsect.*

minus reuulsionis causa a capite, & deriuationis gratia ob vteri venis sanguinis quatuor, vel quinque vnciæ per hyrudines hæmorrhoidibus affixas, prima peracta purgatione vtiliter exhauriri poterunt; quinimo cucurbitulæ etiam scarificatæ cruribus, & coxis ad partes internas applicitæ veluti locis, parti primo affectæ, vtero nempe, propinquis, ex Gal doctrina lib. tertio de locis aff. cap. vij. maximi erunt vsus iuxta etiam decreta ipsius Rhasis.

Chinæ decoctum. Post hæc ad euacuandas, & dissipandas excrementorum omnium reliquias Chinæ radicis cum ligno sassafras, & Peoniæ seminum portiuncula decoctum in iure paratum, & triginta saltem diebus propinatum maximam allaturum opem non diffidimus.

Remedia ppria Epilepsiæ curandæ destinata. Tādem futuræ accessioni prophylacticæ in duobus efficacissimis, & probatissimis præsidijs (præter victus rationem congruam) est posita. Alterum in occipitio, & infra, qua summa vertebra cum capite committitur, inustum duobus in locis Cauterium, vt per vlcera perniciosus humor euadat; Etenim licet hic cerebrum patiatur per consensum: ex longa tamen patiendi consuetudine ita afficitur vt prauos succos assidue accumulet. Alterum.

Rec. Bregmatis hominis combusti
Eboris ramentorum } an. vnc. med.
Seminis peoniæ
Tormentillæ, visci quercini an. dr. 2.

Quorum omnium in puluerem redactorum drach. vna ex mulsa parata cum aqua peoniæ bis terq; in hebdomada tribus saltem horis ante prandium propinetur in menses aliquot.

Venæ sectio vtriusque pedis. Quibus, & tertium addo præsidium ad imminentem Epilepsię paroxysmum cohibendum efficacissimum: nimirum, vt sanguinis paululum iuxta talum vtriusque cruris mittatur.

In paroxismo qd agendum. Comitialis Paroxysmi præsentanea remedia sunt, membra primum in rectum extendere, vel corpus erigere, & pituitam ab ore extrahere, Rutam olfaciendam cum thymo, & Pulegio contritis, naribus imponere, Castoreo cum oleo ex laterino lapide collum, & nucham illinire, totum, os Theriaca vel Mythridatio fricare, item pēna oleo lita vomitum concitare, si commode fieri queat, dein Balanis acrioribus anum sollicitare, ac tandem vapores frictionibus, ligaturis, sicyisque super ventrem, aut internam femoris partes admotis distrahere.

Neque (obsecro) tot proposita remedia, vel etiam laboris, & tedij plena Nobilem Mulierem dettereant, quo minus propositam medicationem alacri animo aggrediatur. Etenim dicebat ille. Vt corpus redimas, ferrum patiaris, & ignem. Certe inter præsentes præter naturam affectus, Comitialis maximū facessit negotium; quippe symptomatum immanitate corpus vniuersum crudeliter efferat; omniūque contumacissimus est. Hæc cursim, & currenti calamo ob temporis

potis angustiam literis mandaui. Faxit Deus immortalis, vt Nobili huic Mulieri salutaria contingant.

De Destillatione, vocis raucedine, spirandi difficultate, Tussi humida, Thoracis dolore, febricula lenta, & assidua, & sanguinis. Pro Illustri D. Hortensia de Rubeis Nobili Romana,
Consultatio XCIII.

NObilis hæc Mulier ob multa errata in victus ratione commissa ad animi præsertim immoderatas passiones atque ad aeris frigidioris vsum attinentia, frigidam cerebri intemperantiam contraxit sex circiter ab hinc mensibus: quem quidem morbum primi generis symptoma, deprauata nimirum concoctio consequebatur: vnde, & aliud secundi generis symptoma excrementorum nempe prouentus atque destillatio adhuc perseuerans originem duxit. Hæc autem non in leues, sed asperas Arterias, quæ respirationis sunt instrumenta, procumbens, obstructionem, efflationem, & inspirationem prohibentem, (vnde, & spirandi difficultas, & tussis) procreauit. A tussi autem capite plenitudine quadam laborante vehementer concusso sanguinis sputum originem duxit; etenim sanguis inter tussiendum reiectus, non adeo paucus erat, sed niger, læuis, linguam, & palatum commaculans, titillans, ad naresque grumos relinquens. Ab eodem humore in fauces, guttur, & asperam Arteriam delabente, interiorēque eius membranam asperiorem, atque inæqualem reddente, vocis raucedo suborta est. Cæterum quoniam prohibita respiratione pulmones incalescunt, vnde, & humores excrementitij, quibus destillationis causa abundant, computrescunt, ob cordis, & pericardii viciniam, febricula illa lenta, & assidua excitatur. Lateris quoque sinistri paulo supra costas mendosas causam interiorem referendam putamus in excrementa a cerebro pariter per asperam arteriam in pulmones prolapsa eorumque vestientem membranam distendentia. Itaut perspicuum sit, nullam fere corporis humani ęgritudinem esse, quę defluxione humoris alicuius e capite, aut excitari, aut incrementum suscipere possit. Atque de affectibus pręter naturam, sedibus affectis, & causis tam internis, quam externis.

Causæ externę, & internæ simul cū affectibus, & sedibus affectis breuiter explicantur.

Iudicium. Cum affectus hi præter naturam plures sint, omnesque, & propria essentia, & partium laborantium præstantia magni, nec non vetusti, & contumaces, quippe qui oportunis remediis ab erudito priore Medico ex Arte prescriptis minime cesserint; Mulieremq; exerceant in ætate potius deficiente, qua proficiente constitutam, nō sine dubio prænunciare possumus Nobilem hanc mulierem sanatā iri: nihilominus quoniam melius nonnihil paucis abhinc diebus, habere videtur, de futura salute non est diffidendum.

Pręsagia

Victus rō primū curationis caput.

Vt Nobilis hæc ægra a præsentibus vindicetur molestijs, & a futuris imminentibus lethiferis morbis, phtysi nempe, & hectica febre, omni constantia sese contineat, oportet in viuendi regula a priore Medico præscripta, videlicet moderate tenui, tātulum attenuante, in actiuis passiuisque qualitatibus temperata, nonnihil tamen siccante. Hic autem vnum minime silendum iudico, nimirum aeris mutationem omnibus alijs præsidijs præmittendam esse.

Purgatio.

De totius corporis purgatione, & capitis priuatim per Errhina vocata medicamenta, nihil habeo, quod proponam, quoniam curationis partem hanc Vir Excellens (vt decebat) absoluit. Illud tamen addam, quod humorum a capite in Thoracem delabentium auersionis causa, repetita per interualla quædam purgatio ex pilularum de hiera cum Agarico drach. vna cum granis 4. vel 5. pilularum de Cynoglossa ad cohibendam simul fluxionem, multum emolumenti afferre poterit.

Venæ sectio.

De sanguinis missione ab affectuū magnitudine indicata illud tm̄ Clariss. Medico considerandum propono, nimirū cū huic Nobili ægrotanti venæ quæ in sede sunt sanguinē interdum cū successu emittere iā antea cōsueuerint, nūc si admotis hyrudinib. aperirentur, mirum in modum prodesse possent, licet dieb. elapsis cubiti dextri vena iecoraria iure optimo secta illi fuerit. Cæterum, quoniam præcipuū curationis caput, est in cerebro omnium malorum auctore firmādo roborandoq. vt medicamenta moderate calfaciētia, & siccantia Cephalica tam interna, quam externa repetantur, maximopere hortor.

Cerebrum roborantia.

Ligni sassafras decoctum.

Huc etiam spectat, vel ligni Guaiaci decoctum; vel (quod magis probo) iuris Galli annuli cum ligno sassafras, santalis rubris, & visci quercini ligno parati vsus per aliquot dies, vt moris est: huius enim decocti beneficio non solum cerebrum siccabitur, roborabiturque præsertim additis cephalicis siccantibus, verum etiam excrementorum omnium reliquiæ, vel etiam in pulmonibus conceptæ per halytum vtiliter dissipabūtur; præsertim si in fine ebullitionis Galli propositi addantur ad ebulliendum Thoracica simplicia.

Stillicidium.

Quibus malo non cedente, vt caput stillicidium 25. saltem diebus continuis hora vna de more subijciat, quam maxime hortor. Aquæ autem thermales huic operi destinatæ sunt nitrosæ, & aliquantulum sulphureæ, quales sunt in Agro Senensi S. Philippi nuncupatę, ab omnibus vsque adeo celebratæ. Quibus non obstantibus destillatione adhuc pertinaciter persistente, auersionis gratia inurendum omnino erit Cauterium inter primam, & secundam colli vertebram.

Auersio.

Tandem medicamentis fluxionem sistentibus frequenter vtendum erit, quale est. Nostrum hoc remedium.

Rec. Bolarmenæ, mastiches, an. dr. 1.

Pirethri scr. 4.

Fluxionē cohibētia.

Cum Muccilagine Tragacanthæ fiāt Trochisci ad magnitudinē lupino-

nō solum hic agitur de prole suscipiēda sed etiam de præcauendo im minenti ex abortu vitæ periculo: siquidem in tertio hoc abortu Ill. hæc D. ob insignes dolores, & immensum sanguinis ex vtero fluorē, in animi deliquium, & totius corporis perfrigerationem cum tanta molestia incidit, vt vitam cum morte quasi cōmutauerit: ita vt Hipp. 1. de morbis mulierum sent. pro Oraculo habenda sit, quando asserebat fœtus corruptiones seu Abortus longe periculosiores esse, quam legitimi partus: propterea, vt Ill. hæc matrona rerum omnium externarum, seu causarum abortus euidētium importunitatem omni studio declinet, maximopere consulo, & hortor; victus nimirum ratione causis huius infortunij internis aduersa a Præclarissimis Viris prę scribenda constanter retinenda.

Abortus partu legitimo periculosior.

Victus rō.

Cum qua noxij humores tum biliosi, tum etiam pituitosi, vel idoneis serapijs apparati fuerint, cholagogis, & phlegmagogis clementioribus non semel tantum purgandi erunt, secta prius vena iecoraria brachij dextri, tum ad euentandum hepatis calorem, & ad reuulsionem quandam moliendam, tum etiam ad inanienda vasa, quo facilius medicamentorum vires suscipere valeant, pręterquam quod viscera omnia sanguine detracto quoquomodo recreari solent, vt adnotauit etiam Gal. 4. in Acu.

Purgatio.

Venesect.

Mox medicamentis, & sumendis, & admouendis cerebrum siccādum roborandumque erit, Iecur autem refrigerandum.

Viscera roborāda.

Post hęc, vt genita in cerebro, atque etiam in toto excrementa ab vtero auertantur reuellanturque pręter Errhina, & masticatoria placida administranda, purgatio ex interuallis ex solo Rhabarbaro repetita mirum in modum probatur, quemadmodum, & Cauteria duo, alterum in dexto, alterum vero in sinistro brachio.

Auersoria.

Cauteria duo.

Interim, vt excrementorum vniuersum corporis habitu, vterumque & cerebrum pręcipue exercentium reliquię dissipentur, vtque viscera hęc siccentur, roborenturque Radicis Chinę (si integra omnibusque numeris absoluta haberi possit) vel ligni Guaiaci cum santalis rubris decoctum viginti saltem diebus omni moderamine propinatum, magnopere profuturum haud dubito. Pręter hęc peculiaris quoque vteri iusto humidioris cura est gerenda, Suffumigijs, Pessarijs huic operi opportunis, atque insessibus ex decoctum simplicium citra insignem calorem siccātium, vterumq; respicientium, quorum maxima est sylua apud medicinæ professores. Quibus, & illud addere placet, quo in Agro Puteolano Thermales aquæ in hunc vsum celeberrimæ scaturiunt Balneum Saluiati appellant. Aquæ etiam Thermales, Aquarianę dictę pro insessibus hūc in vsum magnopere probantur. Quæ omnia hactenus adducta remedia vsurpanda sunt antequam Illustrissima hæc D. vtero gerat; cum vero iterum iam grauida fuerit pro fœtu retinendo alijs vtendum illi erit præsidijs, & internis, & externis.

Siccātia medicamenta.

Inter intrinseca puluis hic noster, si dum vtero gestat frequenter ex Vino propinabitur, magnopere profuturum non dubitamus.

Rec. Specierum Diamargariton vtriusque vnc. s.
Pulueris Cancrorum fluuiatilium dr. 2.
Coaguli leporini Puluerati dr. 1.
Corallorum rubrorum scr. 2.
misce.

Cuius drach. vna ex Vini albi vncijs tribus, vel ex aqua plantaginis horis quatuor ante cibum bis, terque in hebdomada exhibeatur.

Inter extrinseca, quæ lumbis, spina dorsi libera relicta, & locis apponuntur, est in primis vnguentum celebratissimum Comitissæ appellatum; vel quod

Recipit Olei Mastichini, Olei Myrtillorum singulorum vnciam vnam, Boli Armenæ, Corallorum rubrorum, singulorum drach. vnam, cum cera paratur vnguentum. Item aliud, quod Recipit Thuris, Masticis an. vnciam vnam, cum cera pura, & oleo Omphacino fiat vnguentum.

Illitũ enim roborat vterum, & cotylidones. Quorum omniũ probatissimum est ceratũ subscriptum, quod sæpius fœliciter vsurpatur.

Rec. Thuris, Masticis, Ladani an. vnc. med.
Lapidis Aematitis
Boli Armenæ
Coaguli leporis
Limaturæ eboris
an. dr. 1.
Resinæ Pini q. s. fiat Ceratum .s. A.

Quod applicatum lumbis non immutetur nisi decem dierum spacio adhæserit. Detineaturque tribus a conceptu mensibus, deinde auferatur. Quo tempore vteri regio Vnguento Santalino, & de Corticibus Cattanearum bis in die illinatur. Interim vtendum erit prophylactice, quæ circa causas morbificas tam internas, quam externas abolendas versatur. Cœterum quoniam audio a doctissimis Viris in dubium reuocari, num Illustrissimæ D. (si quando prægnans fuerit) Rhabarbarum seu aliud consimile catharticum clementer expurgãs exhiberi debeat præcautionis gratia ab ipso abortu. Qua in re libere dicam quid sentiam.

Quando prægnans purgari possit.

Cum Hipp. lib. 4. Aph. Aph. primo Mulieres vtero gerentes purgãdas non esse, nisi tribus seruatis conditionibus; nimirum turgente materia, a quarto dumtaxat mense vsque ad septimum, atque minori cum violẽtia testatum reliquerit; profecto purgationem, vel etiam leuem primis mensibus valde suspectam habeo, quod humores qui in parte aliqua firmati sunt (docente Gal. eo loco) ne mouere quidem oportet, tantum abest vt purgantibus medicamentis exagitandi veniant: quandoquidem (scribente eodem Gal. lib. 2. de Victu Morb. Acut. Com. xij.) purgãtium omnium medicamentorum natura, corporum quæ expurgantur naturis contraria, atque vt quispiam dixerit

leta-

pinorum, quorum vnum frequenter in ore teneat, atque dormitura Diacodionis in rotulis vnciam mediam deuoret. Interim, & medicamentis topicis Thoraci admotis, & his quæ sumuntur conceptam pulmonibus materiam facilem ad expuitionem reddere, atque per halytum digerere tentandum, simulque Thoracicæ partes, tum siccantibus, tum etiam à tota substantia operantibus sunt roborandæ. Hæc est agendorum summa, quibus Deus immortalis aspiret faueatque rogamus. *Pulmonẽ expurgantia.*

De Abortu statis temporibus succedente. Pro Illustriss. Matrona Romana. Consultatio XCIV.

ABortus symptoma vteri est in noxa functionum naturalium, & maxime retentricis, quæ in Illustriss. Mulieris vtero præ nimia humiditate infirmo, pariendi debitum tempus anteuertit, nec non eiusdem expultricis, quæ humorum peregrinorum mole, & morsu lacessita, partum pariter accelerat. Vt autem propositi affectus causæ diligentius indagentur, in memoriam reuocanda sunt, quæ hac de re à Gal. scribuntur tertio lib. De naturalibus facultatibus cap. 12. nimirum Abortus causas internas tres esse ad vterum ipsum pertinentes, videlicet molem, pondus, & morsum, quibus, & duas addere soleo, flatuum nempe copiam, & fętus in vtero cõcepti imbecillitas. Quas omnes hic locum habere ex ijs, quæ nunc adducam luce clarius innotescet. *Pulmones roborantia.* *Affectus.* *Causę.*

Supponamus igitur Illustriss. hanc fœminam, ob feruidam Iecoris intemperantiam calido impensè temperamento secundum vniuersum corporis habitum præditam esse; ideoque eius sanguinem multa bile naturali refertum esse. Cœterum quoniam ab humido valde cerebro, frigida, humidaque excrementa concoctricis diminutæ deprauatæque causa cumulata per venas in corpus vniuersum pręcipitata, sanguinique commista pituitosum quendam habitum efficiunt: accedentibus pariter erratis in victu commissis, ac præsertim in vsu herbaceorum, fructuum, & largo gelidæ potu. *Temperamentũ duplex, naturale, ascititium.*

Quæ quidem vtriusq; sortis excrementa ad vterũ veluti ad totius corporis recrementorũ sentinã prolapsa, vt biliosa morsum inferentia, atq; vt pituitosa, & crassa pręponderare, & mole fœtum quasi suffocantia, prementiaque immaturi partus causæ potissimæ censentur. Cuius quidem rei illud certissimum est argumentum, quod in mensib. statis temporib. erumpentibus, vbi sanguinis purgatio desierit, per biduum, aut triduum muccor quidam albus, ab vtero Illu. Matronæ prodire consueuit, & horror eo tempore excitatur; quæ sane indicia sunt ex Hippoc. sent. lib. 2. de Morbis mulierum, vteri acetabula pituita esse plena: vnde etiam vteri eodem pituitoso humore irrigati, os pro naturæ congruo vsu claudi, adstringique nequit.

Quod vero grauidis os vteri internum coarctetur Hipp. Aph. 5. Aph. 91. & Gal. lib. 3. de Natural. facultatibus ab initio testantur. Vtero autem peregrinis humoribus repleto, pariendi tempus anteuerti, abortumque sequi, testatur Hipp. lib. 5. Aph. Aph. 45. Morsum quoque a bilioso humore pendentem, abortus concausam esse, dolores punctorij, ac pruriginosi vterum sæpius sollicitantes clare ostendunt; quemadmodum, & imi ventris dolores cum rugitu, & tẽsione quadam flatuum copiam aperte commonstrant. Fœtus etiam imbecillitatem ad hosce abortus concurrere, ex eo depræhenditur, quoniam qui in Ill. hac fœmina per abortum extruduntur, tenues, & exiles admodum sunt, cum ligamẽtis, & inuolucris tenuibus; quod quidẽ ex Hip. sent. lib. de Octimestri partu conceptus summam imbecillitatem demonstrat. Huic accedit, quod fœminæ conceptæ masculis infirmiores semper sunt, quales fuere abortus hi, & hęc de Ill. fęminę Abortuum causis internis dicta sufficiant. Vtrum autem præter errata in victus ratione ab externa illata violentia aliqua potius quam ab internis commemoratis causis ortum duxerit huiusmodi Abortus, video a Clarissimis Consultoribus in dubium reuocari; quandoquidem cũ ter abortiuerit annorum quatuor spacio tertio fere semper Mense a conceptu, atque ante primum, & secundum abortum violentiam externã, casum nempe, & curru inordinatum concitatumque motum, iure optimo qui ante me dixerunt, omnem horum Abortum causam in externa huiusmodi errata referendam esse arbitrantur. Nihilosecius autem, cum ex Hipp. sent. lib. 7. Epid. 71. quando mulier grauida ictu, casu, plaga, aut quauis alia externa violentia abortit, id duobus vel tribus diebus ab erroris importunitate externi cõtingere solet, huius infortunij in Ill. hac D. causam potissimam in externa adducta incommoda reijcere haudquaqnam possum, quod inter hęc incommoda, & Abortus, plures præterierunt dies; non ibo tamen inficias errata isthæc externa, veluti internas causas mouentia, momenti aliquid pręgressis abortibus attulisse Agentium. n. opera in patiente opportune disposito promptius, & facilius exercentur. Igitur, vt prouideamus, quominus in posterum abortus succedant, opere precium est causas abortus internas illidere, cerebri, & hepatis intemperies corrigere, peregrina excrementa intercipere, & auertere, ne in vterum prolabãtur, ac tandem vterum siccare, atque roborare, simulque habita de causis externis prouidentia.

Fœtus. *Externæ causa.* *Med. Meth.*

Quos quidem scopos assequi non admodum facile erit, tum quoniam vterus ex prægressis tribus abortibus imbecillitatem nõ leuem iam contraxit, tum etiam quia errata in viuendi modo vt varia sunt, ita, & difficulter præcaueri possunt. Nihilominus quoniam res agitur cum prudentissima, & valde obsequenti Ill. D. ætatis proficientis potius quam deficientis; sperandum fore vt ab hoc infortunio præcaueri possit. Neque differendum est præcautionis opus, quandoquidem

Præsagia

non

giæ, & lacrymarum hederæ in aqua Rutę ſtillaticiæ excoctarum oculis adhibeatur. Collyrium etiam paretur ex mellis vncia vna cum ſucci fœniculorum depurati in vaſe Aeneo cum folijs auri puriſſimi vnc. tribus, ſanguis quoq; Palumbi recens Collyrij modo in oculos inſtillatus mirifice ad hoc valet. Peucedani etiam ſuccus cum pari portione ſucci fœniculi, & ſexta parte ſeminis Raphani hortenſis in puluerem redacti, & cum melle ſubactus in vaſe Aeneo, atque Collyrij modo adminiſtratus benefacit mirum in modum non ſolum ad diſſipandos detergendoſque humores neruis opticis impactos, verum etiam ad roborandas omnes oculorum partes. *Collyriũ.* *Sãguinis Palumbi.* *Collyriũ alterum.*

Illud autem perpetuò obſeruandum, vt ſi quando fortiori Collyrio vtendum fuerit, præſtabit oculos prius, vel lacte muliebri recenti, vel mulſa admodum diluta abluere, non æquidem per ſpongiam hoc liquore imbutam, ſed per vitream ampullam roſtris os arctiſſimum habentem, inſtillato, ſenſim in oculos liquare. Quod verò ad vltimum attinet ſcopum, videlicet, vt ſpiritus a cerebro per opticos in oculos copia, & ſubſtantia conuenienti deferantur, licet nullo alio præſidio opus eſſe videatur, quod opus hoc totum in medicamentis iam propoſitis ſit poſitum, detergentibus nempe, & opticos meatus ab infarecto humore liberantibus, nihilo ſecius opportunum fuerit Collyrium quoddam mihi probatiſſimum hic deſcribere, cuius quidem vſu frequenti non ſolum oculorum partes omnes mirifice roborantur, verum etiam ſpiritus viſorij limpidi redduntur. Quod Collyrium Hollerius medicus Pariſienſis celeberrimus a Vetuſtis quibuſdam medicinæ Auctoribus accepit. Hoc enim viſum cœco nouem annorum reſtituiſſe ſcribunt. Eſt autem huiuſmodi. *Obſeruatio.*

Rec. Succi Apij
Succi fœniculi
Verbenæ
Chamædryos
Pimpinellæ
Caryophillatæ
Saluiæ
Chelidoniæ
Rutæ
Centinodiæ
Morſus Gallinę
Caryophyllorum } an. vnc. 1.
Farinæ volatilis.
Piperis Craſſiuſcule triti
Nucis moſchatæ
Ligni Aloes } an. dr. 3.

Aqua mirabilis ℞ viſu acuẽdo.

Omnia immergantur in vrina pueri incorrupti, & ſexta parte,

Vini

Vini maluatici. Bulliant breui tempore: tum exprime, & percola. Repone vase vitreo bene obturato: hora somni singulas guttas, singulis oculis instilla.

Rursus prætere quæ de victus ratione in communi dicta ante fuere nonnulla ad institutum pertinentia specialia hic addere placet. Dum vindemiarum tempore mustum efferuescit, flores Euphrasiæ inijciuntur, Vinum repurgatum asseruatur, quod in mensa epotum singulari est remedio. Vinum quoque flauum, & limpidum, in quo hyssopus, & Ruta decocta sint in prima mensa præbibitum maximi hoc in casu vsus est. Quemadmodum, & oua recentia hoc puluere superiecto.

Puluis visum recreans.

Rec. Nucis moschatę dr. 1
Caryophyllorum scr. 2.
Satureiæ
Ligni Aloes
Ligni Sassafras } an. scr. i.
Cinnamomi
misce, & pulurizentur subtiliter.

Thymus. Pica. Mirobalani chebulę.

Thymus in cibis caliginem abigit. Pica cocta, & esitata spiritus visiles reparat. Ad idē prodest Nux moschata condita, quotidie sumpta. Quemadmodum, & myrobalani chebulæ conditæ. Hæc enim non solum oculos roborant, spiritusque visiles clariores reddunt, verum etiam, & cerebrum totius mali fontem siccando confirmant. Quod sane viscus intemperie quidem laborat frigida, & humida, verum non vsque adeo imbecillum est, quin visiles spiritus copia, & substantia visioni edendæ sufficientes procreare possit, ita vt vitij huius causa antecedens potius eatenus dici possit, quia collecta excrementa in subiectos neruos demittit. Tot dicenda occurrebāt pro imminuta visione reparanda firmandaque in gratiam huius Nobilissimi Viri. Quibus Deus Immortalis aspiret faueatque rogamus.

Tacitę obiectioni responsio.

De Vertigine. Pro D. Angelo Mariano Lucensi, Consultatio XCVI.

Vertiginis causa communis.

Vertiginis morbosæ, in quam egregius hic Vir citra causam externam manifestam, vel leui admodum occasione sæpe incidit, causam interiorem proximamque spiritum animalem in cerebri anteriorib. præsertim ventriculis inordinate motū esse haud dubium est.

Vertiginis huius causa propria.

Huius autem inordinati spirituum animalium motus causa est vapor frigidus in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide spiritus, & humores exagitans, & varie impellens, turbulentos sensus motusq. reddit. Porro vaporem tum calidum, tum etiam frigidum Vertiginem excitare posse, scriptum reliquit Gal. lib. tertio de loc. aff. cap. viij. Et tertio Aph. 23.

Quod autem vitium hoc a frigido vapore vna cum eiusdem conditionis minera cerebrum occupante originem ducat, Capitis assidua

letalis, & deleteria est. Huic accedit, quod in primis tribus mensibus fœtus ligamenta parum sunt robusta, atque adeo fœtus ipse in vtero haud satis firmatus est; vnde ob purgantis medicamenti motum, prompte dirumpuntur.

Rhabarbarũ prægnantib. denegatur

Porrò Rhabarbarum, quod Mesues, Musa, & alij complures prægnantibus etiam tuto dari posse censent minime probamus. Nã hoc ipsum, vt pluribus constat experimentis, & Arabum etiam testimonijs, humores in venis existentes valenter attrahit educitque. Quapropter sua illa agitatione non modo grauidis, sed interdum etiam alijs tum Viris, tum mulieribus nõ leuem molestiam infert, præterquam quod ex desidendi frequentia, quæ huius sumptionem sequitur, non nunquam febris etiam excitatur. Quamobrem ab omni purganti medicamẽto primis duobus, vel tribus imprægnationis mẽsibus abstinendum, cõsultius semper fore duxi: nisi quid magnopere vrgeat.

Et hæc dicenda ex tempore occurrebant in gratiam Illustrissimæ Matronæ, quæ vt fœtus in posterum concipere, fœliciter gerere, atque edere, Deum Optimum Maximum, ex toto pectore precamur.

De visione diminuta. Pro D. Curtio Vicinio Neapolitano, Consultatio XCV.

Imminutæ visionis causa.

CONsideratis diligenter his, quæ a Clarissimis Viris non minus docte, quam eleganter nunc explicata fuere, facile adducor, vt credam imminutam in Nobilissimo Viro multis abhinc diebus visionem non aliunde proficisci, quam ab inopia, & tenuitate spirituum visualium ad oculos delatorum. Quorum quidem vitium vtrumque cum a duplici causa pendere possit, cerebri videlicet imbecillitate, & neruorum opticorum adstrictione, vtra earum in hoc vitio præualeat, diligenter discutiendum. Ego autem proculdubio arbitror defectus, & tenuitatis spirituum causam in neruorum obstructionem, seu adstrictionem potius, quam in cerebri imbecillitatem referendam esse; quandoquidem facultates omnes aliæ sensitrices, motrices, principes ad omnia sua obeunda munia egregie valent.

Causæ euidentes.

De causis euidentibus illud tantum dixisse satis fuerit, quod Nobilissimus hic Vir ob diuturnos mentis, & corporis labores, longaque & incommoda Itinera, cerebro refrigerato, ideoque eius coctione vitiata, pituitosa cumulata excrementa ad neruos præcipitata obstructionem, seu adstrictionem illis apportarunt. Itaut vera curandi ratio postulet, vt ante alia mali principio occurratur, scilicet, vt cerebrum pristino temperamento restituatur, necnon excrementorum fluxus a neruis ad alias partes auocetur, tum pituitosus humor in opticis contentus omni studio excidendus est, si-

Scopus curationis.

mul-

mulque conandum, vt nerui, & omnes oculi partes pro viribus robo rentur, visualesque spiritus limpidi reddantur.

Præsagiū. Quæ cuncta prorsus consequi perarduum fore puto, quod affectus, & causæ admodum inueteratæ, & contumaces sint, resque cum Viro agatur ętatis deficientis potius quam proficientis. Operis etiam difficultatem maximam illud ostendit, quod debilia præsidia in penitiores adeò partes vix deferri possunt: & fortia, alias oculi partes, alioqui ex longa patiendi consuetudine, & spirituum defectu obsoletas non leuiter offendent. Veruntamen cum nondum generosa vlla remedia explorata esse intelligam, cumque Nobilis hic Vir omnem in peritissimorum Medicorum præceptis obseruandis summam constantiam polliceatur.

Victus rō. Itaque quam primum medicatio instituenda erit, victus rationem tenuem, extenuantem, modiceque calefacientem causis morbificis aduersum præscribere oportebit.

Purgatio Mox vniuersum corpus phlegmagogis expurgandum erit; necnō cerebrum ipsum masticatorijs assidue vsurpatis. De Errhinis autem cogitandum non est, quippe quæ laborantibus oculis sint valde suspecta. Post hæc, vt primum præcipuumque scopum assequamur.

Cerebrū roborantia. Medicamentis, & internis, & externis ludendum erit excrementorum cerebrum, & neruos visorios exercentium reliquias dissipare, caputque siccantibus, & calfacientibus roborare. Qualia erunt. Ligni Guaiaci cum Visci quercini portiuncula, & cephalicis ocularibusque simplicibus decoctū aliquot die de more propinatum. Conserua Anthos, Betonicæ, Eufragiæ, & interdum Mitridatica confectio. Capitis lotio frequens ex lixiuio cum simplicibus calfacientib. siccantibusque parato. Necnon ceratum a Montagnana descriptum anterioribus capitis suturis admotum.

Auertentia. Pro explendo secundo scopo inter alia auertentia auxilia non solum vesicantia foueolis, quæ sub auribus sunt applicanda erunt, verū etiam, & Cauterium inter primam, & secundam vertebram diu gestandum inurendum erit.

Tandem pro detergendis expediendisque opticis neruis interceptis, simulque oculorum partibus omnibus roborandis, his remedijs vtendum erit.

Opticos neruos roborantia, & detergentia medicamenta.

Rec. Conseruæ Euphragiæ vnc. I.

Nucis moschatæ
Macis
Cinnamomi
Caryophyllorum } an. dr. med.

Seminum fœniculorum dr. I.

Mellis despumati q. s. fiat Electuarium:

Suffitus. Cuius dr. duæ mane, & vesperi duabus horis ante cibum deuorentur. Eodemque tempore suffitus ex fumo Rutæ, Fœniculi, Euphragiæ,

dua grauitas cum quadam frequenti in somnum propensione, atque mentis torpore quodam aperte indicant. Ita ut vertigo hæc non aliarum partium consortio sed primario cerebri affectu censenda sit. Hic autem humor, & vapor non continenter, & assiduo, sed circuitibus, & quoties euidentis causę, vel etiam leuis admodum impulsu cietur, exagitari consueuit.

Cuius quidem humoris frigidi prouentus, non solum cerebri frigidum humidumq; temperamentum huic Viro congenitum cōsequitur, verum etiā, & errata in viuendi modo commissa, & præsertim in aeris frigidioris vsu, quando longa habuit itinera per loca frigida. *Causa euidens.*

Quocirca si nobis est curæ Nobilem hunc Iuuenem ab hac molestia, & ab imminentibus periculis præseruare, necessum est in primis omni studio, & sedulitate procurare, quo minus cerebrum excrementa in posterum colligat, idque & congrua victus ratione, & medicamentis tam internis, quam externis cerebrum roborantibus; prægressa tamen, & totius corporis, & capitis purgatione idonea. Deinde genita in cerebro excrementa deriuanda erunt. *Scopi.*

Quos quidem scopos explere, finemque intentum assequi non ad modum arduum existimo. Quādoquidem affectus hic nec vetustus, nec insignis est, & raro citra externam occasionem, leuem tamen, accessio vertiginosa recurrit. Aegerque iuuenis est: seque promptissimum exhibet ad omnia illi præscribenda remedia, Quæ quidem, nec differenda sunt, nam vertigo affectus est Epilepsiæ, & Apoplexiæ proximus, vt egregie notauit Gal. Aph. 3. sententia 17. Igitur ad victus rationem nunc venio. *Præsagia* *Victus rō.*

In qua instituenda aer in primis eligendus est calidus, quod vaporis materia frigida sit. Somnus moderatus sit. Quies imperanda quidem, verum motus ieiuno ventriculo moderatus nō denegatur, modo capite, & dorso inclinato non fiat, Vt animaduertit Gal. lib. 5. De tuenda sanitate cap. 3. Quod ad oculorum motum attinet, ne obiecta profunda, quæ vehementer agitantur, aut quæ in gyrum mouentur, luminosaque intueatur, magnopere hortamur. Aluus lubrica omni Arte seruari debet. Cibi quatenus spirituum animalium motum respiciunt, crassefacientes, & calefacientes esse debent. Atque in vltima Mensa Diacydoniten vnc. med. & pulueris coriandri dr. med. cum Mellis rosacei modico deuorabit. Potus sit cum Aetio Vinum album, tenue, non vinosum, non valde vetus, & moderatum. In summa victus inclinare debet ad tenuem, moderateq. calidum, si vaporis mineram respiciamus.

Victus ratione hunc in modum imperata, pituitosus humor cerebrum exercens apparandus erit, Oxymellite simplici, syrupo de Betonica, & Melle rosaceo, & alijs consimilibus mitioribus syrupis cum aquis, aut decoctis eiusdem facultatis. *Apparatio.*

Apparatus humor purgandus erit hoc medicamento. *Purgatio.*

Rec.

Rec. | Diacatholicon vnc. med.
Diaphœnicon dr. 3.
Agarici Trochiscati scrup. 2.
Specierum hierę simp. dr. med.
Mellis rosacei solut. q. s. fiat bolus.

Quod si Iuuenis hic Pharmacum dissolutum, ac potādum magis affectaret, hæc eadem cum saluiæ decocto commode dissolui poterunt. Cœterum quoniam affectus hic contumax, & diuturnus esse solet, itaut reiteratis interdum purgationibus opus sit sumpto initio a leuioribus ad valentiora, præcedente semper opportuna præparatione, si affectus hic medicamentis præscriptis non cederet, Pilulæ nunc describendæ ex interuallis frequentibus deuorentur, quippe quæ efficacissimæ sunt ad affectum hunc demendum, simulque ad caput, & omnes sensus confirmandum. Sunt autem huiuscemodi.

Pilulæ probatissimæ.

Rec. | Agarici electi dr. 2.
Colocynthidis dr. 1. cum dimid.
Myrobalanorum chebularum vnc. 1.
Seminum Maioranæ, Seminum Rutæ, Seminum Peoniæ, Zinziberis, Asari, Piperis — an. scr. 1.
Nucis moschatæ, Cubebarum, Caryophillorum, Xyloaloes, Mastichis, Cardamomi Spicenardi — an. dr. med.

Rec. | Hellebori scr. 2.
Salis Gemmæ, Nitri — an. gr. 5.
Aloes hepaticæ pondus duplum, fiant Pilulæ cum benedicta.

Quarum vel drach. vna bis, terque in Mense, vel scrupulus vnus tertio quoque die vtile propinabitur.

Caput purgantia.

Interim vacuatio per loca propinqua (Deriuationem appellant) per Errina, & Masticatoria minime omittenda erit.

Caput roborantia interna. *Topica.*

Mox ad dissipandas peregrinorum humorum reliquias, iugiterq; pro capite siccando, roborandoque medicamentis tam internis, quā externis vtendum erit. Inter quæ primum obtinet locum Theriaca magna, aut Mithridatium, Diagalanga sumpta frequenter cū aqua saluiæ, atque confectio Rorismarini. Oleum rutæ, oleum laurinum, oleum costinum, aut ex Castoreo pro illinendo capite. Capitis lotiones semel, bi sue singula hebdomada lixiuio ex cinere vitis, & quercus parato in quo Bacchara, Betonica, Stæchas, nec non Agaricus

Emplastrum.

præbullierint. Quibus malo non cedente confugiendum esset ad Emplastrum excepa, ruta, scilla, serpillo, & saturea cum melle, & oleo cha-

chamæmelino paratum, & capiti deraso cum lana succida admotũ. Hoc enim contumacem, diuturnamque vertiginem tollit.

Quod autem ad tertium, postremumq; scopum attinet, præter Erthina, & Masticatoria antea commemorata, vertigine repetente, ad maiorem deriuationem a capite moliẽdam, inustum inter primam, & secundam vertebram canterium summopere laudarem. De alijs Chirurgicis præsidiis ita sentio. Licet affectus hic sanguinis missionẽ ex eo postulare minime videatur, quia a frigido pendet humore minime sanguini permixto, nihilosecius, quia res agitur cũ Iuuene satis firmo, & robusto sanguine etiam abundante, venæ sectio inter huius medicationis initia vtique celebranda erit, vt vasa non nihil exinanita medicamenta dein administranda facilius admittere valeant. Sanguis igitur ab initio mittendus erit ex vena Iecoraria brachii dextri ad octo vel nouem vncias. De alio Chirurgico opere, videlicet de arteriarum capitis sectione a Gal. lib. sexto de tuenda valetudine capite nono vsque adeo celebrata, nihil dicendum puto, quod Vertigo hæc non a vapore per arterias externas caput petente proficiscatur, sed a frigido (vt antea dictum est) humore, & vapore caput exercente. Atque de vertiginis Nobilem hunc Iuuenem ex interuallis molestantis præcautione dicta sufficiant.

Cauteriũ der uationis gratia a capite.

Venæ sect.

Arteriarum sectio hic nõ admittitur.

De præsidijs in vertiginosa accessione administrandis pauca habeo, quæ proponam, quoniam vertigo hæc leuis est, ac sponte euanescit. Quod si tamen forte fortuna in posterum pertinacior repeteret, frictionibus partium infernarum, cucurbitulis cruribus, coxis, & natibus sine incisione, & vinculis dolorificis, vel etiam acrioribus clysteribus diuersionis gratia vtendum esset; necnon odorata calida vt ex Moscho, vel Ambra naribus supponenda, ad recreandos spiritus animales. Et hæc de præcautione, & curatione Vertiginis Nobilem propositum Iuuenem sæpe sollicitantis satis sint dicta. Faxit Deus vt omnia ex votis illi, nobisque succedant.

Quid in accessione agendum.

De Muliebri profluuio pro Perillustri, & Nobilissima Matrona, Consultatio XCVII.

EX ornatissimis, elegantissimisque Vincislai Lazari Medici celeberrimi, literis accepi Perillustrem, & Nobilissimam Matronam duplici præter naturam affectu sollicitari: Melancholia, & vterino fluore: Quæ ad priorem spectant affectum consulto missa faciam, quod iam iam intellexerim ab altero Consultore, Vincentio Balducio Medico in Vrbe insigni, Perillustrem, & Nobilissimam propositam Mulierem affectu melancholico non amplius laborare, neque vllam nunc recursuri mali huius suspicionem superesse; quippe quod animi passiones quædam vitij huius euidentes antea causæ, nunc prorsus desierint; ita vt hic de altero dumtaxat affectu,

Morbi historia.

ctu, nempe de vteri albo fluore agendum sit.

Affectus. Affectus symptoma secundi generis, excretorum nempe, aliud primæ classis symptoma consequitur, deprauatam videlicet ingestorum alimentorum coctionem, ob frigidam, humidamque ventriculi intemperantiam. Vnde excrementorum per venas ad vterum delabentium prouentus, inedeque vterinus hic fluor. Quibus etiam excrementis, materiam non paucam suppeditant errata in victus ratione commissa, ac præsertim in vsu frigidorum ciborum, & potuum, atque in corporis exercitio prorsus neglecto. Porrò fluoris huius materiam frigidam esse, pituitosique humoris naturam proxime emulantem, ex horum quæ ab vtero destillant colore albo, & substantia tenui, facile est intelligere.

Causa interior. *Causa externa.* *Fluoris materia, quæ nam sit.*

Quæ quidem materia cum rudimenta sua ex ventriculo egre concoquente sortiatur, quis affirmare posset hic non vterum, sed ventriculum dumtaxat sedem esse affectam; quod senserit Gal. tertio de causis symptomatum cap. vltimo, & sexto de locis affectis cap. quinto, Muliebre profluuium huiusce generis cõtingere vtero nullo modo male affecto. Quod quidem nõnisi inuitus vix admittere possum, quippe qui comperto habeam in omni muliebri profluuio vterum eatenus saltem coafficí, quatenus peregrina excrementa, tum copia, tum qualitate infestantia admittit. Quibus hunc in modum curaturum medicum ante oculos habere in vitii huius curatione ex Arte constituenda. Primus itaq; scopus erit, omni studio prohibere, quo minus excrementitij humores in ventriculo, atq; in toto corporis habitu cumulentur; idque tum congrua victus ratione instituẽda, tum medicamentis ventriculum pristino temperamento restituentibus, prægressa tamen vniuersi corporis purgatione idonea. Alter scopus erit excrementa necessario genita ab vtero in alias partes deflectere, euacuatione nempe per vrinam, & per sedem, deriuationis gratia: nec non per sudorem, atque per vomitum reuulsionis causa. Tertius postremusq; scopus erit vterum moderate exsiccare, atque confirmare.

Pars affecta. *Curationis scopi.*

Præsagia. Quos quidem scopos cunctos explere non admodum facile erit, tum ob affectus vetustatem, tum etiam ob contrarias viscerum intemperantias, vt ventriculi frigidi, & hepatis iusto calidioris. Verumenimuero, & Adolescentia, & Perillustris, ac Nobilissimæ Matronæ prudenia, obsequentiaque fœlicem medicationis instituendæ successum fore pollicentur. Igitur victus ratione instituta calfaciente, & siccante, tenui atque extenuante, moderate tamen, tum ætatis, tum etiam calidi siccique corporis totius habitus temperamenti ratione, quamprimum aluo ex Melle rosaceo soluente, vel ex Diacatholicone lenita.

Victus rõ.

Præparatio. Apparandi erunt excrementitij humores syrupo de Betonica, Melle rosaceo, & syrupo de Endiuia, cum aquis, vel decoctis consimilibus.

Ap-

Apparati purgandi erunt phlegmagogis blandioribus, qualia sunt Agaricus, Rhabarbarum, & Hiera. *Purgatio*

Deinde ventriculo roborando Medicamentis sumendis, & forinsecus admouendis modice calefacientibus incumbendum erit. Inter quæ primum locum obtinet aqua Tetutiana, quinque vel sex diebus de more epota, quippe quæ ventriculum detergat, calefaciat, & siccet, neque in iecur feratur. Quo tempore hepatis regio mane, & vesperi ieiuno ventriculo illinenda erit cerato santalino, cum Cichorei succo, & aceti modico. Post hæc, deriuationis gratia, Diureticis vtendum erit, vt Appij, & Asari decoctum ex aqua Cichorei paratum. Interimque vel mollioribus Clysteribus, vel clementioribus phlegmagogis minori dosi repetitis ex interuallis quibusdam lenienda erit aluus. *Ventriculus roborandus.* *Aquæ Tetutianæ vires.* *Deriuantia Medicamenta.*

Mox reuulsionis gratia, & vomitus interdum ab assumpto cibo citandus erit, modo Perillustris, & Nobilissima Matrona facilis sit ad vomendum, nec eo tempore consueti menses prodeant. Simulq; totius corporis perfrictiones linteo molliore, ad dissipanda per halytum redundantia in corpore excrementa, imperandæ erunt; frictiones autem asperiore linteo, & validiore. Galeni more hic non libenter admitterem, ratione calidi siccique Nobilissimæ Mulieris temperamenti. *Reuellentia medicamenta.*

Quibus vsurpatis præsidijs, malo nō cedente, decoctum ligni Guaiaci cum santalis rubris, ex aqua hordei, & Cichorei paratum, folijs etiam Cichorei, & Plantaginis, nec non seminibus Coriandri, & Melonum in fine ebullitionis additis per dies saltem viginti datum, summopere conducturum sperarem.

Tandem, vt vterus corroborari tuto possit, ea vsurpanda sunt prius remedia, quæ materiam in vtero conceptam euacuare posint, nimirum quæ attenuandi, & detergendi vim habeant. In quem quidem vsum varia administrari solent ab Hipp. & ab alijs pessaria, quæ quidem non improbo, verum iniectiones, & insessus ex aquis Thermalibus ferreis, aluminosis, & nonnihil sulphureis, aliis præsidijs huic operi destinatis semper anteponerem. Huius generis sunt aquæ Porrettanæ quæ in Agro Bononiensi scaturiunt, quas vt Perillustris, & Nobilisima hæc Iuuenis opportuno tempore adeat etiam atque etiam hortamur. *Vacuãtia materiã in vtero contentã.*

Post quarum quidem aquarum vsum, ad firmandum magis vterum, iniectiones, vel insessus ex aqua chalybeata, in qua rosæ Myrtilli, Lignum Aloes, & Santali omnes præbullierint summopere probo.

Quibus omnibus peractis, si vitium hoc pertinaciter persistat, Electuario mihi hoc in casu sæpe fœlici cum successu vsurpato vtatur.

Electuarium Muliebri profluuio tollendo destinatum.

Rec. Gummi Arabici
Tragacanthæ } an. dr. 2
Coralli vtriusque
Cinerum putaminum oui
Cornu cerui
Seminum anethi } an. scr. 4.
Succini
Mellis rosati q. s. fiat electuar.

Cuius vncia media horis saltem duabus ante cibum deuoranda exhibeatur. Deinde statim superbibat aquæ plantaginis vnc. quatuor cum Vini subrubri vncijs duabus.

Vterini fluoris incommoda

Tot dicenda occurrerunt pro vindicanda Perillustri, & Nobilissima Muliere ab hoc molesto vterino fluore. Cuius quidem maxima est habenda ratio, cum Mulieres quas exercet steriles vt plurimum reddere soleat, vel etiam grauidis Abortum parere. Iam vero de Melancholico prægresso affectu aliquid etiam dicendum puto, licet nunc non vrgeat.

Igitur si ob immensum iecinoris incendium, ac varias, & copiosas hypocondriorum obstructiones in posterum tetri vapores in caput subleuarentur, immaginationesq. falsas inducerent.

Victus rō in melancholico affectu, obseruanda.

Præscripta victus ratione tenui, atque moderate extenuante habita ratione frigidorum humorum ventriculi ægre concoquentis culpa cumulatorum, non admodum tamen calfaciente, ob hepatis calidam dyscrasiam, quorum omnium huc spectantium summa hæc est, vt a crapulis abstineat, atque in omnibus rebus non naturalibus vocatis, ita sese gerat, vt nec vllas cruditates committat, nec excrementa cruda, viscida, & copiosa gignat, ab omnibusque immoderate calfacientibus abstineat.

Victus rōnis compendium.

Ventris lenitio.

De Pharmacorum administratione suademus vt aluus iterum leniatur Diacatholicone, & Hieræ modico.

Præparatio.

Deinde materia præparetur agrimonij, Cichorei, Borraginis, Buglossi, & melissę decocto cum syrupo de pomis, & succo Borraginis.

Purgatio.

Postremo expurgentur humores Rhabarbaro, Agarico, & Myrobalanis citrinis, chebulis, & indis cum senæ folijs in aqua Borraginis infusis.

Seri caprini vsus.

Vbi expurgati erunt humores, laudamus vt ad infrenandum hepatis caliditatem, quindecim diebus continuis, horis saltem quatuor ante prandium seri caprini a caseo & butyro diligenter depurati lib. duas cum succi Cichorei vncijs duabus sumat. Neque formidare oportet flatus, & rugitus, qui imum ventrem interdum excruciare solent, quandoquidem sero per aluum, vel per meatus vrinarios faciliter prodeunte, murmurantibus etiam hypochondrijs nullum sequitur sumenti incommodum; vt ratio, quotidiana experientia, & Gal. quinto Aphorismorum 64. testimonium suadent.

Cęterum

Cæterum ad demulcendos humores melancholicos, iecoris incẽdium mitigandum, vaporeſque & humores inſenſibiliter per cutim diſſipandos, quo tempore ſerum capiet, aquæ dulcis Balneum veſpere de more adminiſtratum, magnopere commendamus. *Aquæ dulcis Balneũ*

Interim vt cordi, quod in melancholico affectu ſemper compatitur, ſuccurramus, præſcribendæ confectionis mirum in modum probatæ vncia media, horis duabus ante prandium deuoranda dabitur.

Rec. Conſeruæ florum Borraginis
Bugloſſæ, Meliſſæ
Acetoſitatis citri conditæ cum ſaccharo
Lætificantis Almanſoris
} an. vnc. 1.
Confectionis alchermes dr. 6.
Specierum diamargariton frigidi dr. 2.
} miſce. *Confectio cordialis.*

De Chirurgico opere ita ſentiendum puto. Quo tempore deſcripta purgatio inchoabitur, vt hirudines venis, quæ in ſede ſunt affigantur, atque inde ſex, vel ſeptem ſanguinis vnciæ detrahantur, conſulimus; inſuper ad deflectendos a iecinore, liene, & hypochondriis vapores, Cauteria quoque ambobus cruribus, vel ſaltem vnum ſubtus genu in parte interna cruris dextri mirum in modum vtile fore pro comperto habemus, licet quod ſi vterinum affectum ſpectemus, in brachio, potius quam in crure inurendum eſſet cauterium. In cuius quidem Muliebris fluoris inſtituta curatione Cauteria huiuſmodi non propoſuimus ſperantes Perilluſtrem, & Nobiliſſimam Iuuenem ſine hoc moleſto opere ab vterino illo fluore liberatam iri, modo reliqua omnia huic affectui delendo opportuna præſcripta remedia conſtanter admiſerit. Quemadmodum neque de ſanguinis miſſione vllum habitum verbum fuit, quoniam affectus hic cacochymiam potius, quam plethoram conſequatur, licet euentandi hepatis caloris gratia ſanguis etiam ex cubiti dextri vena Iecoraria parce detrahi poſſet, idque inter curationis initia. Hęc habui, quæ in gratiam Perilluſtris, ac Nobiliſſimæ Iuuenis proponerem, Placeat Deo vt ſalutaria illi contingant. *Sãguis ex hæmorrhoidibus detractio. Cauteria.*

De Ventriculi, & hypochondriorum Dolore. Pro D. Tarquinio Aquilano, Conſultatio XCVIII.

DOlores quatuor, vel quinque horis Nobiliſſimum hunc Virum ab aſſumpto cibo acerbe, multoque tempore ſollicitantes, non aliunde proficiſci exiſtimandum, quam a flatuum ventriculum circumſitaſque partes diſtendentium copia: qui quidem flatus a debili huius viſceris calore alimentum elixante ſubleuantur. Atq; cum frigidus admodum ventriculus ingeſtos cibos tarde, ęgreq; concoquat, multa excrementa congerit, quæ a feruido Iecinore per meſeraicas *Dolorum cauſa. Frigidum ventriculum quæ mala ſequantur.*

attracta,& tandem crassefacta exustaque duplici nomine offendunt: etenim,& obstructiones pariunt, & tetros vapores venis mediantibus cerebro effundunt; vnde mœror,& mestitia, quod quidem vitiũ non melancholia, sed affectus quidam, melancholicus hypochõdriacus iure optimo dici potest, etenim nulla in Nobili Viro falsa obseruatur imaginatio.

Dubitatio Cur autem in Viro quadrato,& optimo corporis habitu conformato frigidus obseruetur ventriculus, & Iecur impense calidum; ea assignari potest ratio, quod licet ventriculus hic a primo semine optimam sortitus fuerit constitutionem, nunc tamen ob multa er-

Responsio rata commissa in victus ratione frigidus imbecillisque euasit: quemadmodum & Iecur antea temperatum, nunc ob multas easque contumaces obstructiones, calorem præternaturalem satis insignem sibi assumpsit.

Curationis ratio. Victus rõ. Præparatio. Purgatio. Obstructione vt demãtur. Ventriculum roborantia. Iecur refrigerantia. Quibus omnibus, vt prudenter & fœliciter occurratur, operæ precium est causas euidentes in primis congrua victus ratione pro viribus prohibere, humores pituitosos melancholicos, simulque biliosos apparare, apparatosque secta prius cubiti dextri vena Iecoraria, Phlegmagogis, melanogogis purgare, inter quæ syrupus de polypodio cum Agarico,& Rhabarbaro primas partes obtinet; obstructiones demere, vel iuris galli decocto, vel vino chalybeato secũdum Artem paratis, ventriculo pristinum robur restituere, tum internis, tum externis calfacientibus medicamentis hoc viscus respicientibus, & tandem Iecur ipsum refrigerantibus, quæ extrinsecus admouentur, & quæ sumuntur pristino temperamento restituere. Inter quæ duo generosa maxime commenda præsidia, lauacrum nempe aquæ dulcis tepentis,& aquam lucensem, vel serum caprinum cum Fumiterræ,& Cichorei succis depuratis.

Præsagia Quæ sane cum multa sint, atque magna ex parte sibi ipsis repugnent, vetustique sint commemorati affectus, summam curationis difficultatem ostendunt; grauioribus tamen, & generosis præsidijs adhibitis atque repetitis sperandum fore, vt nobilis hic Vir nunc in firma ætate constitutus in pristinam sanitatem restitui possit, modo nec ægri obsequentia, nec Medici diligẽtia desideretur. Quod quam primum illi concedat Deus Optimus Maximus precamur.

De Capitis dolore ex interuallis repetente. Pro D. Io. Baptista Boccabello Nobili Romano, Consultatio XCIX.

Affectus causa interna. DOloris Capitis in anteriori parte egregium propositum Virum statis temporibus grauiter affligentis causam interiorem proximamque in humorem biliosum cerebri meninges occupantem reijciendam esse,& dolor acrior cum punctionis cuiusdam sensu, & os amarum, atque sitis ingens aperte demonstrant.

Cu-

Cuius quidem humoris biliosi prouentus causa hepati calidiori iusto accepta fertur. Accedentibus causis euidentibus immodice cal facientibus, vt exercitium immoderatum, ciborum, & potuum calidorum frequens vsus, atque animi excandescentia cum alijs quoque erroribus in victus ratione commissis, corpus vehementer excalfacientibus. *Bilis redūdātis causa.*

Curationis ratio sex præsidiorum genera sine mora administranda requirit. *Curatio.*

Primò victum refrigerantem humectantemque qualis febrientibus competit.

Secundo, aluo prius lenita vel molli Clystere, vel Cassiæ medulla, venæ humeralis sectionem reuulsionis gratia, ne cerebri meninges inflammatione tententur. *Venæsect.*

Tertiò, Oxyrrodina repellentia, & refrigerantia capiti deraso sæpius admouenda. *Oxyrrhodina.*

Quarto, biliosos humores apparantia, & apparatos purgantia idonea. *Purgatio.*

Quinto calidam intemperiem alterantia frigida, sincipiti raso admouenda, quale erit linimentum quod subsequitur. *Alterantia.*

Rec. Olei Rosarum vnc. 1.
Olei violarum vnc. med.
Muccillaginis psyllij dr. 3.
Aceti rosati dr. 1.
Ceræ q. s. misce & fiat vnguentum.

Illud autē hoc in loco aduertendum est, quod refrigerātia fortiora qualia sunt narcotica a multis hoc in casu vsurpata ex eo valde suspecta esse, quod cerebro membro principi, & frigido temperamento prædito magnopere officiant, soporemque altissimum inducant. *Obseruatio.*

De Medicamentis peccantis humoris reliquias digerentibus, hic nihil dicendum puto; quoniam materia biliosa, quæ facile, ob leuitatem, raritatem, & tenuitatem prompte exhalat, vllas sui reliquias in caput superstites retinet, quæ diaphoreticis egeant. *Notandū*

Naribus quoque frigida, qualia sunt aqua rosacea cum modico Aceti rosacei, & similia vtiliter admouentur. Camphoram nostram minime probare possum, quod hanc calidam esse, pro comperto habeam; sexto, & vltimo, vt egregius hic Vir sibi ipsi prospiciat, quo minus dolor hic in posterum reuertatur, Iecinoris feruido calori attemperando studendum erit, tum refrigerantibus extrinsecus admouendis, tum ijs, quæ sumuntur: inter quæ, & caprinum serum cum Cichorei succo quindecim saltem diebus, vt moris est, larga copia sumptum, & ab hoc aliquibus interpositis diebus aquæ Lucensis, cuius minera ferrea est vsum, maximopere probo: cuius pariter valoris etiam sunt aquæ Thermales, Porrettanæ è Porretta veteri, quæ in Agro nostro Bononiensi scaturiunt. *Camphora nostra hic suspecta pcautionis rō.*

Præsagia Quibus omnibus propositis remediis rite administratis, sperandũ fore, vt Nobilis hic Vir non solum a præsenti molestia, & dolore iam (vt audio) inclinante; verum etiam ab eiusdem consueto reditu (D. O. M. fauente) vindicetur; modo congruam victus rationem humorum biliosorum causas externas prohibentem ad vnguem retinere constanter sibi proposuerit: quandoquidem (vt ex ipsius ægrotantis ore iam iam accepimus) dolores hi alias ab externarum rerum, & causarum euidentium importunitate originem duxerunt.

De Dolore diuturno sinistram scapulam occupante, Pro Perillustri D. Camillo Pauesio Sauonensi Barone Nobilissimo, Consult. C.

Affectus. DOlor tactus deprauati symptoma in Perillustri Barone scapulæ sinistræ latum musculum affligens, non aliunde proficiscitur, *Causa interior.* quàm a frigido pituitosoque humore partem hanc imbuente, atque soluente; vt ex doloris specie, & diuturnitate facile vnicuique innotescere potest.

Dolor enim hic minime acutus est, sed cum ponderis cuiusdam sensu, atque duobus iam ab hinc annis Perillustrem hunc Virum sollicitat, licet non assiduò. *Causa morbifica vnde.* Vtrum autem peccans materia in sede affecta colligatur, vel aliunde deriuetur haud difficile est intelligere, si considerauerimus doloris huius intermissionem eo præsertim tempore, quo Hæmorrhoides sanguinem effundunt, atque frequentem illam capitis destillationem, cui Perillustris hic laborans valde obnoxius est; ex quibus colligere licet humorem doloris huius causam è cerebro, & ventriculis eius interiorem per spinalem intra caluam deorsum in sedem affectam decurrere. Pars autem hæc delabentem materiam facilius suscipit, tum decliuioris situs causa, tùm etiã quia laxior infirmiorque est reddita.

Cerebri natura. Cerebrum verò huius fluxionis auctor, licet in actiuis qualitatibus medium sortitum sit temperamentum, quod tum ob multa alia signa, tum etiam ex eo, quod a caloris, & frigoris ambientis importunitate æqualiter obleditur; humidum tamen supra modum cũ sit, accedentibus quoque erratis in victu commissis plura colligit excrementa subfrigida, a quibus omne malum pendet.

Iecur in Perillustri Viro licet calidum sit, non tamen vsque adeò æstuat, vt sua in caput exhalatione (quantum per legitimas coniecturas colligere licet) huic fluxioni materiam suggerere possit. Quibus ita prælibatis, satis vnicuique constare potest, quos scopos curationis ratio requirat, vt Perillustris Baro ab hac molestia sæpius repente vindicari possit.

Victus rõ Primò enim congrua victus ratio, tenuis nempe, extenuans, in actiuis qualitatibus temperata, in passiuis verò ad siccum inclinans institui debet.

Secundò

Secūdò frigida crassaq. excrementa phlegmagogis blandioribus, qualia sunt, Rhabarbarū, Agaricus, & Pilulę de Hiera cum Agarico deturbanda erunt, vbi idoneis apparantibus prius præparata fuerint. *Purgatio.*

Tertiò, Masticatorijs, & Errhinis cerebrū priuatim purgandū erit. *Caput purgia.*

Quartò ad dissipandas excrementorum reliquias, simulque ad siccandum cerebrum tria vsurpanda erunt præsidia. Cōfectiones nimirum Cephalicæ, vt Betonicæ, Saluiæ, florum rorismarini, & consimiles. Omitto nunc Mitridatium propter calores qui iam instant. Capitis lotiones lixiuio ex vitis cineribus parato, in quo simplicia Cephalica siccantia citra calorem immodicum incocta fuerint. Tertium postremumque erit sudatorij genus aliquod, quale illud est, quod in Agro Neapolitano administrari fæliciter solet. *Cerebrū siccantia.*

Quintò postremoq. ad roborandam partem affectam, quò minus superuacanea excremēta in futurum admittat, Emplastrum, seu Ceratum parandum erit ex Ammoniaco, Bdellio, Opoponaco, & Muccaginibus Altheę, fænu gręci, seminum lini aqua ardenti extractis, & medullis, pinguedinibus, oleoque Irino cum puluere Ireos, & cera. In hunc vsum etiam parti affectæ Emplastrum ex Tacamacha vtiliter adhiberi poterit: Gummi enim hoc, præter quam quod blande emollit, atque per halytum digerit, adstringenti etiam, qua pollet facultate, mirum in modum partem corroborat. *Topica remedia.*

De Chirurgicis præsidijs, non habeo quod proponam; præterquā venæ sectionem, quæ ex cubiti dextri Iecoraria vena in præscriptæ medicationis principio celebranda erit, cum Perillustris hic Vir sanguine satis abundet. *Chirurgica.*

De futuro propositi affectus euentu illud statuere possumus, affectum hunc solutu, & liberatu difficilem vtique esse; quandoquidem fluxionis cuiusque consuetudo, cum in habitum concesserit haud facile finiri solet. Cœterum cum Perillustris laborans in ætate consistenti firmatus præsidia generosa iam proposita adhuc expertus minime fuerit, sperandum est vt Dei Optimi Maximi auxilio, & medici illi familiaris peritia, accurataque diligentia, ab hoc dolore tandem liberari possit. *Præsagia*

De Febre maligna. Pro Perillustri, & Reuerendissimo D. Paulo Sanuitali Episcopo Spoletino. Consultatio C I.

FEbrem Perillustrem, & Reuerendiss. Episcopū quatuor ab hinc diebus acerrime affligentem, non solum putridam continuam esse, verum etiam valde malignam, multa sunt, quæ cumulatissime commonstrant. *Affectus.*

Pulsus in primis paruus, & languidus, ob spirituum vitalium resolutionem a maligna venenataque aura. Frequens admodum, vsu facultatem sollicitante ad reparandos spiritus, qui assidue dissipantur. *Feb. malignę signa horumq; causę.*

Inæqualis putredinis causa. Durus etiam ob Arteriarum siccitatem humidi innati inopiam consequentem. Vnde, & vox illa clangosa; facultatis insuper animalis, tum motricis, tum sensitricis actiones omnes diminutæ, caloris natiui penuriam concomitantes, hinc etiam assidua illa in somnum propensio, seu potius vigilandi impotentia, Ob spirituum pariter animalium defectum. His accedunt & suspiria illa ex frequentibus interuallis magna; quæ non aliunde proficiscuntur, quam ab vsu aucto multum aeris trahendi ad spiritus deperditos reparandos languidam Thoracis musculos mouentem facultatem vltimo fere conatu sollicitante; vitales enim spiritus ex aere inspirato, & sanguinis puri tenuiore parte procreari omnibus compertum est.

Quæsitũ. Sed (quæso) nunc inter nos commentemur, qui fiat, vt febris hæc putrida, continuaque calorem suum nusquam pandat; neque enim viscera in Perillustri, ac Reuerendissimo Episcopo vruntur, neque extimæ corporis partes febrire videntur; itaut quis forte suspicari posset, num vitium hoc tam graue, & lætiferum febris essentia in calore prçter naturam immodice aucto sit posita.

Solutio. An quia febris hæc non propria essentia, sed facultate, hoc est venefica materia facultatem destruente vehemens est?

Putridarũ febriũ differẽtiæ. Porrò, vt putrida febris pestilens appellata, a putrida communiter dicta differt excellenti dumtaxat putredine, ita, & quæ nobis in præsenti negotium facessit, a pestilenti, & maligna communiter nuncupata discre pat materia, seu causa morbifica antecedenti; illa nimirum ab humore insigni excellentique putredine affecto oritur, hæc autem a materia quoquomodo putrescente quidem, sed venenatam occultamque naturam retinente proficiscitur; proinde huiusmodi febres proprie malignas appellare consueuit Gal. Aph. quarto Comm. 43. & septimo Meth. cap. duodecimo. Et recte quidem, quandoquidem consimilium febrium symptomata propriæ essentiæ, hoc est calori præter naturam minime correspondent.

Difficultas. Altera hic difficultas emergit: si febris hæc propria essentia ob id mitis apparet, quia febrilis calor vna cum spiritu febris cuiusque primo proximoque subiecto a venenata aura dissoluitur, ac dissipatur: *Difficultatis solutio.* Vnde ingens sitis Perillustrem, & Reuerendissimum Episcopum assidue excrucians? An quia sitis fit nobis siccescentibus? vt Galeno placuit in lib. Hipp. de natura humana Commentario primo. Necnon lib. primo simplicium cap. 30. vbi habet sitim fieri, aut calido superante, aut ab humido deficiente.

Quatuor in febribus curandis consideranda. Quibus hunc in modum enarratis, de propositæ febris Idea, magnitudine, & mora satis constat. Cuius quidem motum celerem esse inde constare potest, quod peracutus sit morbus: etenim primis diebus maxima insinuauit symptomata, commemorata nempe: quibus quoque accedit inquietudo, seu implaciditas cum anxie-

tate

tate quadam assidua ob auram illam maleficam cordi insidiantem obsterpentemque: Cuius quidem vitiosis seminarijs non vnus dūtaxat humor, vt bilis, pituita, Melancholia, aut sanguis veluti morbosus apparatus substernitur, sed omnes simul confusi humores; quandoquidem febris hæc nullam periodicam exacerbationem seruat; sed continentium more Perillustrem, ac Reuerendiss. laborantem perpetuò æque fatigat.

Itaque de febris huius euentu, tempore, & modo ita statuendum puto, cum febris hæc propria essentia pusilla quidem, verum symptomatum magnitudine, & malitia vehemēs, occulta rabie quadam in cor inuadat, virumque ætatis deficiētis potius, quam proficientis affligat, ita vt vires omnes a morbo superentur; de Perillustris, ac Reuerendissimi Laborantis vita timendum potius, quam de salute sperandum. Et quoniam in peracuto morbo, qualis hic est, summi labores viribus deficientibus mortem citare, accellerareque solent, febrem hanc vna cum laborantis vita breui finitam iri, rationi consentaneum est. Interitus autem via iam satis patet, videlicet per spirituum innatique caloris resolutionem quam venenata materia magis, magisque in horas malitiose molitur; Cœterum licet secundum Galeni præcepta, morituris generosa præsidia adhibenda minime sint, ne mortis culpa Medicis adscribatur, neque remedia, quæ alijs fuere saluti infamentur; impium tamen & a Christiana charitate alienum est morituros deserere, præsertim cum & Hipp. testimonio, & quotidiana experientia compertum sit, ægros vel etiam secūdum Artis principia morituros, Dei Optimi Maximi auxilio interdum euadere. *Præsagia* *Gal. præceptū non obseruandum.*

Iam verò curandi rationem aggrediar; in qua pauca proponam, quod nunc intellexerim omnes indicationes huic febri tollendæ appositas cum proprijs scopis, & operibus clarissimos Viros, qui in morbi principio accersiti fuere, ex Arte pro viribus expleuisse. *Med. Me.*

Etenim febris ratione, refrigerantibus humectantibusque tum cibis, tum medicamentis vsi sunt. Pro delendis etiam symptomatis idonea præsidia vsurparunt. Quemadmodum, & ad excindendas febris causas omnes internas, putredinem nempe, vna cum venefica qualitate, statim, & bezahartica remedia, & apertis per hirudines Hæmorrhoidibus, sanguinis missionem imperarunt, & recte quidem, quandoquidem non solum hac in febre, verum, & in omni putrida, sanguinis detractio quatuor præstat commoda, calorem internum eatenus reprimit, quatenus eius focum detrahit, quem admodum detractis lignis accensis, ignis flamma imminuitur, vt & Galen. ipse adnotauit decimo Method. Med. cap. decimo; apparatus morbosus, putrescentes nempe humores sanguini commisti educuntur; reuulsio, & auersio a putredinis foco, & minera hoc quoque opere habetur, ac præterea obstructio tollitur, vnde, & præsens *Febrium malignarum curā darū indicationes.* *Sang. missionis in putridis febrib. vsus.*

sens

ſens putredo, & futura inhibetur, præſertim, ſi obſtructio humorum copiam conſequatur: verum Clariſſimi Viri cubiti venam pertundere non auſi ſunt, ſed huius loco, & ex hæmorrhoidibus per hirudines, & cruribus coxis, & natibus ſanguinem Illuſtriſſimo huic laboranti iure optimo detraxerunt; hæc enim apud Oribaſium ex Gal. vicaria eſt venæ ſectionis, & citra virium deiectionem vtiliter, ac tuto celebratur. Peccantes inſuper humores idoneis potionibus apparare ſtuduerunt, ſimulque conſeruandis viribus appoſitis ſorbitionibus, refrigerantibus, & humectantibus iugiterque multum nutrientibus ſæpius, parce tamen oblatis operam deduxerunt; Galenum ſane imitati, qui Aph lib. primo Comm. xix. conſulit, ſæpe ac modice ciandos eſſe ægros, quorum vires cum humorum putredine imbecillæ ſunt: ita vt omnia a Clariſſimis Viris hactenus adminiſtrata præſidia, rationi vtique conſentanea, & ex Arte fuerint: cæterum his non obſtantibus febris hæc vna cum ſymptomatis non ſolum non imminuitur, ſed magis magiſque in horas ſæuit: Quandoquidem (vt recte cecinit ille.

Non eſt in Medico, ſemper releuetur vt æger
Interdum docta, plus valet Arte malum.

Reliquum nunc eſt, vt ad alia generoſa adhibenda remedia feſtinemus: inter quæ primum obtinet locum medicamentum purgans, *De agendis.* idque non leue ſed validum; quod quidem a ſanguine detracto octo, vel decem horis Perilluſtri huic laboranti vtique dediſſent, ſi per vires licuiſſet. Iam vero purgantis medicamenti loco Clyſtere acriore quam primum vtendum eſſet, ſed quoniam audio aluum huic ſatis lubricam eſſe, conſultius fortaſſe erit inteſtina abluere Clyſteriolo ex iure cum ſaccharo, & vitelo oui.

Per vomitum autem euacuatio hic locũ minime habet, quod humorum in ventriculo redundantium nullum indicium obſeruetur.

Duæ dumtaxat ſuperſunt euacuationum ſpecies redundantibus *Vrinam cientia.* ſuccis detrahendis accommodatæ, per veſicam nempe, atque per cutim. Hanc tuto tentare poſſumus emulſionis ſeminum communium frigidiorum extractæ cum aqua ſtillatitia fabarum cũ ſiliquis ſuis vncijs quinque, vel ſex mane, & veſperi horis ſaltem tribus ante cibum ponamus.

Euacuatio per cutim. Illam vero Aetij medicamento hunc in modum parato.

Rec. Olei Anethini vnc. 4.
Decoctionis Chamæmel. vnc. 1: } miſce.
Nitri exacte puluerati vnc. med.

Bulliant vnica leui ebullitione. Deinde manibus hoc liquore madefactis vniuerſum corpus perfricetur mane, & veſperi ante cibum. Atque ægro bene præmunito, ſudor procuretur.

vescicantia

In hunc etiam vſum veſicantia medicamenta brachijs, & cruribus in partibus internis, vt admoueantur, etiam atque etiam conſulo,

ſulo, & hortor. Quanti enim hoc in caſu ſit momenti, ex ijs, quæ a Gal. ſcribuntur lib. quinto Meth. cap. xij. vnicuique compertum eſſe poteſt.

Interim ad reprimendam venenatam morboſi apparatus qualitatem, & interna, & externa medicamenta ſine mora vſurpanda veniunt, qualia ſunt, Confectio Diacynthos, pulueres cordiales, & interdum etiam Theriaca; Epithemata cordialia modice refrigerantia ſine adſtrictione, & inunctiones ex oleo de Corticibus, & ſeminibus citri cordis regioni admouendæ. Deum interea Opt. Max. præcamur, vt hiſce noſtris præſidijs aſpirare non dedignetur. *Venenatā mát eriā medic. infrenantia*

De lateris dolore, Conſultatio CII.

CVm in prçſentia Illuſtriſs. quendam virum, tali morbo laborantem præ manibus habeam, vt optima medendi ratio inſtitui poſſit, ac melius antea dicta innoteſcant exemplis: totius curationis erga ipſum obeundę methodum hic ſubijcere, operepretium erit.

Perſcrutemur igitur primum, cuiusnam ſortis ſit, & inter quam enumeratarum ſpecierum reponēdus lateris dolor hic, qui Illuſtriſſ. hunc laborantem ſecunda die, a febris inuaſione defatigare cœpit. Certe thoracis hic dolor cum aliqua ſpirandi difficultate, cum tuſſi, & aſſidua febre Pleuritidis ideam præſeferre videtur. Cęterum multa ſunt, quæ exquiſitæ pleuritidis ſuſpitionē abigunt & Peripneumoniæ potius imaginem quandam repreſentant: nimirum dolor non pungens, ſed cum grauitatis ſenſu, tum ſternum, tum ſpinam præmens, vt plurimum: qui quidē dolor, nec firmiter fixus vno loco permanet, ſed modo huc, modo illuc vagatur: neque aſſiduus eſt cum dilucida habeat interualla. Tuſſis non aſſidua, ſed rara, & exigua: ſpirandi difficultas minor, quam in exquiſita Peripneumonia, Pulſus non duri, neque tenſi, vt in exacta Pleuritide, ſed molles, parui, languidi, inæquales, & frequentiſſimi ob virium imbecillitatem cauſam morbificam venenatam conſequentem: febris morbi initio mitis, & puſilla more vere malignarum, dein Pulmonum veluti inflammatione quadam accerſita magis vrens: vnde, & malæ, ac tota facies nonnihil rubentes, oculique quoquomodo cum rubore tumentes: necnō ſputum tuſſi citatum, nonnihil cruentum. Quæ quidem ſymptomata aperte commoſtrant thoracis, dolorem hunc, Pulmonum affectū quendam inflammatorium comitari, qui quidem ab exquiſita Peripneumonia ſola cauſa mouente, materiæ copia, & ſymptomatum magnitudine diſſidet. Cur autem affectus hic Peripneumoniæ finitimus, febrem huiuſmodi malignam conſequatur, haud difficile eſt explicare ſi conſiderauerimus venenatum humorem huius malignę febris cauſam, totius ſubſtantiæ diſſidio cor maxime laceſſere, vnde natura, cuius perpetuum eſt ſtudium viſcus hoc vitæ domicilium ab om-

Peripneumoniæ nō exquiſitæ. Notæ.

Qua ratione in febre maligna ſanguis in pulmones effundatur.

omni iniuria vindicare, totis viribus insurgit, vt perniciosam hāc materiam a corde propulset, in quo quidem conatu, sanguinem etiam ex dextro cordis sinu, per venam arterialem in Pulmones escutit, qui deinceps sanguis illic coarctatus putrescens, inflammationem accendit Peripneumoniæ affinem, vnde, & commemorata symptomata; cuius porrò generis morbi a Mense Februarij, vsque in vernum hoc tempus in Vrbe ex temporum inconstantia, & vi tempestatum veluti epidemij vagantur, quorum plurimi ob cœli inquinamenta quædam occulta, epidemiorum perniciosissimi Pestilentes, & lethales obseruantur. Nostram hanc ratiocinationem, inuentumque hoc nostrum, verum euentu fulciri posse pro comperto habeo, quandoquidem quotquot cum simili morbo iugulatos hic, & alibi in re anatomica versati dissecuerunt, Pulmones horum obseruarunt sanie, corruptoque sanguine refertos, atque interdum modo in vna, modo in alia parte exesos. Nihilominus non negamus Pulmones ferinę destillationis causa in hoc vitij genus interdum incidere posse.

Præsagia Quid autem de futuro horum morborum euentu præsentiēdum putem, paucis exponam. Inflammatorius hic pulmonum affectus, licet minor sit, quam in exquisita Peripneumonia, cum tamen a sanguine summæ efficaciæ humore pendeat, virumque exerceat febre mali moris corruptum, cuius vires infirmę admodum sunt de eius vita potius timendum, quam de salute sperandum. Illud etiam periculum auget, quod thoracis hic morbus alteri longe grauiori iungitur, febri nimirum pestiferæ, & malignæ, quam mortiferam esse, & euentus monstrat, & Hipp. cum Gal. 3. de Morb. vulg. sect. 3. contextu 20. & 21. attestantur: tanta enim est febrium malignarum peruicacia, vt venenati, & indomiti humoris feritate, necnon cecæ perniciei efficacia, vitalis facultatis officia intercipiant, breuique hominem iugulēt: & quando futuræ salutis spes superstit aliqua, tota in virium robore est posita, quemadmodum notat Galen. 5. meth. med. c. 12. Vires autem in hoc Illustr. laborante languidas esse, a morboque superari, & pulsus, & facultatis, tum animalis, tum naturalis opera aperte commostrant. Nec ob id tamen generosa præsidia sunt omittenda, quandoquidem hominis fatalis interitus diem a summo Creatore præscriptum nemo assequi potest; quo fit, vt non raro obseruemus aliquos a grauissimis, pestiferisq; morbis præter spem euadere, quod, & Hipp. se etiam obseruasse aperte fatetur.

Curandi Methodus Quatuor cum sint, a quibus hoc in casu curationis scopi petuntur, febris nempe, quæ quid indicet omnes norunt, febris causa, Pulmonum affectus inflammatorius, & vires omni studio conseruandæ, iure optimo clarissimus Medicus D. Vincentius Balducius primo accersitus, victus ratione moderate refrigerante febris, & inflammatorij affectus causa, & ad siccum vergente putredinis ratione præscripta, Galenique præcepto com. 17. primæ sect. aphorismorum obseruato,

nato,

uato, nimirum sæpe, & modice cibandos esse ægros, quorum vires, cum humorum corruptela sunt infirmæ, statim aluo liniente clisteri lenita, sanguinem, parca tamen manu e dextri cubiti vena basilica secta detraxit, affectæ enim sedes, Pulmones videlicet sanguinis abundantia, & efferuescentia, putredo, febris, & morbi magnitudo, id indicabant, & quoniam vires infirmę non permittunt, vt sanguis pro abũdantia, & affectus exigentia detrahatur, saluberrimum mea quidem sententia fuerit iterum sanguinem per sycias cruribus, coxis, & natibus, cum incisione affixas detrahere, euacuatio enim hæc ex Galen. & Oribasij sententia venę sectionis vicaria est, nec vires deijcit, præterquam quod, & venenatum humorem a nobilioribus, superioribusque partibus auertit, detrahitque, & pulmonum inflammatoriũ affectum accersione, quoquomodo frenare poterit. Sanguinem in huiusmodi febribus mittendum esse, quoties pletora adsit, atque statim in primo morbi insultu monet Gal. primo de morb. vulgarib. sect. 3. com 26. de Critone loquens, cui tamen Hipp. eo loco venam non secuit, quoniam a principio non fuit accersitus. At vero idem Galen. lib. de cibis boni, & mali succi. c. 1. pestifera febre laborantibus venam non secabat, quoniam cacochymia ob prægressam annonam potius, quam pletora laborabant.

De purgandi vero medicamento propinando, sic sentio. Tametsi validum catharticum ob venenati peccantis humoris pertinaciam indicetur, pulmonum tamen inflammatio, & infirmæ vires reclamare videntur, proinde medicamentum eligerem ego noxios humores, Bilem nempe temperamenti, & ætatis ratione, & Melancholiam ob animi passiones prægressas cumulatam clementer subducens, vt *Obseruatio in purgantis medicamenti electione.*

Rec. Syrupi de Polip. m. A. vnc. 4.
Rhabar. s. a. Infusi, & for. expr. dr. 1. 5. } S.
Aquæ scabiosæ q. s. f. potus. *Purgans medicamentum.*

Cui si Trypheræ persicæ dr. ij. vel iij. ad Malignitatem infrenandam addantur, tanto valentius erit Medicamentum: quod quidẽ nulla habita humorum præparatione, quod materia, & si vere non turgeat, vrget tamen quo maxime sine mora propinandum illi erit. Purgato hac ratione corpore, ad expectorandã materiã Pulmonibus conceptam Eclegmata minime calorifica huiusce generis præscribãtur.

Rec. Syrup. violati
Syrup. de farfara } an. vnc. 1.
Penidiorum. vnc. 5.
Emulf. sem. Melon.
Emulf. sem. Cucurb. } an. vnc. 5. *Expectorantia.*

Extrahant Emulf. cũ aqua farfaræ, quo liquore sæpius lãbendo vtatur ieiuno ventriculo: Eclegmata. n. quatenus citata tussi thoracicas partes expurgãt, ieiuno vẽtriculo, & corpore prius euacuato tutius vlurpant, alias nãq. periculũ imminet, ne p motũ partes repleant magis.

Inte-

Interim omitttenda non sunt medicamenta, quæ a tota substantia Pulmones respiciunt, qualia sunt Pulmo vulpis præparatus, & herba Pulmonaria dicta, necnon Dentis Apri, & Rubri papaueris puluis, qui quidem licet adstrictoria quadam facultate polleat, ideoque non nisi interfluxionis initia ab aliquibus medicis præscribatur, quatenus tamen adstrictione sua, atque cæca quadam qualitate pulmones roborat, eorundem expulsionem ita firmat, vt facilius expediri possint: Ex quibus omnibus parari potest egregiũ medicamentũ hoc modo.

Thoricũ medicamẽtum regium.

Rec. Dentis Apri } an. scr. 1.
Papaueris rubri }
Pulm. Vulp. præp. dr. 5.
Succi pulmonariæ q. s. f. Pastillus.

quotidie horis duabus ante cibum semel tantum dandus, quo tempore vniuersus thorax illinendus erit oleo anodino primo gradu calido, ac tenuium partium ad discutiendam materiam Pulmones prementem, qualia sunt oleum Anethinum, Chamæmelinum, & eius generis alia, quibus hoc in casu aliquid refrigerantis addi potest, ne pulmones, nonnihil inflammati, incalescant magis, commodum igitur linimentum hoc pacto parari potest, Recipe Olei Chamæmel. Olei Anethini, olei violacei singulorum, vnciam vnam, Pulueris seminũ lini dr. ij. Butiri recenti, aqua violacea loti q. s. fiat lenimentũ. Quib. omnib. pro virib. thoracis, & pulmonũ vitio occursum fuerit.

Topica thoracica.

Cautio in Bezoarticis calorificis administrãdis.

Quod vero ad medicamenta Bezoartica attinet, malignitatem, venenatamque humorum qualitatem extinguentia, Theriaca, Mitridatium, & Confectio Diacynthos omnibus aliis citra omnem controuersiam præstant, quæ licet a nonnullis magni nominis medicis recentioribus, ob id in pestiferis febribus reprobentur, quia calida sunt, obseruo tamen horum vsu plus commodi, quam incommodi comparari ijs qui pestifera febre laborant, propterea Gal. etiam in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. vel Quisquis fuerit illius libri Auctor, in febribus malignis, & pestilentibus theriacam concedit, cuius quidem consilium maxime probo, quoties febris non sit e genere earũ, quæ maxime vrunt: quapropter cum febris, qua Illustriss. hic Vir laborat pusilla sit, & maligna, quæ venenata potius aura, quam insigni calore cor ipsum lacessat medicamenta hęc commemorata maximè ex vsu essent, nisi Pulmonum inflammatio obstaret, proinde horum loco pulueres cordiales temperatos libentius eligimus, quales sunt.

Pulueres cordiales temperati

Rec. Marg. alb. præp. dr. 1.
Cornu cerui vsti }
Ossis de cord. cerui } an. scr. 1.
Boliarm. orient. }
Semin. citri mundat. dr. 5.
Foliorum auri puriss. n. vij.
Saccari albissimi dr. ij.
Lapidis Bezaar. scr. j.

M.

In

In tenuiſſimum puluerem redigantur, & excipiantur octo cartulis, atque ſcrupuli duo mane, & vſpere immediate ante cibum ex iure, aut ex aqua rutæ caprariæ exhibeantur. Cordis regioni fotu prius admoto refrigeranti quidem nonnihil, ſine tamen adſtrictione hunc in modum. Recipe Aquæ acetoſæ, Aquæ Boraginis ſingularum vncias tres, Acidi citri vnciam vnam, Aceti roſ. vnc. 5. Specierum pro Epitemate temperatarum dr. 1. m. pro cordis fotu tepido admouendo.

Epitema frigidum pro corde.

At quoniam febris hæc e genere earũ eſt, quæ non dant inducias, vt pote quæ breui interimant, ſtatim corpore per Aluũ purgato, duæ aliæ euacuationes Altera per cutim, Altera veræ per veſicam tentandæ ſunt. Per Cutim inſenſibiliter euacuãt totius corporis frictiones, mane, & veſpere ante cibum adminiſtratæ, manibus calentibus, & ſubſequenti liquore madidis. Recipe Olei Anethini vn. iiij. Aquæ ex floribus Chamæmeli deſtillatæ vn. ij. Nitri puluerati dr. ij. m. & bulliant vnica leui ebullitione. In hunc vſum duo etiam veſicatoria in cruribus, paulo ſubtus Genu in parte interna mirum in modum probantur, vexicatorum autem parari poterit hac ratione. Recipe cantharidum præpararum vn. 5. Sinapi. dr. 5. fermenti dr. ij. m. & cum aceto acerrimo f. paſta. Ad ciẽdam vero vrinam diuretica calida ſunt ſuſpecta tum ratione venenati humoris ad calidum inclinantis, tum ratione affectus Pulmonum inflammatorij, idcirco vel temperata eligenda ſunt, vel frigida moderate calidis immiſceri debent, vt eſt. Recipe Ordei, Paſſularum, ſeminum Melonum, ſeminum Cucurbitæ an P. 1. Appij, Capilli ueneris an. fol. 2. vel 3. liquiritiæ dr. 1. m. & bulliant in iure pulli gallinacei, vn. ix. ad conſumptionem tertiæ partis, percolati adde ſyrup. capillor. veneris vn. 1. ſyrup. viol. vn. 5. & propinetur ſingulis octo horis.

Euacuatio per Cutim inſenſibili halytu.

Vexicantia.

Diureticorũ diſtinctio.

Dum hæc omnia peraguntur, omni ſtudio viribus reparandis incumbendum eſt, tum cibo, tũ etiam potu ſubſequentis liquoris, qui hoc in caſu nulli alio cedit.

Stillatitium egregiũ ad reparandas vires.

Rec. Conſeruæ Roſ. Conſeruæ Borag. Conſeruæ Bugloſ. Conſeruæ Nenuffar.	an. vnc. ij.
Corticis citri cond.	vn. 1.
Pulu. Diamarg. frig. Puluer. Diatriaſant Puluer. Diarrhod.	an. vnc. 5.
Aquarum Cichoreæ Endiuiæ Bugloſſæ	an. lib. 5.

Decocti trium Pullorum Gallinaceorum, elixatorum cum Oxalide, lactuca Lupulo, & farfara lib. 1. ſeminum quatuor frigidorum maiorum contuſ. an. vn. iij.

Cum

Cum carnibus duorum caponum ab omni pellicula expurgatis extillẽtur in duplici vase, cuius stillatitij liquoris vnc. 2. plus, minusve tertia quaque hora propinentur. Hæc visa sunt in curatione horum duorum morborum curatu difficillimorum opportuna, a quorum alterutro vitæ periculum, ab vtroque maius vtique impendet, ideo D.O.M. præcamur, vt his aspirare non dedignetur.

Appendix.

Quoniam nihil paucum criticum, nec lege critica factum, ac præsertim cum cruda excernantur, haudquaquam mirandum est, si Illustrissimus Vir, pro quo paulo antea habita fuit consultatio iã præscripta, die sexta à primo morbi insultu post aliquot per aluum excretiones liquidorum, crudorumque excrementorum visus sit, ad Infebricitationem deuenisse siti tamen relicta, necnon inquietudine quadam: ac subinde octaua die, & febris, & symptomata omnia exacerbata fuerint, ita vt morbo remedijs nullatenus cedente tandẽ corpore vniuerso perfrigerato, circiter vndecimam vitam cum morte commutauerit: vndecimam dico, quandoquidem obseruo Hipp. cum pluribus in locis, tũ præsertim primo de morb. vulg. sect. 3. paulo post principium, dierum computationem facere a prima totius morbi die, vsque ad finem recidiuæ vnam, ac non potius duas, quasi duo sint morbi: Crisis enim hæc e genere illarum fuit, quæ a Galen. lib. 1. de crisibus infidæ dicuntur, excretiones quippe fuere in die importuna, nempe in die pari, & sexta, crudorum humorum nullis coctionis signis prænotatis, diminutæ satis, ac potius tentatæ, ita vt hic locum habuerint, quæ ab Hippoc. scribuntur 12. aphor. 1. sect. & 4. de morbis vulg. 77. contex. quæ relinquuntur in morbis, recidiuam facere consueuerunt post iudicationes: etenim isthæc sensim magis, magisque corruptionem subeunt, succedensque alimentum, licet bonum, societate sua corrumpunt, & morbi reliquiis adijciunt, vnde recidiua, quæ ob id deterior est sua radice, quia corpus viribus fractis primum afficit.

FINIS.

Corrigente Reu. Dom. Marco Antonio Pinardo.

005644192